


1742-8715
Constitutiones

CONCILII PROVINCIALIS Moguntini, Sub Reuerendis. in Christo Patre & ampliss. Principe & Domino, Dn. Sebastiano Archiepiscopo Moguntino, Sacri Roma. Imperii per Germaniam Archicancellario & Principe Electore, &c. sexta Maii, Anno Domini M.D.XLIX. celebrati.



His accessit
INSTITVTIO AD PIETATEM Christianam, secundum doctrinam Catholicam, complectens Explicationem Symboli Apostolici, Orationis Dominicæ, Angelicæ Salutationis, Decalogi, & septem Sacramentorum.


PARIS IIS,
Apud Iudoënum Paruum, via Iacoba, sub
in signi Lili.

1550.
0.6.6.



1782-8715
Constitutiones

CONCILII PROVINCIALIS Moguntini, Sub Reuerendis. in Christo Patre & amplifs. Principe & Domino, Dn. Sebastiano Archiepiscopo Moguntino, Sacri Roma. Imperii per Germaniam Archicancellario & Principe Electore, &c. sexta Maii, Anno Domini M.D.XLIX. celebrati.



His accessit

INSTITVTIO AD PIETATEM Christianam, secundum doctrinam Catholicam, complectens Explicationem Symboli Apostolici, Orationis Dominicæ, Angelicæ Salutationis, Decalogi, & septem Sacramentorum.

PARIS IIS,

Apud Iudoënum Paruum, via Iacoba, sub
in signi Lilij.

1550
0.6.6.



143 - 11820524

Biblioteca Universitaria	
GRANADA	
Sala	<u> D </u>
Estanto	<u> 9 </u>
Tabla	
Número	<u> 592 </u>

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL	
GRANADA	
Sala:	<u> A </u>
Estante:	<u> 11 </u>
Numero:	<u> 369 </u>

P2-8715

Index Capitulo

*RVM CONCILII PRO-
vincialis Moguntinensis, eorum quæ ad doctrinam
fidei pertinent.*

Folio I.

- E Sancta Trinitate & fide Catholica. Caput 1.
- D De Creatione & conseruatione mundi. 2.
- De hominis creatione. 3.
- De lapsu hominis. 4.

Folio II.

- De peccato Originali. Cap. 5.
- De Redemptione per Christum. 6.
- De Iustificatione. 7.

Folio III.

- De Charitate & bonis operibus, & merito eorū. Cap. 8.
- Obferuationem mandatorum Dei, verè Christianis effe
possibilem. 9.
- De vera libertate Christiana. 10.


Folio IIII.

- De Sacramentis in genere. Cap. 11.
- Modus doctrinæ, circa Baptismum. 12.
- De Baptismo paruulorum. 13.
- Baptismum, adhibitis Ritibus secundum veterem Eccle-
siæ morem, administrari debere. 14.
- Vntiones in Baptizandis paruulis omiffas, expleri de-
bere. 15.

Folio V.

- Baptismum ante meridiem administrari debere. Cap. 16.
- Modus doctrinæ, circa Sacramentū Confirmationis. 17.

a ij de Vp



INDEX CAPITVLORVM

De Vnctione Chrismatis in Confirmatione. Cap. 18.
De cognationibus spiritualibus, ex his duobus potissimū
Sacramentis, Baptismi & Confirmationis, prouenien-
tibus. 19.

Folio VI.

Modus doctrinæ, circa Sacramentū Pœnitentiæ. Cap. 20.
De Contritione. 21.
De Confessione. 22.
De Satisfactione. 23.
De Absolutione. 24.
De ijs, qui Confessionibus audiendis præfici debent. 25.
De Reseruatione casuum relaxanda. 26.

Folio VII.

Ne religiosi Laicos communicent sine consensu Parocho-
rum. Cap. 27.
Sine Testimonio factæ Confessionis, nemo ad Sacræ Eu-
charistiæ perceptionem admittatur. 28.
De Confessione non reuelanda. 29.
De Satisfactionibus. 30.

Folio VIII.

Modus doctrinæ, circa Sacramentū Eucharistiæ. Cap. 31.
De communione vnius speciei. 32.
Vt à ieiunijs & confectis Sacrosancta Eucharistia sumat-
tur. 33.
Modus doctrinæ, circa Sacramentum extremæ Vnctio-
nis. 34.
Modus doctrinæ, circa Sacramentum Ordinis. 35.

Folio IX.

Modus doctrinæ, circa Sacramentum Matrimonii. 36.
Monendos liberos, ne in scijs parentibus contrahant. 37.
De Matrimonii Solemnitate. 38.

Folio X.

De Benedictione Salis, Aquæ, & aliarum rerum, quæ
per

CONCILII MOGVNTI.

per Exorcismos & orationes, ad vsum fidelium præpa-
rantur. Cap. 39.
De Cæremonijs. 40.
De Imaginibus. 41.
De abusu Imaginum prohibendo. 42.

Folio XI.

De Reliquijs Sanctorum. Cap. 43.
De Peregrinationibus ad Reliquias Sanctorum. 44.
De Inuocatione & veneratione Sanctorum. 45.
De orationibus pro defunctis, & de purgatorio. 46.

Folio XII.

De Ieiunio, & delectu ciborum. 47.

Index eorū, quæ
PERTINENT AD

Mores.

Folio XII.

E Constitutionibus Ecclesiæ. Cap. 48.

D Folio XIII.

Ne ignoti & inexplorati, ad prædicationis
munus admittantur. Cap. 49.
Oferuandi Parochi & Concionatores, quomodo quisque
doceat. 50.

Folio XIII.

Videndum, quibus libris Parochi & Concionatores pas-
sim vtantur. Cap. 51.
Plebs, vt Concionibus & diuinis intersit, per Magistratus
adigenda. 52.

De horis Canonicis.

a iij

53.
Quæ

INDEX CAPITVLORVM

Quæ ad tremenda Miſſæ Myſteria. 54.
 Presbyteri, cū irreuerentia Miſſas celebrâtes, coërcēdi. 55.

Folio XV.

De præmittenda Sacerdotum Confessione, ante sacrificium Miſſæ. Cap. 56.
 Miſſæ, ſub Concione aut ſolenni ſacro, nõ celebrētur. 57.
 Concionatores plebem verum Miſſæ vſum diligenter edoceant. 58.
 Miſſa quo geſtu aut qua deuotione audienda. 59.

Folio XVI.

In Primitijs omittendæ comestationes. Cap. 60.
 Sanctorum ſolemnitates Dominicis cedant. 61.
 De ſacris libris recognoscendis & repurgandis. 62.
 De examine prælatorum. 63.

Folio XVII.

De ijs, qui plura beneficia Curata obtinent. Cap. 64.
 De generalibus ſtudijs inſtaurandis: Et de Adoleſcentibus ad ſtudia publicè alendis. 65.

Folio XVIII.

De Clericis ſecularibus & Regularibus, ad ſtudia ablegandis: Et de ſtudijs, apud Monaſteria inſtaurandis & conſeruandis. Cap. 66.

Folio XIX.

De Theologiæ apud Eccleſias Collegiatas Profeſſoribus. Cap. 67.
 De Patronis & collatione beneficiorum. 68.
 De Admiſſione ad beneficia Eccleſiaſtica, & eorum reſignatione. 69.

Folio XX.

De iuſta diſtributione prouentuum Eccleſiaſticorum. Cap. 70.
 Vt Præpoſiti, Decani, Scholaſtici, Cuſtodes, & Cantores, apud Eccleſias ſuas reſideant. 71.
 De

CONCILII. MOGVNT.

De modo deſtruendi quotidianas diſtributiones. 72.

Fol. XXI.

Ocioſas deambulationes in Eccleſiis inter diuina prohibendas. Cap. 73.
 De honeſtate & decencia Clericali. 74.

Fol. XXII.

De decimis & offeratorijs perſoluendis. Cap. 75.
 De foro Cõpetenti, & emunitate Eccleſiaſtica. 76.
 Quibus Epifcopi, aut Archidiaconi, ſuas vices committere debeant. 77.
 De Regularibus. 78.

Fol. XXIII.

De clauſuris Monaſteriorum Virginum. Cap. 79.

Fol. XXIIII.

Paſtores & alij, Eccleſiis ſuis, quibus per ſe non præſunt idoneos & perpetuos Vicarios præſtiant. Cap. 80.
 De promouendis ad ſacros Ordines. 81.
 De ordinãdorum Teſtimonio. 82.
 Qui in Baptiſmo Vnctiones ſacri olei & Chriſmatis, iuxta vetuſtiſſimum Eccleſiæ morem non ſuſceperunt, ad Ordines ſacros ante talium Vnctionum ſuppletionem non admittantur. 83.

Fol. XXV.

De iis, qui ordinantur extra ſuas Diœceſes. Cap. 84.
 De honore Prælatorum. 85.
 Ne Domicellares Canonici, ante merita virtutis & doctri-
 næ, ad Capitula aſſumantur. 86.

Fol. XXVI.

De iuramentorum exactione reſtringenda. Cap. 87.
 Pecunias ex ſtatutis beneficiorum, aut aliunde cedentes, in Eccleſiarum vtilitatem impendi debere. 88.
 De rebus Eccleſiarum diligenter curandis. 89.
 a iiij Fol.

INDEX CAPITVLORVM.

Fol. XXVII.

De procuratione seu Fabricis Ecclesiarum Parochialium. Cap. 90.

De Simonia. 91.

Fol. XXVIII.

Vt Parochi Sacramenta gratis administrent. Cap. 92.

De competentis Parochorum. 93

De Clericis peregrinis. 94.

De Sacellanis Nobilium. 95.

Fol. XXIX.

De Magistris scholarum. Cap. 96.

De Testamentis & vltimis voluntatibus. 97.

Mercatus diebus Dominicis & festiuis prohibendos. 98.

Fol. XXX.

De libris per Typographiam publicandis. Cap. 99.

De poena Clerici percussoris, aut rixosi cōtra alium Clericum. 100.

De poena Sortilegorum. 101.

De Clericis Concubinariis. 102.

Fol. XXXI.

De Excommunicatione. 103.

De vitandis excommunicatis. 104.

INDEX

Index Locorum

COMMVNIVM, ET RE-
rum insigniorum, quæ in Institutione
Catholica tractantur.

N Symbolum Apostolicū præfatio	Fol. 14.
De Symbolo.	ibidem
I	
Articulus primus Symboli.	35.
Articulus II. Symb.	37.
Articulus III. Symb.	40.
Articulus IIII. Symb.	41.
Articulus V. Symb.	42.
Articulus VI. Symb.	eodem.
Articulus VII. Symb.	43.
Articulus VIII. Symb.	45.
Articulus IX. Symb.	46.
Articulus X. Symb.	48.
Articulus XI. & XII. Symb.	52.
De oratione Dominica.	56.
Expositio orationis Dominicæ.	59. 60. 61. &c.
De Angelica salutatione.	70.
In Decalogum.	72. 73. 74. &c.
Decalogum exorditur Deus à notitia sui.	75.
Præceptum I. Decalogi.	77.
De Sale, Aqua, & aliis rebus, quæ per Exorcismos in vsum hominum præparantur.	80.
De bono vsu Imaginum.	87.
De veneratione Reliquiarum.	88.
De peregrinationibus, religionis causa susceptis.	ibi.
De veneratione Sanctorum.	89.
De Sanctorum inuocatione.	90.
Deus primo præcepto comminatur iniquitatem Patrum visitare in filios, in tertiâ & quartâ gñratione. &c.	91.
Præceptum	

INDEX LOCORVM

Præceptum II. Decalogi.	Fol. 96.
De non iurando.	98.
De Votis.	99.
Præceptum III.	102.
Præceptum IIII.	107.
Præceptum V.	115.
Præceptum VI.	122.
Præceptum VII.	127.
Præceptum VIII.	134.
De Multiplici mendacio.	139.
Præceptum IX.	140.
Præceptum X.	141.
De Virtute & numero Sacramentorum in genere.	143.
De Sacramento Baptismi.	145.
De forma Baptismi.	150.
De effectu Baptismi.	154.
De Ministro Baptismi.	157.
De suscipiente Baptisum.	ibidem.
De Ritibus, in Baptizando adhiberi solitis.	158.
De Sacramento Confirmationis.	161.
De Sacramento Pœnitentiæ.	168.
De Contritione, prima parte Pœnitentiæ.	174.
De Confessione.	180.
De Confessione, coram homine facienda.	183.
Confessio Sacramentalis.	ibidem.
De Absolutione.	197.
De Satisfactione.	198.
De Sacramento Eucharistiæ.	209.
De verbo, seu forma, Sacramenti Eucharistiæ.	210.
De Materia Sacramenti Eucharistiæ.	211.
De effectu & fructibus Eucharistiæ.	213.
De Communione sub altera, vel vtraq; specie.	214.
De Sumentium qualitate & effectu, & de vsu huius Myste- rij	215.
De Sacramento Ordinis.	216.
De forma huius Sacramenti.	225.
De Materia seu elemento Sacramenti Ordinis.	226.
De effectu Sacramenti Ordinis.	228.
De Tonsura Clericali.	230.
De	

CONCILII MOGVNT.

De Maioribus Ordinibus.	Fol. 232.
De Presbyteris.	234.
De Sacramento Extremæ Vnctionis.	241.
De Suscipiente.	243.
De Ministro.	244.
De orationibus, circa Vnctionem adhiberi solitis.	245.
De forma huius Sacramenti, ex verbis Apostoli.	ibidem.
De Materia, & de effectibus, ac fructu huius Sacramen- ti.	246.
De sacra Vnctione veterum Orthodoxorum testimonia, quibus contra Nouatorum quorundam temeritatem, animi fidelium obfirmantur.	247.
De Sacramento Matrimonii.	248.
De effectu Sacramenti Matrimonii.	265.
De Qualitate contrahentium.	266.
De Consensu contrahentium.	268.
De Affectu contrahentium.	269.
De Celebritate nuptiarum.	270.

FINIS.

P R A E F A T I O,

PRAEFATIO.

EBASTIANVS

DEI GRATIA, SAN-
CTAE Sedis Moguntinae Archiepisco-
pus, Sacri Rom. Imp. per Germaniam
Archicancellarius, & Princeps Ele-

S
ctor & c. Vniuerso Clero & populo per Diocesim nostram
Mogunt. Salutem in Domino sempiternam. Postquam
grauè illud Pastoralis muneris onus humeris nostris (Do-
mino sic disponente) incubuisset, sanè nunquam quasi in di-
gnitatis & honorum fastigio sublimati, letari potuimus,
sed quasi in quadam specula positi, ingentem & anxiam
solicitudinem animo concepimus, & quasi importabile
onus humeris sustinentes, ad omnem suscepti muneris re-
cordationem frequenter ingemimus. Non enim ignora-
bamus depositum, quod tradente & commendante Chri-
sto suscepimus, quanta in illo asseruado cura, sollicitudine,
& labore desudare nos oporteat: quantave pœna nos
maneat, & quam terribilis nos Domini sententia expectet,
si quicquam de Thesuro illo, quem Christus, velut sedulus
& prudens negociator, precio sanguinis sui comparadum
duxit, nostra fortè incuria perire contigerit.

Accedebat ad cumulum sollicitudinis nostrae, & timo-
ris nostri pondus in immensum augebat, quod functionem
nostram Pastoralem in eam videbamus tempestatem inci-
disse, qua tot sectae, schismata, & omnespenè praeteritorum
temporum haereses, velut conspiratione facta, agminatim
in Ecclesiam irruerant, & dispersum Christi gregem im-
manes

manes lupi ad interitum rapiabant, & qua vniuersa vi-
tiorum corruptela, & grauissimorum scelerum lues ouile
Christi quasi contagione perserpens, ouiculas Christi san-
guine redemptas, crudelem in modum depescebatur.

Atque hac temporum iniquitate nobis nequaquam desi-
die patrociniū, aut negligentiae excusationem, praebere
exisimabamus, sed curam & sollicitudinem nostram po-
tius augeri, vt quanto grauioribus malis laborantem Ec-
clesiam conspiciebamus, tanto attentiore animo, & studio
vigilantiore, in eam, quam Dominus nobis imposuerat, Pa-
storalis officij functionem incumberemus, & gregi nobis
credito custodiam simul & disciplinam sedulo adhibere-
mus. Custodiam quidem, vt ex cōmonitione nostra, cauere
noxia, & salutaria appetere, peccata refugere, & virtu-
tes sectari, plebs nobis cōmissa sedulo addisceret. Discipli-
nam verò, vt qui spretis salutaribus monitis, aut torpentes
negligentia, aut malitia incitati, delinquerent: per nos à vi-
tius suis, Ecclesiastica censurae seueritate coercerentur. Si-
quidem memineras, hanc vtranque curam à Domino
oculis sui custodibus sub graui comminatione iniungi. Custo-
diam quidem, cum ait. Si Speculator viderit gladium ve-

Ezech. 33

nientē, & nō insonnerit buccina, & populus se non custo-
dierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animā: ille qui
dem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de
manu Speculatoris requirant. Seueritatem verò disciplinae
Dominus à Pastoribus exigens. Non quæras, inquit, fieri
Iudex, nisi valeas virtute irrumperre iniquitates: nimirum
innuens, graui culpa alligari eum, qui vitia subditorū, quæ
pro potestate sibi tradita compescendo emendare debet,

Exec. 34.

negli-

negligentiam seuerissimis minis increpans. Ecce ego ipse, inquit, super Pastores, gregē meum, de manu eorū requirā.

His nos Domini commotionibus incitati, iam inde ab initio ordinationis nostræ propensa voluntate ad debitam commissæ nobis functionis executionē, omnem animi & consilii vim conuertebamus. Sed pios conatus nostros inquietudo temporis illius impediēbat, dum tumultibus & bellis feruerēt omnia, ac planē appareret, seculum nostrum iam nec vitia sua ferre posse, nec remedia pati velle. Et iā nihil aliud quam grauem Ecclesiarum ruinam, & de proximò imminētē Religionis nostræ interitum oculis praeuidebamus, nisi Deus pro immensa sua misericordia miseratus, Ecclesiam suam tot malis grauissimè afflictam, & sub tantarum calamitatum onere iam iam ruituram, Inuictissimū & potentissimū Principis Caroli Quinti, Pientissimū & verè Catholici Imperatoris, armis texisset, & à casu præseruatā, pia eiusdem Imperatoris sollicitudine ad pristinae securitatis recuperandā spem erexisset.

Cum igitur singulari Dei gratia & mīa, & Christianissimū ac Potētissimū Imperatoris beneficio hæc quies Ecclesie reddita esset, vt iam de rebus Religionis consilia tutò capere liceret, Nos tantam opportunitatē, quam nobis diuinitus concedi diu desideraueramus, nequaquam negligēdam rati, omnes animi & consilii conatus ad Ecclesiarum nobis subiectarum disciplinam ritè constituendam, & ad plebis commissæ salutem promouendam, adeoque ad totius Pastoralis muneris nostri functionem pro virili exequendam, applicuimus. Et veterem Ecclesie consuetudinem

inse-

insequentes, quam Apostoli nobis reliquerunt, & Sancti Patres quasi per manus traditam sedulo retinuerunt, vt quoties in fide Christiana dubiæ quæstiones orirentur, aut aliqui ancipiti malo Ecclesia periclitaretur, mox Synodum conuocarent, & dubias quæstiones ex scripturis sanctis, iuxta communem Sanctorum Patrum consensum, & receptam Ecclesie authoritatem, dirimerent, & suborientibus difficultatibus & periculis collato inter se consilio, matura & salutaria remedia adhiberent: Nos quoque, post celebratam à nobis Synodum Diocesanam, præsentibus malis etiam amplioris consilii remedia credentes quærenda, iuxta Sacrorum Canonum sanctiones Prouinciale Concilium duximus congregandum. Itaque Comprouinciales nostros amicos charissimos, & dilectos in Christo Reuerendos Coëpiscopos, ad diem sextum Maij in ciuitatem nostram Moguntiam euocauimus, è quibus cum Reuerendus in Christo, & amicus noster sincere dilectus Mauritius, Episcopus Eystetensis, vir insigni eruditione præditus, & promouendæ Religionis zelo mirificè flagrans, per seipsum, plerique verò alij per idoneos nuncios, pietate, doctrina, prudentia, & consilii magnitudine præstantes viros, promptè comparuissent, omnium, qui conuenerant, voluntates, ad Ecclesie tot malis afflictæ, & tantis Cleri & populi vitiis deturpate, auxilium & emendationē valde pronas deprehendimus. Qua animorū alacri pietate, & pia alacritate exhilarati, inuocato Dei auxilio, sine ampliore mora sctō & necessario negotio manus admouimus, & quātum is nos adiuuare dignatus est, cuius causam agebamus, in cōmune cœpimus cōsilere, qua nā ratione populos nobis cōmissos in officio cōtinere

noxia

noxia quæque ab eis auertere, & salutaria eis prouidre, ac Ecclesias nostras in pace & puritate regere possimus, do nec generale Concilium his tantis malis aptiora remedia prouideret, & omnium abusu pleniorē emendationē, ac Deo propitio calamitatum & discordiarum finem inueniret. Tandem, cum dies aliquot continuis deliberationibus absumpsissemus, quæcumque ad Dei gloriam illustrandam, ad Ecclesiasticæ disciplinæ emendationem, & ad salutem commisi nobis Gregis promouendam, apta & salutaria nobis visa sunt, in Constitutiones diuinæ legi, Orthodoxorum Patrum sententiis, & sacrorum Canonum sanctionibus, ac recte rationis iudicio consentaneas, congressimus, & eas ut ab omnibus per ciuitates & Dioceses nostras obseruentur, communi consensu publicè adas decreuimus. Deditimus autē operam in iis nostris Constitutionibus, ut sollicitudinis & Pastoralis nostre curæ utraq; partem complecteremur, & Gregi nobis commisso custodia simul & disciplinā prestaremus: omnem curam adhibentes, quatenus in Ecclesiis nostris simul salutem Christi doctrinam, in qua vita & salus Christiani Gregis consistit, à prauis opinionibus immunem & puram conseruare, & disciplinā Ecclesiasticā magna ex parte collapsam erigere, & sic Christo Principi Pastorum, oues, quas suo sanguine redimēdas sibi existimauit, in illo die incolumes sistere ualeamus: nequaquam immemores, ut in gētis meriti sibi cōparant fructū, qui super Gregē Domini diligētī custodia excubātes, ad iustitiā erudiunt, & ad salutē promouēt multos: sic æterni supplicij se reos cōstituerē, qui ad Pastoralis officij functionē admori, sua negligētia interire sinūt animas, pro quibus sanguinem suū impendere, & acerbissimam mortem tolerare sustinuit, Christus Filius Dei.

N O S

SYNODI

PROVINCIALIS MO-

guntinæ Methodus de Doctrina Christiana.



OS IGITUR IUXTA APOSTOLI cōmōtionem, attendere volentes vniuerso gregi, in quo nos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo: memores nos aliquando coram iusto Iudice, pro animabus commissæ nobis plebis, rationem reddituros esse, in primis sollicita cura duximus prouidendum, ut in Ecclesiis per vniuersam nostram prouinciam & Dioceses constitutis, sana & sincera, tum etiam vna, consentiens & concors sacrosanctæ fidei nostræ, doctrina tradatur, quatenus populi curæ nostræ commisi, sicut vno Baptismo in spem viam regenerati, vnum colunt Deum, vnamq; fidem profitentur, & vnam omnes ambiunt vnius Patris in cælo hæreditatem: sic ad eandem vna & concordi doctrina erudiantur.

Proinde vniuersos & singulos Pastores, Parochos, Concionatores, & Curatos, per Ciuitates & Dioceses nostras constitutos, in Domino exhortamur, eisq; districtè præcipiendo iniungimus, ut tum vniuersam Christianam doctrinam, iuxta receptum sanctorum Patrum, & Orthodoxæ ac Catholicæ Ecclesiæ sensum (vitatis noxiis nouitatibus, & suspectis opinionibus penitus omis- sis) plebibus sibi commissis fideli cura tradant: Tum verò eos precipuè, qui hisce temporibus in controuersiam trahuntur, sacrosanctæ Religionis nostræ Articulis, in eam quæ sequitur sententiam, explicant.



Act. 10

Heb. 13.

1. Pet. 1.

Eph. 4.

A De

SYNODI PROVINC. MOGVNT.
DE SANCTA TRINITATE ET FIDE
Catholica, Cap. I.

P Rincipio, vt superbenedictæ Trinitatis fidem, simplici populo non anxia nimis & scrupulosa, sed plena & simplici oratione, iuxta scripturæ sacræ, & trium Symbolorum, Apostolici, Nicæni & Athanasij traditionem, exponat, & eos vnum Deum in trinitate, & Trinitatem in vnitatem credere & confiteri edoceant. Vnum eundemq; Deum in essentia, & in personis Trinum: Patrem & Filium & Spiritum sanctum.

DE CREATIONE ET CONSERVATIONE mundi,
Cap. II.

H Vnc Deum conditorem, conseruatorem & gubernatorem esse rerum omnium, in pœnis & vindictis iustum simul & misericordem: in donis liberalem, omnium quidem boni, sed nequaquam mali culpæ autorem: Si quidem nos peccata, nulla impulsu necessitate, sed malitia & vitio nostro, perperamus.

DE HOMINIS CREATIONE,
Caput III.

Gene. 1. **I** Nter cætera bonitatis & potentia suæ opera, Deum ab initio hominem ad imaginem & similitudinē suam condidisse, corporis & animæ viribus rectum, ornatum
Eccle. 15. iusticia & gratia: intus in anima pravis motibus vacuum, in corpore infirmitatis omnis & omnium ærumnarum expertem, & à moriendi necessitate immunem. In voluntate ad bona malaq; appetenda ex pari liberum.

DE LAPSV HOMINIS,
Caput IIII.

Q Vicum mandatum Dei conditoris sui prævaricatus esset, sanctitatem, gratiam, & iustitiam, in qua erat

METHOD. DE DOCT RI. CHRI. 2

erat constitutus, iustissimo Dei iudicio amisit: iræ Dei ac damnationi obnoxius, & in corpore simul & anima factus deterior, vt iam in corpore famem, sitim, & innumeras alias miseras & infirmitates, in anima concupiscentiam ad mala prolicentem, multasq; noxias & molestas ærumnas, ac tandem vtriusq; videlicet corporis & animæ, mortem sustineret.

DE PECCATO ORIGINALI,
Caput V.

H Oc primorum hominum peccatum, propagatione in omnes homines trāsire, ac secum pœnam suam trahere, vt sint natura omnes homines iræ Dei, mortis & damnationis rei, & in peccatum proni: Qui per libertatem arbitrii sui (quæ exigua & infirma in iis residet) nondum adiuti gratia Dei, ea quæ sunt spiritus, & ad salutem conferunt, non agnoscere, nedum appetere queant.

DE REDEMPTIONE PER CHRISTUM,
Cap. VI.

A B hoc Originalis peccati morbo, homines sola Dei misericordia, per Redemptionem, quæ est in Christo Iesu, liberari: Qui infirmitates & languores nostros in se suscipiens, & peccata nostra in cruce perfrens in corpore suo, Patri nos reconciliauit, & satisfactionem pro delictis nostris, quam in nostris meritis non inuenimus, de Christi sanguine & meritis eius assumimus: Cui dum per Baptismum inserimur, per Spiritum sanctum mundamur, & omnem reatum, quem nascendo vel propriè peccando contraximus, renascendo exuimus, & ab omni prorsus peccato liberamur, & per Spiritum sanctum sanctificamur, & innouamur secundum internum hominem, viresq; contra relicta concupiscentia impetus accipimus, vt iam non regnet peccatum in mortali nostro corpore: nec ad culpam nobis, sed ad meritum occasionem, si per gratiam Dei gnauiter pugnamus, si per gratiam Dei gnauiter pugnamus.

METHOD. DE DOCT. CHRIST.
uerimus, concupiscentia in nobis sit relicta.

DE IUSTIFICATIONE,
Caput VII.

Rom. 5. Tit. 3.
AT que hac ratione iustificari homines, cum qui immundi & Natura iræ filij, & damnationis rei sunt per Christi meritum peccatorum suorum remissione impetrata, renouantur spiritu Dei per Christum secundum internum hominem: Ut iam iustificati gratia ipsius, & reconciliati Deo, & ab æternæ damnationis reatu absoluti, hæredes sint secundum spem vitæ.

Talis autem Iustificationis initium ex Dei gratia provenire, quæ ante omne meritum, dum adhuc inimici & peccatores sunt, excitati & adiuti, & eidem gratiæ sic excitanti & adiuuanti consentientes & cooperantes, ad Iustificationem disponuntur.

Gen. 3. 23. Act. 10. Ioan. 1. 3. Rom. 3.
Hanc verò præuenientem gratiam, cum per alia media, tum potissimum in prædicatione verbi, ad Conversionem hominis operari, dum homo peccatorum suorum admonitus, & à Deo iusto Iudice constituta peccatis supplicia metuens, mox excitatus & adiutus Dei gratia, à timore peccati, ad Dei misericordiam cogitatione deflectit: & cum alia omnia in scripturis reuelata, tunc hoc præcipuè fide firma capit, Deum peccatoribus propter Christum misereri velle: Quæ subnixus fiducia, spem cõcipit, & timorem animo eijcit, ac Deum, quem ad miserendum procliuem, sibiq; iam propitium credit, diligere, & peccata, quæ ipsum à Deo separabant, odisse incipit, iamq; Deo per Baptismum vniri: Si nondum est in Christo regeneratus, aut si post acceptam Iustificationis gratiam in peccata relapsus est: per Pœnitentiã Deo reconciliari desiderat, eiq; per vitæ nouitatem placere, & per mandatorum ipsius obseruationem perpetuo adhærere velle proponit. Sicq; is, qui tunc primò fidei Christianæ initiandus venit, regenerationis lauacro suscepto, aut saltem votis expetito, dum suscipiendæ facultas non sup-

petit

METHOD. DE DOCT. CHRIST. 3

petit: Ille verò, qui post acceptam Iustificationis gratiam per peccatum rursus excidit, per Pœnitentiæ remedia Iustificationem accipit. Quæ cum peccatorum remissione etiam sanctificationem, & interni hominis innouationem confert, quatenus per meritum passionis Christi, quod iam credenti communicatur: Cum venia peccatorum homo etiam Dei gratiam, & per Spiritum sanctum vnà cum fide, simul Charitatem in corde diffusam ac spem accipit. Hisq; Dei donis in ipso permanentibus non iam solum reputatur aut nominatur, sed verè existit iustus, non tamen sua propria aut suis meritis comparata sed ex gratia Dei, per Christum donata & communicata, iustitia. *Rom. 5.*

Itaq; hominem iustificari gratis per fidem, quia nullis præcedentibus meritis Iustificatio acquiritur, sed ex Dei gratia per Christum donatur, his quibus in eum credentibus, mortis eius & fusi pro peccatoribus sanguinis meritum applicatur. *Rom. 3. Eph. 2.*

DE CHARITATE ET BONIS
operibus, & merito eorum,
Cap. VIII.

Charitatem verò sine qua nemo iustus esse potest, iam tum, cum in Iustificatione hominis accedit, operibus bonis grauidam esse, nec ociosam manere in verè iustificatis: Quin oblata occasione, & facultate permissa, promat de se opus bonum, & quotidiana faciat iustitiæ incrementa, secundum scripturam: Qui iustus est, iustificetur adhuc. Ea verò, quæ iustificati iam, membra sua exhibentes arma iustitiæ in sanctificationem, fide per dilectionem operante fecerint opera: Tum quia Deus bene operantibus, & in ipso sperantibus, mercedem misericorditer promittit: Tum etiam, quia eiusmodi iustificarum opera gratiæ Dei effectus sunt, & mouente & adiuuante Spiritu sancto fiunt: verè bona & Deo grata ac remuneratione vitæ æternæ digna esse. *1. Ioan. 3. Apo. 22. Rom. 6. Gal. 5.*

Non enim secundum humanas vires, æstimanda sunt
A iii iusti-

Ioan. 15.
Rom. 4.
iustificatorū opera, sed secundum eam gratiam, quam in ipsos influit Christus, ex qua deinde bona ipsorum opera promanant. Et secundum eam dignitatem, quam de Spiritu sancto, velut omnis boni operis motore & operatore, sumunt. Sic enim extenuandæ vires humanæ, vt non simul & gratia Dei vilis reputetur: Sic in bono opere faciendo, deprimenda est facultas hominis, vt interim cogitemus, Spiritus sancti motum, & in nobis efficacem, & apud Deum acceptum ac preciosum esse.

OBSERVATIONEM MANDATORUM
Dei, verè Christianis esse possibilem,
Caput IX.

Phili. 2. 4
EX eadem causa demonstrandum est, Mandatorum Dei obseruationem renatis ac iustificatis esse possibilem, non secundum Naturæ infirmitatem, quam habent cum aliis hominibus communem: sed secundum gratiam Christi, qua imbuti sunt, & secundum opem Spiritus sancti, quem renati ac iustificati acceperunt: Vt iam diuinorum præceptorum obseruatio renatis tantò sit possibilior, quanto maiorem gratiam, eodem semper opitulante spiritu, vel semel acceptam retinent, vel amissam nouo subinde munere recuperant.

DE VERA LIBERTATE CHRISTIANA,
Cap. X.

Rem. 5.
EAm vero libertatem suam (quam lex spiritus, quæ est ipsa Charitas, diffusa in cordibus nostris, nobis affert) Christiani intelligant, non, vt non impleant ea, quæ in mandatis Dei exiguntur, sed quatenus ad ea adimplenda: non, vt alij homines, pœnarum metu & imperio legis compellantur, sed ea iam non inuiti, immò vero volentes faciant: Ita, vt obedientia ipsorum secundum animi promptitudinem, & in rectè factis letitiam vera libertas, secundum præcepti adimplentionem, plena & pia seruitus existimetur. Alioqui cupiditatibus frena laxare

laxare, & carnis curam secundum eius desideria facere, non Christi libertas, sed perniciosa Diaboli seruitus, *Rom. 13.* reputanda est.

DE SACRAMENTIS IN GENERALE,
Cap. XI.

DOceant etiam Pastores nostri, Septem esse Ecclesiæ Sacramenta diuinitus instituta, per quæ velut apta remedia atq; instrumenta, & peccatis nostris mederi, & suæ gratiæ munera nobis impartiri, Deus voluerit. Eaq; non esse ritus simplices (quod quidam impiè con fingunt) sed sacrosancta signacula, & efficacia signa, quæ ritè ea suscipientes, gratiam eis conferendo, sanctificent. Gratiam vero Sacramentorum, non ex ipsa externarum rerum virtute, nec ex merito Ministri: sed ex internæ & diuinæ operationis virtute, æstimandam esse.

MODVS DOCTRINÆ, CIRCA
Baptismum, Cap. XII.

ET vt populus virtutem ac fructum vniuscuiusq; Sacramenti plane intelligat, concordī doctrina erudiri populos nobis commissos volumus, Vt credant Baptismi virtute omne prorsus peccatum, tam Originale quàm Actuale remitti, nec quicquam in ritè Baptizato relinquī, quod ab ingressu regni cœlestis remorari eum queat. Concupiscentiam enim, quæ post Baptismum in nobis, ad Agonem, non ad culpam relinquitur, iam non esse peccatum vera ratione peccati: sed peccatum ob id appellari, quod per peccatum facta, & ex peccato relicta sit, & ad peccatum amplius inclinet. *1. Cor. 6.*
Act. 2.
Rom. 7.

DE BAPTISMO PARVULORVM,
Caput XIII.

Datum etiam Paruulis in fide Ecclesiæ Baptismum, ad abolendum Originale peccatum, & ad salutem consequendam, efficacem esse. Eumq; semel ritè, etiam
A iiii à par-

à paruulo, susceptū, aut ab hæretico vel infideli in forma Ecclesiæ, cum recta intentione datum, sine iniuria Christi (in cuius mortis similitudinem semel pro nobis redimendis toleratæ traditur) sine grandi piaculo ampliùs iterari nec posse nec debere: ne inuocatio sanctissimi nominis Dei, in qua semel ablutio data est, per iterationem quasi vana accusetur: & mors Domini, in cuius similitudinem semel baptizatur, repetito Baptismo, quasi inefficax arguatur.

*BAPTISMVM, ADHIBITIS RITIBVS
secundùm veterem Ecclesiæ morem administrare,
debere Cap. XIII.*

Parochis verò, & aliis Ecclesiarum Ministris, per nostras ditiones constitutis, sedulo iniungimus, & sub graui pœna, præuaricâtibus sine remissione infligenda, comminamur, ne aliter, quàm adhibitis Exorcismis & Exufflationibus, Vnctionibus etiam & cæteris ritibus, per Catholicam Ecclesiam ab antiquo obseruari solitis, & in aqua non prophana, sed solenni benedictione, & sacri Chrismatis vnctione sanctificata, extra casum necessitatis, Baptismum administrare præsumant.

*VNCTIONES IN BAPTIZATIS
paruulis omisfas, expleri debere,
Caput XV.*

Cum autem circa sacrum Baptisma non rarò euenire soleat, vt mysticæ ille Vnctiones, iam inde ab initio Religionis Christianæ per vniuersam Ecclesiam adhiberi solitæ, vel ex necessitate propter metum imminentis mortis infantium, vel etiam ex contemptu omittantur: Nos Parochis nostris hanc curam seriò iniungimus eisq; districtè præcipiendo mandamus, vt de pueris sic baptizatis diligenter inquirentes, si compererint alioqui debitam verborum formam obseruatam, Baptismū quidem sic traditum approbent: Eos verò, qui dum baptizantur

rentur, Vnctiones non receperunt, seriò exhortentur & sedulo inducere tentent, vt consuetas Vnctiones cū Oleo sancto, in pectore & scapulis, & in vertice cum Chrismate (adiunctis solitis precationibus, quæ in Agendis habentur) aliosq; ritus omisfos, in seipsis per Catholicum Sacerdotem iuxta vetustissimum Ecclesiæ morem caute & piè suppleri curent. Quòd si depræhenderint in tali Baptismo nec formam debitam esse obseruatam, his qui sic baptizati frustra putabantur, totum Baptisma secundum Ecclesiæ ritum tradant.

*BAPTISMVM ANTE MERIDIEM
administrare deberi, Cap. XVI.*

Et vt tanto mysterio debita omnino reuerentia exhibeat, Parochos & Ecclesiarum Ministros seriò monemus, vt mane intra officia diuina, aut mox post ea peracta (non autem tempore pomeridiano post epulas & prædia, nisi necessitas aut periculum infantium accelerare Baptismum exposcat) cum multa sobrietate, & accurata deuotione, Baptismum administrent. Comestiones verò, & parum sobria conuiuia, quæ quibusdam in locis post Baptismū fiunt, per Ciuiles Magistratus inhiberi, aut saltem ad moderationem Christianis dignam reduci, volumus.

*MODVS DOCTRINÆ, CIRCA
Sacramentum Confirmationis,
Caput XVII.*

Sacramentum Confirmationis ex institutione Christi, & Apostolorum praxi, Ecclesiæ relitum esse, in quo, iuxta Domini promissionem, Spiritum sanctum, quo in Baptismo ad peccati emundationem signati sumus, cum nouo gratiæ suæ munere accipimus. Videlicet vt virtute eius contra Sathanæ tentationes muniamur: vt gratia eius, ad melius capienda fidei mysteria, illuminemur: & ad confessionem Christi fiduciam, & contra vitia robur accipiamus. Quæ omnia Christus Domini, per

*De conse.
distinct. 4
c. 16 anti
qua.*

*Ioan. 14.
15. 16.
Act. 8.
19.*

SINODI PROVINC. MOGUNT.

per Spiritum sanctum, quem missurus erat, fidelibus conferenda, disertè promisit. Ea verò, vt erant à Christo promissa, ipsis Apostolis in die Pentecostes exhibita, & ab eisdem per manuum impositionem in alios transfundi cœpta, actus ipsorum satis testantur: Vnde Ecclesia Catholica Spiritum sanctum, per manus Episcoporum fidelibus tradendi normam, accepit.

DE VNCTIONE CHRISMATIS IN
Confirmatione, Caput XVIII.

Diligenter etiam populum instruant, cur hoc Sacramentum, ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum ex eorundem traditione, adhibita Chrismatis vnctione, cœperit conferri. Nam cum in initio Spiritus sanctus ad euidentiore[m] recentis adhuc fidei commendationem, signo visibili influeret confirmatis: externa Vnctione, quæ illam internam designaret, tunc non erat opus. Postea verò adulta Ecclesia, & stabilita fide, cum signa externa apparere cessauerunt, nec iam amplius Spiritus sanctus visibiliter descenderet, mox in locum visibilis signi, Vnctio Chrismatis adhiberi cœpit, quæ his, qui confirmarentur, internam & spiritalem Vnctionem representaret, vt quid intus agatur per gratiam, foris aliquo visibili signo innotescat, & verbi fidem externi elementi similitudo confirmet.

DE COGNATIONIBVS SPIRITUALIBVS,
ex his Duobus potissimum Sacramentis,

Baptismi & Confirmationis, prouentibus, Cap. XIX.

Ex conc.
Mogunt.
Domini

De conf. **N**on rarò ex impedimentis cognationum spiritualium, difficultates & pericula solè euenire: Ad quæ dist. 4. c. cohibenda decernimus, ne cuiquam, siue ex sacro fonte Non plus leuado, siue ad Sacramenta Confirmationem tenendo, plures, quàm vnum Patrinum liceat adhibere.

Modus

METHOD. DE DOCTRI. CHRI. 6

MODVS DOCTRINAE, CIRCA

Sacramentum Pœnitentiæ,

Cap. XX.

Pœnitentiam, velut secundam post Naufragium tabulam, cuius præsidio, in peccatorum voraginem relapsi denuo perniciem effugimus, & gratiam reconciliationis & remissionis peccatorum recipimus: Pastores nostri in Ecclesiis sedulo vrgeant, & admoveant fideles, his partibus integram & vtilem Pœnitentiam absolui: Contritione, Confessione, & Satisfactione.

DE CONTRITIONE,

Cap. XXI.

Neq; enim remitti peccatum, cuius eum, qui admisit non pœniteat.

DE CONFESSIONE,

Cap. XXII.

ET cum ad sananda hominum peccata, Christus dupplicem Ministris Ecclesiæ suæ potestatem reliquerit, vt remittant aut retineant, soluant aut ligent: quatenus id remedium sanandis peccatis apponendum nobis Dominus tradidit, eatenus Confessionem, cum enumeratione peccatorum faciendam, nobis commendasse: Vt ex recensione peccatorum, is, qui discernendi potestatem accepit, sciat, vtram commissi muneris partem debeat exercere.

DE SATISFACTIONE,

Cap. XXIII.

Satisfactionem verò ab his, qui deliquerunt, doceant præstandam. Non illam quidem, qua culpa peccati, & æterna pœna diluitur: hæc enim Satisfactio ex sola Christi propitiatione donatur: Sed illa à nobis præstanda est, qua pœna temporalis, quæ post culpæ remissionem

SYNODI PROVIN. MOGVNT.

Dan. 4.
1. Cor. 11. sionem nonnunquam remanet, aut Eleemosynis aliisq; pietatis operibus redimitur, aut Ieiuniis & alijs Satisfactionibus (quæ tamen ipsæ etiam ex merito Pænitentiæ Christi efficaciam sumunt) auertitur.

DE ABSOLVTIONE,

Cap. XXIIII.

Sacerdotes verò, qui Confessionibus audiendis dant Operam, absolutionis formam non intricent pluribus membris, aut conditionibus appositis: sed planis & simplicibus verbis depromant. Ego absoluo te à peccatis tuis, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Non tamen prohibemus, vt idoneo loco, seu ante absolutionem, seu post eam, orationes, pro petenda delictorum venia, adiungant.

DE IIS, QUI CONFESSIONIBVS

audiendis præfici debent,

Cap. XXV.

Ex sino- do cele- brata Mo- gunt. sub Castina- le Nico- S. Petri ad Vincu- la, & Theodo- rico Ar- chiepisco- po anno 1451.
Episcopis, qui curam animarum susceperunt, hac præsertim tēpestate, qua variis & perniciosis opiniõibus simplicium animi, miserandum in modum, deprauantur: summo studio enitendum est, vt audiendis Confessionibus, quæ ad formans conscientias opportunè seruiunt, Sacerdotes viri integri & periti præficiantur. Vnde omnes Superiores fratrum mendicantium (qui in hac parte Parochis in adiutorium accedunt) inducendos censemus, & seriò monemus, vt fratres suos, quos ad audiendas Confessiones admittere destinauerint, priùs Commissarijs nostris exhibeant: Qui eos aut per examen, aut fide digno suorum Superiorum testimonio dijudicent, num idonei sint, quibus ouium Christi salus turò committi queat.

DE RESERVATIONE CASVVM

relaxanda, Cap. XXVI.

Ne

SYNODI PROVIN. MOGVNT. 7

NE autem propter casus reseruatos, à salutaris Confessionis remedio homines retrahantur, dum vel in promptu Sacerdotem non inueniunt, qui eos absolvere possit: vel etiam famæ suæ & sumptus timent, si longius pro absolutione consequenda ablegentur: Nos pudori simul & sumptibus subditorum nostrorum consulere volentes, præsentis decreto ordinamus & constituimus vt deinceps omnes Parochi, per prouinciam nostram ritè ordinati & vocati, omnesq; fratres mendicantes, per suos Superiores, vt præmittitur, præsentati, & per commissarios nostros approbati, potestatem habeant, vice & nomine nostro, absoluedi Laicos contritos & confessos, à quibuscunq; peccatis occultis, quantumuis grauibus & enormibus, quæ alioqui auctoritati nostræ ordinariæ reseruari debebant: exceptis duntaxat Homicidis, Hæreticis & Excommunicatis, ad nos, vel Commissarios nostros, mittendis.

NE RELIGIOSI LAICOS COMMV-

nient sine consensu Parochorum,

Cap. XXVII.

NVlli tamen Religioso (etiam si ad confessiones audiendas, vt præmittitur, admissus fuerit) licere volumus, cuiquam Laico sacrosanctæ Eucharistiæ communionem, sine speciali consensu Parochi, ad cuius curam ille pertinet, porrigere. Quemadmodum & Parochis omnibus seriò inhibemus, ne quenquam alienum Parochianum, sine consensu sui Parochi, extra necessitatem, siue ad Confessionem, siue ad vllius Sacramenti perceptionem, recipiant: Si tamen subditus rationabilem causam allegans, alij Sacerdoti Confessionem faciendi consensum à suo Parocho petiuerit, talem ei consensum volumus non denegari.

Ex con- cilio Frixla- ricnsi.

Sine

SINE TESTIMONIO FACTÆ

*confessionis nemo ad sacre Eucharistiæ
perceptionem admittatur,*

Caput. XXXIII.

ET ne contempto Confessionis remedio, homines sacrosanctam Eucharistiam percepturi, periculum sibi, quod Apostolus indignis & inexploratis grauiter comminatur, accerant: Parochis nostris iniungimus, ne post hac quenquã Parochianum, qui non suo Parocho Cõfessionem fecerit (saltem vbi non factæ Confessionis suspicio subfit) sine testimonio eius, cui Confessionem fecit, ad sacrosanctam Eucharistiam admittere præsumant

i. Cap. II.

DE CONFESIONE NON REVELANDA, Cap. XXIX.

Magnam etiam cautionem adhibere debent Confessarii Sacerdotes, ne de inuitatis criminibus, præfertim à iunioribus inquirendo, inexpertis, nouæ cupiditatis, aut criminis antè non tentati, occasionem obijciant. Caucant etiam, ne Confitentis peccatum sermone, vel signo, vel aliqua vlla ratione, prodant. Sed si consilio super aliqua re, in Confessione sibi manifestata, indigerint: rem ipsam, sine vlla authoris mentione, ad peritiorem referant. Quod si Sacerdos alicuius crimen, per Confessionem sibi compertum, vel aperto iudicio, aut saltem conditionis, aut loci aut vicinix, aut cuiuscunq; circumstantix significatione, reuelauerit: à Beneficio Ecclesiastico remotus, ad arctum Monasterium, ad agendam Pœnitentiam, retrudatur. Nec etiam Sacerdos confessorius à quoquam, sibi Confitente, de peccatis alterius expresso nomine, vilo modo Inquirere præsumat.

De pœnit.

Ex remi.

cap.

Omnis.

De pœnit.

Ex remi.

cap.

Fritzlar.

DE SATISFACTIONIBVS,

Caput XXX.

Sacerdotes etiam Confessarios monemus, eisq; præscipiendo iniungimus, ne in vsura, furto, rapina aut fraude,

fraude, absolutionem Confitenti impertiantur: nisi ea, quæ iniuste ab fuit, quatenus eius facultates permittunt se restitutum promiserit. In aliis leuioribus delictis, Satisfactiones, iuxta qualitatem culpæ, aut confitentis possibilitatem, moderentur.

Eosdem hortamur, vt iuxta delictorum qualitatem, Satisfactionis modum temperent, & auaris Eleemosynas, incontinentibus ieiunia, pro Satisfactione imponant, Quo semper Confitentium vitia, contrariis virtutibus compensentur.

MODVS DOCTRINÆ, CIRCA

Sacramentum Eucharistiæ,

Cap. XXXI.

DE veritate corporis & sanguinis Dominici, in Eucharistia plebem ex verbis Domini instruant, vt er edant, post Consecrationem, sub speciebus panis & vini, veram corporis & sanguinis Domini substantiam contineri: Nec iam diuidi Christum, aut sanguinem eius à carne separari vnquam posse, quoniam amplius non moritur, ideoq; sub alterutra specie Christum integrum contineri, & sub vna specie tantum à fidelibus, quantum sub vtraq; sumi.

DE COMMVNIONE VNIVS

speciei, Cap. XXXII.

Cvm autem nemo fidelium dubitet, virtutem sacrosanctæ Eucharistiæ, non ex speciebus pendere, sed ex viuifica Christi carne & sanguine prouenire: iam ne hoc quidem quisquam fidelis dubitare debet, illum sub vna specie communicandi morem, ad salutem fumendum æquè vtilem & efficacem esse, quàm alterum sub vtraq;: Cùm constet, non minus accipi in vna specie, & eum quoq; communicandi morem in vna specie, iam inde ab initio praxis Christi & Apostolorum, in Ecclesiam introduxerit. Vnicuiq; autem fidelium, ex his duobus communicandi modis, eum merito tenendum esse, quem

SYNODI PROVINC. MOGVNT.

quem Ecclesia, propter causas rationabiles, pro temporum ratione, elegerit, & populo tradiderit obseruandum.

VT A IEIUNIS ET CONFESSIS

Sacrosancta Eucharistia sumatur,

Caput XXXIII.

P Arochis etiam & Ministris Ecclesiarum serio in hibe-
mus, ne cui extra casum infirmitatis aut neces-
sitate, sacrosanctam Eucharistiam, nisi ieiuno & Confes-
so, porrigere praesumant.

MODVS DOCTRINAE CIRCA

Sacramentum extreme Vnctionis,

Cap. XXXIII.

S Acram Vnctionem doceant Pastores nostri, ad in-
firmorum, & eorum, qui ad vitae exitum vergunt,
praesidium, à pio Domino traditam esse, quam eius iussu
primi Apostoli exercuerunt. Quae dum per orationem
fidei infirmis adhibetur, per diuinæ virtutis operatio-
nem contra corporis infirmitates, & terrores conscien-
tiæ, alleuiationem & hilaritatem ritè sumentibus præbet:
leuiora peccata tollit, & grauiorum restantes reliquias
expurgat, iuxta Apostoli testimonium, & receptam con-
sentientis Ecclesiæ doctrinam.

MODVS DOCTRINAE CIRCA

Sacramentum Ordinis,

Caput XXXV.

I ncollatione Ordinum, quæ cum impositione man-
uum, velut visibili signo, traditur: doceant, ritè ordina-
tis gratiam diuinitus conferri, qua, ad Ecclesiastica mu-
nera ritè & vtiliter exercenda, apti & idonei efficiantur,
& qua rata sint & efficacia, quæ à ritè ordinatis in Ec-
clesia, iuxta Christi & Ecclesiæ institutionem, gerun-
tur. Hanc vero gratiam, esse ordinis & muneris, non ho-
minum

METHOD. DE DOCT. CHRIST.

minum aut personarum, nec ad cuiusquam priuatam: Sed
ad communem totius Ecclesiæ vtilitatem, commodari.
Ideoq; in ritè ordinatis, siue boni siue mali sint, effica-
cem esse. Atq; ita inter dispares Ministros, Domini nos-
tri dona semper æqualia, semper bona & sancta permanere.

MODVS DOCTRINAE CIRCA

Sacramentum Matrimonii,

Caput XXXVI.

D E hoc Sacramento doceant Pastores nostri, Matri-
monium, ab initio ad officium institutum, random
ex Dei benignitate, infirmis hominibus ad remedium
cessisse, Vt iam hæc maris & femine commixtio, quæ
alioqui, propter turpem concupiscentiæ motum, peccato
ex se non cerneret, propter gratiam Sacramenti, coniugi-
bus ad peccatum non imputeretur: Sed sit honorabile in
omnibus conuubium, & Thorus immaculatus. Esse au-
tem coniunctionum maris & femine, duorum tantum,
nec alicuius tertij consortium, nec duorum à se inuicem
separationem, nisi per alterius mortem, vllò modo ad-
mittentem. Quod si ob fornicationem (quæ sola illis, se-
parandi causa, à Domino permisa est) coniuges inuicem
dimiserint, manere debere inuptos, aut dimisso coniugi
reconciliari, & nutri eorum, donec vixerit prior con-
iunx, ad secunda transeundi Matrimonia potestatem esse

Hebr. 13.

1. Cor. 7.

Matrimonia etiam, sine consensu parentum legitime
inita, non debere rescindi.

Hanc coniunctionem ex libro consensu contrahen-
tium per verba de præfenti expresso, stabiliri, nec à pa-
rentibus (si forte eorum voluntas non accesserit) rescin-
di posse.

MONENDOS LIBEROS, NE INSCIIS
parentibus contrahant, Cap. XXXVII.

V Olumus tamen liberos sedulo admoneri, vt diuini
præcepti memores, velint in parentum esse potestate

nec illis infcis aut inuitis , inire Matrimonia , aut quicquàm rei seriæ inchoare, præsumant.

DE MATRIMONII SOLENNITATE,

Caput XXXVIII.

ET vt Matrimonio suus honos conferuetur , coniunctiones coniungum volumus in cõspectu Ecclesiæ, adhibita celebritate cõsuetæ, confirmari : ne per occultas copulationes, sub prætextu coniugij, illicitæ libidines grassentur. Et vt pericula, quæ ex clandestinis copulationibus suboriri possunt, excludantur: nomina contrahere volentium, ante coniunctionem, tribus diebus festiuis, non immediatè se inuicem sequentibus, sed per aliquot dierum interualla à se distantibus, in Ecclesia coràm multitudine, proponi debent, Vt si qui impedimentum Matrimonij inter eos nouerint, id ante nuptiarum diem Parocho reuelent . Nec contra huiusmodi denunciationem, nisi ex ardua & necessaria causa, dispensari debet. Quòd si qui tẽpore huius denunciationis præsentés fuerint, & impedimentum reticuerint, post coniunctionem in cõspectu Ecclesiæ celebratam, amplius ad eius Matrimonij accusationẽ, aut ad testimonium contra ipsum, admitti non debent. Caueant etiam Parochi & Curati nostri, ne peregrinos & ignotos ad Matrimonia iungenda admittant, nisi libertatis suæ testimonia ex his locis attulerint, vbi prius vixerunt. Leuitates verò, quas in pulsan do sponso (& si quæ sunt similes) abusus in ipsam vsque Ecclesiam inuexit, omittantur: Saltationes lasciuæ, & commensationes parum sobriæ, si in totum tolli nequeant, saltem ad moderationem Christianis dignam reducantur, vt sic hilaritas nuptialis, pietate & modestia cõdita, oculis Dei, qui Matrimonij author & copulator est, cõmendetur. Parochis seu Curatis, per vniuersam Prouinciam nostram cõstitutis, iniungimus, Si sub cura sua habuerint subditù, qui mulierem, cui Matrimonio iungi per impedimenta Canonica non potest, tamen vxoris loco publicè foueat, vt ad dimittendam eam, ipsum ferio inhortentur:

Ex Cõcil.
Fritzlar.
de Spons.
& Matrimo.

tur: aut, Si Matrimonium eorù dubiù sit, num de iure subsistat. eosdem infra duos proximos menses ad nos, aut Officiales nostros, pro declaratione accipienda, venire iubeant. Quod si sic moniti ab inuicem nõ discesserint, aut declarationem, vt præmittitur, non petiuerint, aut nostræ vel Officialiù nostrorù decisioni & sententiæ non acquiescerint: ab Ecclesiasticis Sacramentis protinus arceantur, & nisi ante mortè peccatum suum emendauerint, aut saltem id confessi fuerint, aut ferium super eo animi dolorè ostenderint, Ecclesiastica etiam sepultura priuentur.

DE BENEDICTIONE SALIS, AQUÆ,

& aliarum rerum, quæ per Exorcismos & orationes, ad vsum fidelium præparantur,

Caput XXXIX.

Veterem morem in Ecclesia sequimur, dum salem, aquam, & cæteras quasdam res, in vsum fideiù, per orationes in verbo Dei præparamus. Quem morem nemo repræhendet, qui secum reputauerit, Ecclesiam inter cætera salutis & vtilitatis suæ, tum augendæ, tum conferuandæ præsidia, etiam exorcizandi potestatem, contra insidias Dæmonum, aliasque noxias pestes auertendas, accepisse. Quã potestatem, dum per res externas, ad vtilitatem fidelium, exercet Ecclesia: nimirum in eo Sãctorum imitatur exempla, qui ad eliciendos quosdam effectus, diuino iussu res corporales adhibuisse leguntur. Quẽ morem in Ecclesiis nostris præcipimus conferuandum, dummodo populum Pastores sedulo doceant, effectus, qui inde petuntur, non ipsarum rerum efficaciam: sed diuinæ virtutis operationi, per fortissimi nominis diuini inuocationem, tribuendos esse: Et cauerint, ne rebus talibus ad impias superstitiones abuti, quifquam præsumat.

Mat. 10.
Luc. 10.

DE CÆREMONIIS,

Caput XL.

Similiter & reliquas Cæremonias, quæ aut in cultu diuino ornatum augent, aut mentes hominum ad pias & vtilis

SYNODI PROVINC. MOGVNT.

& viles cogitationes excitare possunt : diligenter retinendas censemus , præsertim eas, quas ex multa antiquitate profectas, & per vniuersam Ecclesiam obseruatas, quasi per manus traditas accepimus. Quales sunt, quæ in admittatione Sacramentorum adhiberi consueuerunt: quibus adnumeramus, vt templa) velut orationum & diuini cultus & Sacramentorum officinæ) per loca idonea habeantur, ad quorum ornatum (simul etiam velut diuini cultus & promouendæ pietatis apta instrumenta) in iis signa crucis, aliasq; imagines, vexilla vestes; sacras, altaria, & vasa sacra, conseruari & vsurpanti volumus.

DE IMAGINIBVS,

Cap. XLI.

Imaginum autem vsus, velut pro erudienda plebe, & omnium animis excitandis vtilem, in Ecclesiis nostris retineri serio mandamus, dum modo Pastores nostri populum accuratè moneant, Imagines non ad id proponi, vt adoremus aut colamus eas : sed vt quid adorare aut colere, aut quarum rerum vtiliter meminisse debeamus, per Imagines recordemur. Procraces vero Imagines, & nimio artis lenocinio, ad mundanæ potius vanitatis speciem, quàm ad pietatis commonitionem, effigiatas: in templis proponi omnino vetamus, tam lasciuam artis ostentationem, frugi & seuro patrifamilias intra priuatas ædes grauem, in templis profus intolerabilem censentes.

DE ABVS V IMAGINVM PRO-
hibendo, Cap. XLII.

Cum vtilis & legitimus Imaginum vsus, intra eos limites contineri merito debeat, vt simplex populus non ipsas Imagines adorare, aut fiduciam in eis vllam ponere: Sed quem adorare, quosue honorare, & vnde omnia bona sperare debeant, per Imagines discant recordari. Nos prauæ superstitioni viam præcludere volentes

METHOD. DE DOCT. CHRI.

ii

lentes, omnibus locorum Ordinariis iniungimus, vt si forte in Territoriis suis, ad Imaginem aliquam concursus fieri, & homines ad ipsius Imaginis figuram respectum habere, & quasi quandam Diuinitatis opinionem illi tribuere, animaduertent: ipsam Imaginem (adhibitis prius in consilium Theologis, & Christianarum antiquitatum scientissimis iuxta ac pientissimis viris) pro causæ qualitate, aut tollant aut mutent, & aliam, à prima notabili quantitate differentem, reponant, ne rudis populus, in intellectu suo depressus, & ideo per media corporalia ad diuina erigendus, spem suam contra Ecclesiæ intentionem, in corporali, & quidem certa imagine, priuata Phantasia atq; in hæsiōne colloct: quasi in illa quædam necessitas, vt per eam, & non aliter, induceret Deus & Sancti, id facere, quod petuntur. Verùm hæc omnia, vt dictum est, de Theologorum & sapientissimorum virorum sententia, vt sic salubri Ordinario prouidentia, à pernicioso Idololatriæ scelere, populi præseruetur simplicitat.

DE RELIQUIIS SANCTORVM

Caput

XLIII.

Reliquias etiam Sanctorum, velut diuinæ gratiæ olim receptacula, & verissima Christi membra, & pura Spiritus sancti domicilia, monemus in Ecclesiis nostris vel ob id proponendas, & religiosa pietate venerandas, vt per eas fideles commoniti, discant virtutem & fidem Sanctorum imitari, Et alicubi in iis sanguinolentas notas & pro fide Christi tolerati Martirij vestigia, cernentes: admoneantur spem fidei nostræ non esse inanem, pro qua omnia dira pati, sancti Martyres in animum sibi induxerunt. Quorum exemplo, ipsi etiam, ad aduersitatum omnium tolerantiam animentur.

DE PEREGRINATIONIBVS AD

reliquias Sanctorum.

Cap.

XLIII.

Eregrinationes etiam ad certas Sanctorum Reliquias, aut ad templa memoriis eorum dedicata, vel ob

B iii

id

id Christiano populo censemus permittendas, Vt ex ipsorum locorum admonitione, homines ad imitandam Sanctorum fidem, pietatem, & constantiam, vehementiore affectu incitentur, & vt maiori deuotione se meritis Sanctorum sociari, & precibus eorum adiuuari postulent: dummodo sedulo caueant Pastores nostri, ne vspiam incertæ Reliquiæ, aut nouæ sine Ecclesiæ autoritate, aut ne vllæ etiam ad quæstum proponantur, & ne concursus superstitiosi ad statuas, prophanis potissimum locis sitas, aut priuata autoritate erectas, fiant.

DE INVOCATIONE ET VENERATIONE Sanctorum, Cap. XLV.

Doctrinam magno totius Ecclesiæ consensu iam inde ab initio receptam, & quasi per manus traditâ, retineri in Ecclesiis nostris omnino volumus: Sanctos videlicet, qui in fide Christi nos præcesserunt, & vitæ huius cursum beato fine clauserunt, veluti eius corporis, quo Christo coniungimur, nobilissima membra, à nobis merito honorari, non tamen eo, qui vni Deo debetur, cultu: sed eo societatis & dilectionis cultu, quo in hac vita sancti homines, à nobis ritè coli possunt. Illos tamen tantò deuotius, quantò securius post incerta omnia superata, quantò etiam fidentiore laude prædicamus iam in vita feliciore victores, quam in ista adhuc vsque pugnantes. Quorum etiam meritis associari, & orationibus adiuuari, ritè petimus, qui vno spiritu nobiscum colligati, velut eiusdem corporis membra, vtique hac nobis lege Charitatis obligantur, qua pro inuicem membra sollicitudine gerere, & pro inuicem orare iubentur, vt salutem consequantur: Quod eo magis Sanctos in alia vita pro nobis facere cõfidimus, quò illis post infirmæ carnis depositionem, & feruetior Charitas, & de se securis, ad promouendam aliorum salutem, promptior facultas accessit.

DE ORATIONIBVS PRO DEFUNCTIS, & de Purgatorio, Cap. XLVI.

Ex

Ex eadem lege Charitatis, qua nobiscum adhuc coherent, qui in fide & communionem Christi ex hac vita migrarunt, tenendum est: Defunctos viuorum pietate & orationibus adiuuari, saltem eos, qui cum viuerent, vt eis hæc prodesse possent, meruerunt. Qui non ita boni ex hac vita discesserunt, vt iis non indigant: nec ita mali, vt eis hæc prodesse non queant.

Est autem consentiens Ecclesiæ doctrina, multarum scripturarum collatione, & euidenti ratione firmata, Talem esse quendam medium decedentium statum, qui non mox, vt carnem hanc exuerint, aut æternis cruciatibus tradantur, aut ad beata illa Sanctorum confortia admittantur: In quos, moderata & mixta Clementiæ seueritate, vindicat ad tempus is, qui & misericordiæ suæ, & tormentorum modum, & mensuram nouit. Alioqui, cum ex iis qui peccauerunt, & per penitentiam sanantur, alij in hac vita multas aduersitates, alij aut paruas, aut nullas experiantur: & cum multi ex hac vita migrent, à lethali- bus quidem criminibus immunes, leuioribus tamen alijs alio magis implicatus: quorum tamen nemo, siue ob plura, siue pauciora hæc delicta quotidiana, damnationem æternam sustinebit: Non facile modus inueniri posset, quomodo Deus (qui est in omnibus, & erga omnes iustissimus) non iniustus videretur, si non post hanc vitam per temporales, & non æternas pœnas, omnium compensatio expectaretur.

DE IEIUNIO, ET DELECTO CIBO- rum, Caput XLVII.

Lebem Christianam Pastores nostri (sumpta ex diuini literis commotione) ad perpetuam vitæ sobrietatem sedulo cohortentur, vt cibi potusque moderatione: carnis lasciuiam comprimentes, ad exercitia pietatis mentem liberius intendere queant. Eos verò, quos necessitas nulla excusat, etiã ad statâ Ecclesiæ ieiunia obseruanda inducât: Ipsumque ieiuniũ, diuini esse præcepti doceant. Tèpora verò ieiunandi, prout salubritati corporũ & animarũ expedire videbatur, ab Ecclesia ordinata.

B iij & totius

Ratio pro Purgatorio.

August. cõtra Fau- stũ, li. 20. cap. 21.

1. Cor. 12. Iacob. 5.

SYNODI PROVINC. MOGVNT.

& totius Christiani orbis consensu recepta, & iam inde ab Apostolorum temporibus observata sunt: quæ qui extra necessitatem non observauerint, velut Ecclesiasticæ disciplinæ violatores & consuetudinum Ecclesiæ temperarij contemptores, severitate pœnarum coerceri debent.

Huic ieiuniorum observationi, iungendus est ciborum delectus, itidem consensu totius Ecclesiæ ad nostra vsq; tempora retentus: monendiq; sunt fideles, ut diebus ieiuniorum, similiter sextis feriis, & Sabatis, à carnium & aliorum ciborum usu, quos Ecclesiæ consuetudo per eos dies huc vsq; vitare perscueravit, extra legitimam necessitatis excusationem, sibi temperent, non quidem ab iis, velut immundis, abstinentes: sed edomandi corporis causa, propter animam, ab irrationabili us motibus amplius humiliandam. Non tamen existiment Christiani, sola carnis abstinentia se Deo gratos esse posse (cum meminerint, primos homines, qui carnem nondum gustauerant, ob vitæ nequitiam, diluuij, immisione delectos) Sed cum abstinentia carnis, etiam cæterorum ciborum moderationem, & perpetuam totius vitæ sobrietatem, coniungant.

DE CONSTITUTIONIBVS ECCLESIAE
sive Cap. XLVIII

DE Constitutionibus Ecclesiæ, quæ ad disciplinam Ecclesiæ continentur, ad bonum & decentem ordinem, in Ecclesia tuendum & conservandum, & ad pietatem publicè ac priuatim promovendam, introductæ sunt: Pastores plebem sibi commissam probè & diligenter instruant, ut discant, eas ab ordinata potestate conditas, velut Dei ordinationes, reuerenter agnoscere, & gratanter eisdem obedire. Siue hæ constitutiones, feruentur ex consuetudine, quam Paulus violari non vult. Si quis vult contentiosus esse (inquit) nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei: Siue tradantur scriptis Canonibus, quales Apostoli Spiritui sancto

tribuer

METHOD. DE DOCT. CHRIST. 81

tribuere non verentur. Visum est (inquiunt) Spiritui sancto, & nobis, itaq; plebs Christiana Ecclesiæ constitutiones, nequaquam vt traditiones hominum (quales erant Iharisæorum, ad subuersionem diuinæ legis adinuentæ: quibus Deus frustra colitur) aspernantur: Sed, vt ad pietatem colendam, & continentiam in officio plebem vtilis, libentur amplectantur, nec eas existiment sine grandi piaculo violari posse: Considerantes, etsi hoc in præceptis diuinis non continetur, quod tales Maiorum nostrorum constitutiones iubent, tamen vt Maioribus obediamus (saltem in iis, quæ legi diuinæ non aduersantur) discreti iuris diuini est. Vnde & per occasionem talium constitutionum transgressiones, grandis peccati reos faciunt temerarios violatores: maximè, dum ex contemptu, aut cum scandalo, charitatem violant, quorum vtrunq; per se peccatum mortale operatur. Alioqui Ecclesiæ constitutiones suas charitati & necessitati libenter submittit.

Hanc doctrinam, quæ in superioribus compendio traditur adiecta institutione ad Christianam pietatem, diffusius explanari curabimus. In quæ omnia, quæ ad sacræ Religionis nostræ fundamenta pertinent, & Christianis omnibus cognitu admodum necessaria sunt, copiosius explicabuntur: Quam à Parochis & Pastoribus nostris diligenter legi, & ex ea populos sibi commissos, in iis quæ sunt fidei, sedulo erudiri volumus.

NE IGNOTI ET INEXPLORATI,
ad prædicationis munus admittantur,
Cap. XLIX.

ET quo minus in posterum salutaris Christi doctrinæ sinceritas, peruersis dogmatibus, aut noxiis opinionibus & hæresibus, depræuetur: Decernimus, definimus & præcipimus, vt homines vagi & ignoti, qui testimonia Episcoporum suorum, tam eius à quo recesserint, quam illius, ad cuius Dioccesim diuerterint, non habeant à Ministerio verbi, seu prædicationis officio, in Prouincia

cia

*guntiaec
lebrata
anno 48.* cia nostra prohibeantur: & soli admittantur hi, qui ad id munus ritè vocati, & ordinaria autoritate examinati fuerint, & approbati.

Fratres tamen mendicantes, quorum pleriq; pietate & doctrina satis instructi, in afferenda Catholicæ doctrinæ veritate, his temporibus vtilem sane operam præstant (saltem ubi tales noti sunt, & probitatis, doctrinæ, & modestiæ suæ testimoniū à suis Superioribus habent) à concionandi munere excludere non intendimus. Quos tamen ipsos, etiam priuquam concionandi munus in Provincia, aut Diocæsibus nostris, sibi vsurpent: nobis aut Vicariis nostris præsentari, & per eos, vel examine præuio, vel sufficienti & fide digno suorum Superiorum testimonio, tanquam ad id munus idoneos approbari volumus.

*OBSERVANDI PAROCHI ET CON-
cionatores, quomodo quisq; doceat,
Cap. L.*

*Ex eadē
Synodo.* ET vt pestilentes doctrinæ, & perniciosi errorum Magistri, ex Ecclesiis protinus eiiciantur: mandamus, & iniungimus Visitatoribus nostris, Archipresbyteris, seu Decanis Ruralibus, & Testibus Synodalibus, nunc existentibus aut in posterum futuris, vt Dioceses crebrò & sedulò lustrantes, si quos compererint Ecclesiæ Ministros, in exponendis scripturis sacris, & administrandis Sacramentis, ab Orthodoxorum Patrum communi consensu, & recepta Ecclesiæ consuetudine & autoritate, defectètes: tales Ordinario loci, aut eius Fiscali, pro excessuum qualitate aut corripiendos, aut è Ministerio Ecclesiæ prorsus abiiciendos, denuncient.

Iidem, si quos per Dioceses viros, doctrina & pietate excellentes, & ad Ministeria Ecclesiæ idoneos, cognouerint: loci Ordinario in locum abiectorum sufficiendos, aut alioqui destitutus Ecclesiis præficiendos, cõmendent.

Commisimus autem Vicariis seu Officialibus nostris cisq; in hoc viros pios & peritos adhibuimus, vt Archipresbyteris,

presbyteris, & Testibus Synodalibus, tales querelas ad Religionem pertinentes deferentibus, consilio & auxilio sint.

VIDENDVM, QVIBVS LIBRIS

Parochi & Concionatores passim vtantur,

Caput LI.

Libros autem Parochorum & Concinatorum Visitatores inspiciant, & ab eis diligenti inquisitione cognoscant, quosnam potissimum Auctores legant, & in concionibus imitentur. Contagiosos autem, & de hæresi suspectos libros, ab eis auferant: & ad lectionem Veterum Orthodoxorum, aut etiam recentiorum, qui suspecti non sint, eos exhorrentur.

*PLEBS VT CONCIONIBVS ET DI-
uinis intersit, per Magistratus adigenda,*

Caput LII.

ET ne Parochi ac Concionatores sedulitatis & laboris sui fructum amittant, si plebs sacra eorum & conciones audire refugiat: præfectis nostris per loca ditibus nostris subiecta iniungimus, vt tempore concionum, & diuinorum officiorum, ociofam turbam è tabernis è foro & plateis abigant, & concionibus & diuinis Officiis interesse, nisi legitimis causis impeditos, debitis pœnis compellant.

DE HORIS CANONICIS

Caput LIII.

ET vt ab hac retinendæ in verbo Dei puritatis cura propinquo gradu ad diuinorum officiorum celebrationem ritè constituendam, & debita cum veneratione peragendâ, transeamus: Clericos, quibus ea cura imbuti, sedulò commonendos, & per Prælatos digna mandamus

damus animaduersione compellendos. Vt non vocis tantum modulatione, sed deuotione cordis, debitum suæ feruitutis pensum absoluant, & ad diuina officia peragenda corpore pariter & mente se componant, quo simul & Deo cultum gratum exhibere, & populo confideranti deuotionem augere, valeant.

Nemo in choro aliis psalentibus seorsim legere aliquid, aut suas horas Canonicas orare, aut fabulari, aut aliis leuitatibus intendere permittatur: Negligentes vero legere horas Canonicas, si deprehensi fuerint, per Prælatos subtractione portionis fructuum, in Eleemosynas pauperum, aut alios pios vsus conuertendæ, puniantur.

QUÆ AD TREMENDA MISSÆ
Mysteria, Cap. LIIII.

Ex eadē
Synodo.

Circa sacrosanctæ Missæ Officium quo immensum redemptionis humanæ beneficium, & summum illud ac tremendum Christianæ Religionis Mysterium recolitur volentes omnia prouidere, quæ populi animos, ad amorem & venerationem tanti Mysterij, inducere valeant: In primis sancimus & præcipimus, ne quis Sacerdos solus, ad celebrandam Missam accedere præsumat: sed ad minimum vno aut altero, quasi teste adhibito, qui, quod publico nomine agitur, ratum habeant, & ad publicas orationes Ecclesiæ nomine respondeant.

PRÆBYTERI, CVM IRREVERENTIA
Missas celebrantes coercendi,
Cap. LV.

Præbyter verò, qui vespertinam computationem vsque ad intempestam noctem produxerit, & mane adhuc hesternam crapulam eructans, celebrare præsumserit, aut qui hoc sacro Mysterio ad superstitiones abuti ausus fuerit: Prælati sui arbitrio seuere puniatur.

Similiter & hi qui talem vitæ turpitudinem, leuitatem aut negli-

negligentiam, ad celebrationem Missarum attulerint, vt & plebis animos offendant, & ob hoc sacro abhorre-
re faciant: Prælatorum suorum auctoritate corèceantur.

DE PREMITTENDA SACERDOTUM
confessione, ante sacrificium Missæ,
Caput. LVI.

ET cum secundum Sacram scripturam maledictus sit qui opus Dei agit negligenter. Nemo autem æquè negligenter opus Dei in Ecclesia agere videatur, quam qui propriæ salutis prodigus, impura conscientia, & illotis (vt dicitur) manibus, tremèdo altaris sacrificio asistit. Cõtra id, qd propheta ait Quid est, quòd dilectus meus facit in domo mea scelera multa? Nunquid carnes sanctæ, auferent à te malitias tuas? Et Apostolus. Probet (inquit) se homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Cũq; non minimam malorum huius tempestatis partem, huic malo acceptam feramus, quod tam impure non diudicando corpus Domini, sacrosancta hæc Mysteria tractantur: Nos animarum salutis cupidi: statuimus & ordinamus, ne aliter liceat cuiq; Missam celebrare, quã præmissa Sacramentali Confessione & Absolutione emendato, iis, quæ huius Sacrificij deuotio requirit, antea persolutis. Iniungimus præterea & districte præcipiendo mandamus Decanis, alijsq; Prælati, vt diligenter super hoc excubias agant, & si quos ita delinquentes deprehenderint, cõdigna animaduersione plestant: Super quo etiam conscientias eorum duximus onerandas.

MISSÆ, SVB CONCIONE AVT
solenni sacro, non celebrentur,
Cap. LVII.

ET cùm Apostolus iubeat, omnia honestè & secundum ordinem fieri in Ecclesia, citraq; tumultum: statui mus & ordinamus, ne deinceps Concionis tempore
aut

aut sub solenni Missa, aliæ speciales Missæ celebrentur: Sed aut Concionem & solenne Sacrum præcedant, aut in aliud tempus differantur, ne populus in diuersa distractus, nulli Sacro, aut Concioni fati intendat. Quam rem, pro opportunitate cuiusuis loci & temporis, Prælatorum discretioni relinquimus curandam.

CONCIONATORES, PLEBEM

*Verum Missæ usum diligenter edoceant,
Caput LVIII.*

Concionatoribus autem & Parochis nostris, simplicem plebem committimus, & præcipimus diligenter erudiendam, vt vsus Mysterij huius intelligant, ac omnem mentis vim atque sensum, tam salutarî actioni intendant, & voto id agant, quod Sacerdos agit Ministerio, vt scilicet discant & ipsi suam, totiusque Christiani orbis salutem, tam salutaris & gratæ Hostiæ interuentione, & Christi Iesu meritis, Deo Patri commendare. Præterea Sacram Eucharistiam cum celebrante, si non ore, saltem fide & desiderio cordis, ad percipiendû spiritalem eius fructum, crebrò sumere.

*MISSA, QVO GESTV ET QVA
deuotione audienda, Cap. LIX.*

Sedulò commonendus est populus fidelis, Clerici etiam per Prælatos debita animaduersione inducendi, vt in celebratione Missarum, aduersus tantum Mysterium, quantum quisque per valetudinem potest, etiam corporis gestu reuerentiam quandam adhibeant: Videlicet, vt dum in Collectis, pro communi orbis Christiani incolumitate, ad Deum preces funduntur, ipsi quoque, tanquam huius sacræ Communionis ciues, suas preces cum oratione publica coniungat, & vultu ad altare verso, aperto & demisso capite stantes, gestum orantibus conuenientem præ se ferant. Pari Religione ad nomen Saluatoris nostri Iesu Christi, similiter ad Euangelium, Magnificat,

Magnificat, Benedictus, Nunc dimittis, Gloria patri, cæteraque id genus diuinorum Officiorum partes, sic genuum flexione, apertione capitis, ac totius corporis gestu se componat, vt ad ea, quæ ibi aguntur, animum intendere videantur.

Iam statim ab inceptione Canonis non sedeant: sed ad tremendi Mysterij pertractationem intenti, vultu itidem ad altare conuerso, corporibus humi demissis, & mente in cælum eleuata, sub silentio, Redemptionis humanæ beneficium, & Christi passionem secum meditantes, salutis nostræ auctori de impenso sanguine, & tolerata pro nobis morte, debitam gratiarum actionem exhibeant. Cæterùm ad summptionem sacrosanctæ Eucharistiæ, corporis humilitate, & incitatione animi se componentes, si non ore cum celebrante de corporis & sanguinis Dominici sacrificio communicet: saltem fructum eius spiritalem sibi applicari, intimis animi votis exoptent.

IN PRIMITIIS OMITTENDÆ

comestiones, Caput LX.

Dum verò à nouitiis Sacerdotibus huius sacri primitiæ celebrantur, serió mandamus, choreas & omnino sæculares pompas omittendas, & conuiuia nõ permittenda, nisi inter paucos amicos, & ea sobria tamen, & quæ sine luxu in timore Domini ineanantur.

SANCTORVM SOLENNITATES

Dominicis cedant, Caput LXI.

Sed & Sanctorum celebritates, in diem Dominicam incidentes, censemus submouendas, & in Feriam aliquam præcedentem vel sequentem transferendas, quo Sanctorum omnium Domino sua conferretur solennitas: Exceptis Beatæ Mariæ, Apostolorum, & aliis summis Festiuitatibus. Nec tamen legē imponimus his, qui peculiaria singularum Dominicarum Officia, propter Canonum paucitatem obseruare non valentes: Officia de Trinitate,

Trinitate, de Spiritu sancto, aut (quod decensissimum erat) de Resurrectione Domini, diebus Dominicis seruauerint.

Et quò Dei gloria in obseruatione Diuini cultus magis illustretur, & fidelium deuotio minus impediatur: diebus Dominicis & Festiuitatibus celebrioribus, mercimonia, tripudia, saltationes, quis damnat Concilium Tolletanum, & prophana spectacula, decernimus non permittenda: simul etiam ludicra quædam à pietate aliena & Theatris quàm Templis aptiora, censemus in Ecclesiis non admittenda.

DE SACRIS LIBRIS RECOGNOSCENDIS & REPURGANDIS,
Cap. LXII.

Cum etiam libros Missales, Antiphonarios, Agendas & Breuiaria, per viros doctos & pio: inspicere, & repurgari res postulet: hanc operam necessariam cum primis, & Ecclesiis vtilem, à singulis Comprovincialibus censemus præstandam, per viros idoneos ad hoc adhibitos. Qui sententiam suam super emendatione librorum primò ad Ordinarium, & mox ad Metropolitanum referant, vt colatis consiliis, sana, & (quoad fieri potest) concors diuinorum Officiorum celebratio, in omnibus Provinciæ Ecclesiis recipiatur, & conferuetur.

DE EXAMINE PRÆLATORVM,
Caput LXIII.

Qum his, qui ad Prælaturas Ecclesiarum prouehuntur, & in dignitatibus, ve ut excelsiore loco, ponuntur, ab inferioribus honorem & obedientiam exhiberi debere, omnes Ecclesiasticæ constitutiones iubeant: Vtiq; tali eos virtute, doctrina, prudentia, præditos esse conuenit, vt honorem hunc mereri videantur, & cæteri, ipsorum comparatione, gregem se merito dici reuerenter agnoscant. Nos igitur ad honores & dignitates

gnitates Ecclesiarum, submotis minus idoneis, dignis modo & idoneis viam aperire volentes, constituimus & ordinamus, vt hi, qui ad Prælaturas (quæ sub nostram, aut aliorum Prælatorum nobis subditorum, dispositionem cadunt) assumendi sunt, præuio examine, de doctrina, de moribus, deque omnibus iis disciplinis, quæ ad regimen, cui destinantur, necessariae sunt, accuratè explorentur, ab iis, qui ius inuestiendi & confirmandi habent. Quinisi digni reperti fuerint, confirmationem recipere non debent: sed iis abiectis, alij in eorum locum, magis apti & digni, substituantur.

DE HIS QUI PLURA BENEFICIA
Curata obtinent, Caput. LXIIII.

Res ipsa loquitur, plura beneficia, potissimum quibus animarum cura submissa est, non sine graui Ecclesiarum damno ab vno obtineri: Cum vnus in pluribus Ecclesiis ritè officia & rebus earum necessariam curam impendere nequeat. Nos igitur, iuxta Reformationis commonitionem, contra hanc Ecclesiarum calamitatem, velut salubre remedium, illud Lugdunensis Concilij decretum opposites, singulos eiusmodi Curatorum beneficiorum detentores monemus, & districtè eis præcipiendo iniungimus: Vt intra trimestre tempus, post huius Synodi Prouincialis exitum, nobis aut Comprovincialibus nostris, locorum Ordinariis, dispensationibus, quarum prætextu eiusmodi beneficia obtinent, exhibeant. Quod ni fecerint, talia beneficia quasi eo ipso illicitè obtineri conuincantur, post trimestre tempus elapsedum, per eos, ad quos collatio eorum pertinet, aliis personis idoneis conferri debent. Quod si dispensatio alicuius legitima & sufficiens videbitur, is beneficia sine molestia retinebit: Nihilominus tamen prouidebit, per idoneorum Vicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuum assignationem, ne cura animarum in his Ecclesiis negligatur, nec ipsa beneficia debitis officiis fraudentur: Alioqui negligentia eius, per Ordinarium de fructibus beneficij suppleri, & ipse insuper subtractione certæ portionis reliquorum fructuum, pro

arbitrio Ordinarij, puniri debet. Sin dispensationes in-
ualidæ, aut non satis legitimæ visæ fuerint, si is, qui earū
prætextu plura beneficia Curata obtinuit, vno retento,
cætera liberè resignare recusauerit: causa illius ad sedem
Apostolicam referatur, eiusdemque iudicium expecte-
tur, quem sui beneficij modum esse velit. Quòd si quis
in diuersis Diocæsis eiusmodi beneficia Curata obti-
neat, à quolibet Ordinario ad talem exhibitionem com-
pelli debet. Et si legitima dispensatione munitus non
fuerit, vltimo quod accepit beneficio retento, cætera re-
signet: cum iuxta iuris communis dispositionē, per sub-
sequentis beneficij Curati acceptationem, quod prius ob-
tinebat, ipso iure vacare dinoscatur.

DE GENERALIBVS STVDIIS IN-
staurandis & conseruandis, Et de Adolescen-
tibus ad studia publicè alendis,
Caput IXV.

PRudentes, homines facillè prospiciunt, & boni ac pij
iam diu queruntur, interim studiorum, quæ in hac
misera perturbatione rerum, saltem in locis Catholicis,
propemodum in vniuersum perierunt: In primis Eccle-
siastici Status extirpationem, adeoq; sacrosanctæ Reli-
gionis, ac totius Reipublicæ Christianæ ruinam secutu-
ram esse. Cum enim successio eorum, qui vtranq; Rem-
publicam administrare debent, ex iuuentute dependeat,
si illa aut prauis, aut nullis doctrinis imbuatur: spes nul-
la esse potest, aut in Ecclesijs puritatem Religionis, aut
in externa Politia, pristinam tranquillitatem, vnquam
nobis reddi posse. Itaq; quantò quisque desiderio sacro-
sanctam Religionem nostram post se superstitem relin-
quit, ac porro saluam conseruari expetit, quanto deside-
rio communis patriæ incolumitatem, & viuis restitutam
videre, & ad posteros transmittere satagit: tanto conatu
ad instaurationem studiorum incumbere debet. Præfer-
tim verò homines Ecclesiastici, quibus etiam huius vitæ
bene ac beatè transigendæ omnis facultas, ab incolumi-
tate Religionis (quæ sine studiorum auxilio nequaquam

durare potest) dependet, ad studiorum conseruationem,
veluti ad vnicum status sui conseruandi, & retinendæ di-
gnitatis præsidium, omnes vires suas certatim conferre
debent. Hinc Comprovinciales nostros in Domino ex-
hortamur, & serio commonemus, eisq; pro autoritate
nostra Metropolitica iniungimus, Vt omni cura, ope, &
industria, vbiq; per vniuersam Prouinciam nostram, stu-
dia præcipuè generalia instaurare, promouere, & con-
seruare satagant, & hanc Religioni ac publicæ tranquil-
litati perniciosam necessitatem parentibus iuuentutis
adimant: Qui alioqui sanctæ Religionis nostræ benè af-
fecti, tamen ex neglectu studiorum in locis Catholicis,
compelluntur filios suos ad alias Vniuersitates & Scholas
ablegare, vbi vnà cum literis, noxias de Religione opi-
niones hauriunt, quibus infecti & peruersi domum re-
deuntes, ipsos plerunque parentes, ac totam sæpè viciniam
pestilentibus opinionibus imbuunt, & sinceritatem
fidei Christianæ in eis corrumpunt. Ad quam perniciem
auertendam, omnes boni, quos vlla pietatis ratio, &
sacræ Religionis nostræ amor tangit, & in primis Pro-
ceres Ecclesiastici, omni conatu incumbere debent,
quatenus in hac re salutari ciuium, & sanctæ Religionis
profectui, & publicæ tranquillitati consulatur.

Nec minorem curam & sollicitudinem, Comprovinciales
nostri circa Scholas, per suas Diocæses in Ciuita-
tibus & Pagis constitutas, impendere debent, vt passim
instaurantur & conseruentur, & eisdem idonei & Catho-
licæ veritatis amantes, & de hæresi non suspecti, præsi-
diantur Pedagogi.

Et ne desint, qui ad messëm spiritalem, velut idonei
Operarij, mitti ritè queant: Comprovinciales nostros si-
militer, per honorem Dei & Domini nostri Iesu Chri-
sti, & sacrosanctæ Religionis nostræ conseruandæ &
promouendæ amorem, exhortamur, quatenus curare
velint, vt aliquot Adolèscentes fælicioris ingenij &
melioris spei (quibus alioqui ad studiorum suorum su-
stentationem, à parètib; & propinquis facultates non

suppetunt) publicis Ecclesiarum & Monasteriorum sumptibus in studiis alantur: Qui ad Theologiæ studium operam suam applicent, in qua si operæ precium fecerint, deinde Ecclesiis & Parochiis per Diœceses præficiantur. Quos in Ecclesiarum Ministerio seruituros, maximè conuenit earundem sumptibus sustentari.

DE CLERICIS SECVLARIBVS ET
Regularibus ad studia ablegandis, Et de studiis,
apud Monasteria instituendis, & conseruandis, Caput LXVI.

ET quò magis Ecclesiæ idoneis Ministris abundant, decernimus, Vt Capitula quarumlibet Ecclesiarum, in Prouincia Moguntina constitutarum, ex Clericis secularibus beneficiatis, iuxta cuiusque Collegij facultates, & personarum numerum, Adolescentes aliquot bonæ spei, & docilis ingenij, ad priuilegiatas Vniuersitates, pro studio potissimum Theologico (cuius vsus cum primis est Ecclesiis necessarius) mittant. Et iis ad quinquennium fructus beneficij omnes (exceptis quotidianis distributionibus) concedant. Si tamen cæptis studiis gnauiter incubuerint, & de profectu eorum fructus speretur) negligentes enim & prauis moribus deditos, Ecclesiarum patrimoniis non existimamus alendos) ubi fructus Præbendæ non suffecerint, de communi Ecclesiarum censu, pro cognitione Prælatorum, pars adiciatur. Eos verò, qui sic mittuntur, Capitulis suis sufficientem cautionem præstare volumus, sese in ordine Clericali permanuros esse. Quòd si mutato proposito, ab ordine Ecclesiastico resluerint, & ad Matrimonia seu negocia secularia se transfulerint, ad restitutionem omnium fructuum aut sumptuum Ecclesiasticorum, quos sic ceperint, eos teneri, & omnino compelli volumus.

De Clericis verò Regularibus, dispositionem Reformationis & iuris communis volumus obseruari: Vt Monasteria opulentiora, intermissa studia, in primis verò Theologica, apud se instaurèt. Quæ verò minus opulen-

ta sunt, & pauciores habent Monachos, aliquot tamen iuuenes felicioris ingenij, ad eiusdem Ordinis & Prouinciarum Monasterium, in quo studia vigeant, ablegent. Vbi verò Prælati, siue Seculares siue Regulares, in ea re negligentes fuerint, per Ordinarium debent ad hoc debitis pœnis compelli.

DE THEOLOGIAE APVD ECCLESIAS Collegiatis professoribus,
Caput LXVII.

Collegiis Ecclesiarum, iuxta Reformationis præscriptum, iniungimus, Vt Doctores, qui Theologiam præteantur, pro cuiusque Ecclesiæ facultate & cõditione, conducant: Contra negligentes sic acturi, ne quid vel in publicis vel priuatis hisce studiis constituendis, ad pietatis incrementa passim promouenda, quantum in nobis fuerit, desideretur.

DE PATRONIS ET COLLATIONE
beneficiorum, Cap. LXVIII,

RES est perniciosi exempli, & quæ prauam sæpe Ecclesiis calamitatem affert, quòd Patroni, tum Ecclesiastici tum Laici, propinquitate iunctos, aut aliis meritis & officiis sibi conciliatos, sine omni ætatis aut eruditionis respectu, idoneis præteritis, ad beneficia Ecclesiastica admouent. Alij de Censibus beneficiorum partem sibi retinent, aut etiam in totum fructus beneficiorum intercipiunt, his, quibus ea ad speciem infamis cupiditatis suæ obuelandæ conferunt, inanem modò titulum relinquentes: Quos præsentì constitutione Prouinciali in Domino hortamur, & peremptoriè monemus, vt à pernicioso hoc conatu sibi temperent, alioqui seueritate pœnarum rigide censemus coërcendos, ac talis beneficij collatione vel præsentatione, saltè pro hac vice, aut pro grauitate excessus, per omnem vitam suam priuandos: Ita tamen, vt collatio talis beneficij, hæredibus aut successoribus eorum integrè restitatur & liberè permittatur.

De præbendis c. Grauenimis.

tur. Quò verò perniciosam temeritatem Patronorum, à Curatis beneficiis salubri consilio prorsus secludamus: districtè præcipimus, ne quis Prælati, seu Officialis eius, ad quem munus inuestiendi pertinet, ad beneficium, cui animarum cura annexa est, quinquam inuestire præsumat, nisi qui; annum ætatis suæ Vigefimum Quintum attigerit: & qui, in cæteris idoneus, etiam ordines, quos cura Ecclesiæ, cui præfici vult, requirit, aut habeat, aut infra tempus à iure statutum se suscepturum, sub amissione beneficii, ad quod inuestiendus est, promiserit: & qui censum istius Ecclesiæ, ad suam sustentationem sufficientem esse, eumq; sibi à Patrono integrum reliqui, docuerit. Alioqui inuestituram talem inanem & irritam, & salutaris huius inhibitionis temerarium transgressorem, ipso facto ab officio suspendendum, & arbitrio Ordinarij sui puniendum, decernimus. Eum verò, qui præsentationem seu prouisionem alicuius beneficii, siue Curati siue non Curati, à Patrono receperit, eum tali pactione, vt Patronus de prouentibus beneficii portionem reseruet, ad tale beneficium prohibemus inuestiri: aut si post inuestituram talem pactionem fecisse deprehensus fuerit, beneficio decernimus priuandum, & eidem beneficio alium idoneum præficiendum.

DE ADMISSIONE AD BENEFICIA Ecclesiastica, & eorum Resignatione,
Caput LXIX.

Petrus Archiepiscopus Mogunt.

Vniuersis Archipresbyteris, aut aliis Commissariis nostris, seriò inhibemus, ne quem ad alicuius beneficii possessionem vel ad regimen, aut ad officiaturam alicuius Ecclesiæ admittant, nisi qui inuestituram seu prouisionem & institutionem suam Canonicam, literis earundem sigillatis ostenderit. Beneficium verò, quod quis legitime tenuit, non aliter quàm in manus nostras, aut Vicarij seu Officialis nostri, siue alterius Collatoris Superioris, ad hoc potestatem habentis, resignare aut dimittere præsumat. Quòd si quis sine nostra aut

Superioris, ad id potestatem habetis, autoritate, aut consensu beneficium aliquod dimiserit, ad beneficium sic dimissum nemo alius in fauorem dimittentis inuestiri aut institui: sed beneficium illud, pro arbitrio Ordinarij, siue specialis siue generalis, alteri idoneo tradi debet: nisi Nos, vel Officiales nostri aut Superior, resignationem factam ex rationabili causa confirmauerimus.

DE IVSTA DISTRIBUTIONE

prouentuum Ecclesiasticorum,

Caput LXX.

Perniciosus abusus est, cum pudendo Cleri dedecore, & animarum periculo, grauique Ecclesiarum detrimento coniunctus, quòd in Ecclesiis quibusdam Cathedralibus & Collegiatis, potissima prouentuum portio, Canonicis etiam apud Ecclesias non residuis, nec quicquam vtilis aut necessarij Ministerij exequentibus, distribuitur: Vicariis, qui diurna & nocturna fatigatione omnes Ecclesiæ functiones sustinent, vix tenui censu, & qui ad vitam miserè sustentandam ægrè sufficiat, relicto. Hinc Capitula & Canonicos Ecclesiarum in Domino exhortamur, vt æquitatis & rationis olim Deo reddendæ memores, ad functiones Ecclesiarum suis necessarias, his qui eas gerunt, de fructibus Ecclesiarum sufficientem & honestum victum deputent: ne causam præleant, de Ecclesiarum prouentibus necessariò aliter disponendi.

VT PRÆPOSITI, DECANI, SCHOLASTICI, Custodes & Cantores, apud Ecclesias suas resideant, Cap. LXXI.

Vm constat, harum dignitatum officia Maiores nostros ideo in Ecclesiis instituisse, vt essent, qui disciplinam Ecclesiasticam, tanquàm inspectores & moderatores, conseruarent: iam verò videamus, ea ab iis occupari, qui dignitatum titulos tantum gerunt, & emolumentis gaudent, & tamen ab Ecclesiis suis absunt, nihil minus quàm appellationibus suis respondentent.

C iij

Quare statuimus, vt posthac omnes, qui vel Præpositorum, vel Decanorum, vel Scholasticorum, vel Custodum, vel Cantorum dignitatibus (quatenus hæc ad nostram aut Comprovincialium nostrorum dispositionem pertinent) iam præfulgent, aut porro ornandi erunt, præsertim suis Ecclesiis, vtilem & nomine dignam operam præstent: Non absentes fructus tantum auferant, neque liceat cuiquam absenti vllam harum dignitatum gerere: Sed quisque tali titulo insignitus, suæ Ecclesiæ non absens, neque conducta aliorum opera, sed residendo præsens ipse inferuiat.

DE MODO DESERVIENDI QUOTIDIANAS distributiones, Cap. LXXII.

2. Thef. 3. **C**Um Apostolus victu, adeoque ipsa vita, indignos iudicet homines ociosos, qui panem non labore suo partum, cum grauiamine aliorum edunt: Quanto grauiori indignationi diuinæ eos subiacere putandum est, qui Censu Ecclesiæ, Sanctorum Martyrum patrimonia, & donaria piæ plebis, ad diuini Ministerij sustentationem collata, ociosè absument: pro iis debita ipsis Ecclesiis obsequia rependere non curantes? Nos igitur periculo animarum obuare, & necessitati Ecclesiarum consilere volentes, præsertim statuto decernimus & ordinamus, ne posthac in Metropolitana, Cathedralibus, Collegiatis, aut quibuscunque aliis nostris, & nobis subiectis Ecclesiis, per vniuersam Prouinciam constitutis, quotidianæ distributiones, ad breuissima quædam momenta, puta, ad lectionem Epistolæ, seu vnus Psalmi, aut Responsorij: sed integris ac totis officiis, & horis assignentur, & iis modò tribuantur, qui officiis diuinis, de quibus hæc emolumenta dantur, ab initio ad finem interfuerint. Hi verò, qui excursus & recursus suos ita partiri consueverunt, vt de laboribus minimum, de emolumentis autem plurimum perciperent: in posterum, nisi integris officiis, & horis interesse studeant, illius officij aut horæ fructu in totum mulcentur, quibuscunque irrationabilibus aut

prauis consuetudinibus (quæ potius corruptelæ censendæ sunt) non obstantibus. Si qui tamen infirmitate aut legitima causa impediuntur, apud Prælatum aut alium, cui de Ecclesiæ consuetudine competit, se excusent, & veniã absentis suæ impetrent: Canonicos vero, per actus Capitulares ab ingressu Chori, quâdiu Capitulis intersunt, & nõ diutius excusari volumus. In qua re Decanos Ecclesiarum, aut quibus ea cura pro tempore incumbit, monemus, eisdem præcipientes, ne, extra necessitatem, Capitula indicant in eam horam, qua diuina officia peraguntur: quum possint aut maturius, aut ferius Capitula haberi, v. ipsi etiam Prælati & Canonici, diuinis officiis commodius interesse queant. Quos vtique, supra Chori officia, que ipsis incumbunt cum Vicariis communia, actuum Capitularium labor grauari non debet: cum supra commune distributiones, de Præbendis suis ampliore etiam emolumento potiantur.

Simili modo distributiones, quæ de Processionibus percipiuntur, his modò dari volumus, qui eisdem ab initio ad finem præsertim interesse perseuerauerint.

Et ne beneficia per Ecclesias debitis obsequiis fraudentur, omnibus beneficiorum possessoribus, sub amissione beneficiorum, iniungimus, Vt ordines, quos eorum beneficium requirunt, si nondum habent, proximis temporibus à iure statutis recipiant: Ad quod etiam Canonicos Ecclesiarum, pro suo quemque ordine teneri volumus, vt obsequium, quod quisque pro officij sui exigentia Ecclesiæ debet, cum res postulat, per se præstare queat.

OCIOSAS DEAMBULATIONES IN Ecclesiis inter diuina prohibendas, Caput LXXIII.

Eos verò, qui interim, dum diuina peraguntur, in Ecclesia, in qua beneficiati sunt, aut foris circa eam ociosi inambulantes, & aliis psallentibus & Deo seruentibus

bus, ipsi inanibus, nonnunquam etiam turpibus confabulationibus, tempus terunt: amplius ferendos non censemus. Quos illius non solum horæ, sed totius diei emolumento decernimus priuandos. Seculares verò, per Magistratus Civiles debita animaduersione à tali Sacrorum con-
tempu coercendos.

DE HONESTATE ET DECENTIA
Clericali, Cap. LXXIII.

Hinc hortamur atque monemus omnes & singulos Clericos, ut vitam viuât, quam professio eorum exigit, & Christus requirit, inquit. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Et cum vestitu honesto incedant, quapropter singulari cura intendat quisque Prælatus, ne ij, quibus præest, torques aureos publicè in Ecclesia, aut vestes varij coloris, veluti virgatas & fimbriatas aut discissas, deferant: sed longis atque talaribus vtantur. Nulla arma induant, nisi itinerantes, barbamque non nutriant: Coronam & tonsuram deferentes, tum summo opere curantes, ne quem Laicorum indecentia vestitus offendat, ut sacris Canonibus cautum est.

Insuper tabernas publicas euitent, nisi eos peregrè proficiscentes ingredi oporteat, & tam inibi quàm domi & alibi, à crapula, ebrietatibus, omnique ludo à iure prohibito, blasphemijs, rixis & alijs quibuscunque excessibus & offensionibus, penitus abstineant: Choreas spectaculaque & conuiuia publica vitent, ne ob luxum petulantiamque eorum, nomen Ecclesiasticum malè audiat.

2. Tim. 2 Cùmque secundum Apostolum, nemo militans Deo, sese negocijs secularibus implicare debeat: nemini Clerico liceat, domi suæ tabernam compotandique locum aperire Laicis: Quoniã non rarò sequi solent ebrietatè, rixas, cædes, & multa hoc genus scelera, quæ Sacerdotalem pollunt dignitatem: negotiationibus quoque, mercemoriaisque more mercatorum, abstineant.


DE DECIMIS ET OFFERTORIIS
persoluentibus, Cap. LXXV.

Cum autem, Domino testante, Mercenarius dignus sit mercede sua, statuimus & decernimus, ut Decima, quæ iure debentur diuino, tam maiores quàm minores, sine fraude aut diminutione soluantur, etiam personales, in quibus eas soluendi consuetudo est.

Simili modo debent etiam quatuor Offertoria, & cætera iura Parochialia, integrè solui.

DE FORO COMPETENTI, ET
emunitate Ecclesiastica Cap. LXXVI.

Præterea, cum omnibus palam sit, super Ecclesiarum atque eorum, qui in fortem Domini electi, pro Magistratu, imò totius Reipublicæ salutem, apud Deum quotidie interpellant: libertate & immunitate, non tam Pontificio quàm etiam Ciuili iure, cautum atque prouisum. Comperimus tamen infelici hac rerum perturbatione, Ecclesiarum quarundam bona, imò ipsas Deo dicatas Ecclesias, in prophanos vsus celsisse: Clericos ad munia Ciuilia, etiam fordida interdum coactos, quæstiones contra ipsos, eorumque & Ecclesiarum bona: Similiter super causis Matrimonialibus, & alijs etiam merè Ecclesiasticis, coram secularibus Statibus intentari ac definiti. Proinde adhortamur omnes & singulos in Domino, ut si non diuini iudicij respectu, vel eorum saltem, quæ legibus sancita sunt, memores, ab iniusta hac Ecclesiasticæ libertatis imminutione atque oppressione abstineant: Ecclesias, Sacerdotes, atque res ipsorum, suæ restituant atque permittant emunitati & libertati. Quorundam igitur vim iniustam inhibere, & personis Ecclesiasticis suam libertatem vel in hoc asserere volentes: statuimus, ut actor Clerico coram seculari iudicio actionem intendens, eo ipso omni causa cadat, nec amplius ad eius causam querelam, etiam coram Ecclesiastico Iudice, admittatur. Iudicè verò



secularem, qui causam Clerici, etiam eo consentiente, aut aliam quamcunq; causam ad Ecclesiasticum iudicium pertinentem, quales sunt Matrimoniales & similes iudicandam sibi desumpserit: excommunicationis poenam ipso facto incurrare decernimus.

Similiter Iudex Ecclesiasticus, causas, quas Laici adiuicem habent, iudicandas sibi non assumat: nisi tales causae sint, quae ad forum Ecclesiasticum de iure vel consuetudine pertinere noscantur.

QVIBVS EPISCOPI AUT ARCHIDIAconi, suis vices committere debeant,
Caput LXXVII.

Caveant autem Episcopi & Archidiaconi, dum ipsi officii suis praeside non possunt, ne vices suas hominibus dubiae fidae, aut ab Ordine Ecclesiastico prorsus alienis, committant: Sed in suum locum, quoties suis muneribus per se non praesunt, viros bonos, graues, peritos, prudentes, & in primis Ecclesiasticos substituunt. Nec vnquam crimina subditorum per se, aut suos substitutos, multa pecuniaria punire praesumant: Sed alii debitis, & a iure constitutis poenis, coerceant.

DE REGVLARIBVS.
Caput LXXVIII.

Ex conc. A'schaff. D. Gerardi. Quoniam insolentia quorundam, qui a Religiosis, semel professione solenni receptis, temere resiliunt, his nostris calumitosissimis temporibus disciplinam Ecclesiae, adeoque totam Religionem, non parum perturbauit: Nos huic calamitati, ex Monastica disciplina neglectu prouenienti, pro viribus occurrere volentes, Praelatos Monasteriorum, per charitatem, quae est in Christo Iesu, hortamur & serio requirimus, vt curae sibi traditae diligentius incumbentes, personas Regulares sibi subiectas ad Monasticam disciplinam, & Regularum suarum obseruantiam, sollicitius inducant, aut refractarios etiam

debitis poenis compellant: Alioqui cessationem & negligentiam Praelatorum, nos iuxta Canonum sanctiones, supplebimus. Quum vero personae quaedam Regulares, iugum iamdudum excusserint, & desertis Monasteriis, & sprete suorum Praelatorum obedientia, in seculo versentur: nos huiusmodi Regulares, contra Regulam diuagantes, volentes ad sua Monasteria reducere, ne alij ex prohibita illorum communione, periculis inuoluantur, Superiores eorum monemus, vt eiusmodi vagos Monachos diligenter inquirant & ad sua Monasteria eos retrahere quoquo modo procurent. Similiter & omnibus personis Ecclesiasticis nobis subiectis mandamus, vt omnes Regulares, cuiuscunq; sint conditionis aut ordinis, in suis districtibus commorantes, diligenter moneant & requirant, vt infra mensis spacium, post eiusmodi requisitionem ad sua Monasteria redeant, & obedientiae Superiorum suorum subdantur: aut dispensationes suas, quarum praetextu obedientiam Praelatorum suorum reliquerunt, intra idem tempus nobis aut Officialibus nostris examinandas exhibeant, Huiusmodi vero monitioni non parentes, & in rebellionem & inobedientiam sua perseverantes sine mora nobis aut Officialibus nostris denuncient, quos Nos per Ecclesiasticam censuram poenas, & omni seuera animaduersione, quantum nos iusticia permiserit ad suas regulas redigere, & sub Praelatorum suorum obedientiam retrudere non omittemus.

Quum vero aliquoties contingat, vt personae aliquae Regulares, aut grauiorum excessuum conscientia, aut etiam ex animi leuitate, Monasteria sua deserant, deinde Poenitentiam ductae, redire ad sua Monasteria volentes, a Superioribus quibusdam nimis rigidis, aut poenarum asperitate absterceantur, aut prorsus non recipiantur: Nos a quantacunq; perversitate respicienti, gremium misericordiae non esse claudendum considerantes, ne huiusmodi repulsis etiam amplius delinquenti occasio praebatur, praesenti statuto cauemus & ordinamus, Vt Monasteriorum Abbates & Praelati, Abbatissae, Praepositi, Priores & Magistratus, cuiuscunq; ordinis nobis subiecti

ieſti, Regulares perſonas, in Apoſtasia, ex quacunq̄ue cauſa lapſas, & cum humilitate redire volētes, iuxta cuiuſcunq̄ ordinis diſciplinam ſive regulam & conſuetudinem obſervatam, benignè recipiant: nec eis pro exceſſibus grauioreſ pœnas, quàm quæ in ſacris Canonibus, & regulis ordinum expreſſæ ſunt, imponant: Ita tamen, vt propter exceſſus ſuos, nec victus nec veſtitus neceſſarius eis ſubtrahatur. Prælatos verò, & quofcunq̄; Monafteriorum Magiſtratos, huic conſtitutioni noſtræ contrauenientes, ſententiæ, ſuſpenſionis à diuinis, ſimul etiam ab adminiſtratione, tam ſpiritualium quàm temporalium (Quam in contrafaciētes, præſenti Canonica monitione præmiſſa, ferimus in hiſ ſcriptis) volumus ſubiacere.

Et cùm hoc tempore paſſim Eccleſiæ idoneorum Miniſtrorum penuria nimis periculofè laborent: Prælatos Regulares ſummopere, exhortamur & ſeriò monemus, ſi qui fratres eorū poteſtati ſubieſti, per Ordinarios locorū ad regimen Eccleſiarū Parochialium, aut ad munus prædicationis adhibiti ſint, aut tales ad eandem operam in poſterum euocari contingat, vt promouendæ pietatis & conſeruandæ ſanctæ Religionis noſtræ intuitu, Ordinariis locorum in tanta neceſſitate deeſſe non velint. Religioſos tamen, de conſenſu ſuorum Prælatorum ſic euocatos, nihilominus ſub eorundem obedientia, qui eos corrigere & reuocare valeant, volumus permanere.

DE CLAVSVRIS MONASTERIORUM Virginum, Cap. LXXIX.

Vide Concil. Fritzlari. Domini Sifridi
Virginum Monialium, velut imbecillioris ſexus, continentiam & munire præſidiis, & adiuuare oportunitis auxiliis volentes, præſenti ſtatuto inhibemus. Ne ſanctimoniales cuiuſcunq̄ ordinis, quas votum ſub perpetua clauſura manendi aſtringit, quacunq̄ de cauſa: niſi ſola ineuitabili neceſſitate compulſæ, aut tali morbo infectæ, vnde ex contagione aliis periculum inmineret: confortium fororum ſuarum relinquere, aut extra Monafterium prodire, vilo modo præſumant. Viciffim verò quo

quò minus animi Deo dicatarum Virginum, prauis cupiditatibus tententur, aut à ſalutaribus meditationibus diſtrahantur: omnibus perſonis, ſive Eccleſiaſticis & Regularibus, ſive Laicis, præfertim viris, ſeriò interdici-mus, ne in ipſa Monafteria quarumcunq̄; Monialium ſeu clauſuras, niſi ex neceſſaria cauſa, cum honeſto comitatu & de maniſeſto conſenſu Superioris, ad quem pertinet, introire audeant. Alioqui huic noſtræ prohibitioni temerè contrauenientes, ſi Eccleſiaſtici ſint, ſuſpentionis ab officio & beneficio: ſi ſeculares, excommunicationis pœna percillantur.

PASTORES ET ALII, ECCLESIS suis, quibus per ſe non præſunt, idoneos & perpetuos Vicarios præficiant, Caput LXXX.

PAſtoribus etiam & iis, qui Curata beneficia obtinent iniungimus, vt Eccleſiis, in quibus per conſenſum Diœceſani inſtituti ſunt, nec tamen eiſdem per ſe præſunt, Vicarios idoneos & Canonice inſtitutos, præficiant eiſq̄; pro ſufficienti victu, portionem congruam, de prouentibus Eccleſiæ aſſignent: nec ſic à ſe inſtitutos Vicarios ab eadem Vicaria amoueant, niſi ipſi iam actu Sacerdotes, Eccleſias ſuas per ſe ipſos regere velint, aut aliquam rationabilem amotionis cauſam, contra Vicarium coram Diœceſano, aut eius Officiali, probauerint.

Ex concil. Fritzlari. Domini Sifridi.

DE PROMOVENDIS AD SACROS Ordines, Cap. LXXXI.

DE hiſ, qui ad ſacros ordines promoueri volunt, ordinamus & decernimus, vt nemo ad quemcunq̄; ordinem maiorem recipiendū admittatur, niſi qui paulò ante conſeſſus fuerit idoneo Sacerdoti, qui vitæ conditionem in ordinando ſedulò ſcrutatus, eum inſtruxerit, vtrū expediat, eum ordinari: an potius, propter irregularitatis aut legitimi alicuius impedimenti ſequelam abſtinere, donec tale impedimētum à ſe remouerit. Nec quibus

Ex concil. Domini Gerardi.

quisquam ordinandus recipiatur, nisi ad certum titulum Ecclesiastici beneficij, quod sit perpetuum, à quo non possit ad inordinatum alicuius placitum amoueri, aut cui de proprio patrimonio sufficienter sit prouisum.

DE ORDINANDORVM TESTI-
monio, Cap. LXXXII.

ET ne Ecclesiarum Ministeria quibusuis (quæ res hactenus multis malis causam præbuit) sed dignis modò & idoneis permittantur: sancimus, eos, qui ad suscipiendos ordines assumi expetüt, Episcopi simul & plebis iudicio comprobados, hoc modo, Vt Episcopus doctrinam examinet, plebs quoq; de moribus testimonium præbeat. Morum itaq; & vitæ testimonium ordinandi, idq; in literis sigillatis, adserat, acceptum à Prælati Ecclesiastici seu Parocho, atq; etiam à Senatu, siue iudicio eius loci, in quo maiorem vitæ partem exegerint. Quod testimonium illis gratis concedi volumus. Ex longinquo verò venientes, si in Prouincia Moguntina ordinari expetiuerint, ad Canonicarum Sanctionum obseruantiam adigantur.

QVI IN BAPTISMO VNCTIONES
sacri Olei & Chrismatis, iuxta vetustissimum eccle-
sia morem non susceperunt, ad ordines sacros
ante talem Vnctionum supplementationem non
admittantur.

Cap. LXXXIII.

Hæc calamitosa tempestate, qua sacrorum prophano, rumq; omnium periculo sa. confusione laboramus plerunq; euenire solet, vt in sacri Baptismatis administratione, Vnctiones sacri Olei, in pectore & scapulis, & Chrismatis in vertice infantium, iam inde à temporibus Apostolorum per vniuersam Ecclesiam religiosa pietate adhiberi solita; quorundam temerario ausu omittantur. De qua re circa eos, qui ordinibus sacris initiari volunt, diligentem

diligentem inquisitionem per nostros in Pontificali- bus Vicarios, aut alios, qui ordinandorum examinibus præfunt, præcipimus faciendam. Eos verò, qui tales Vnctiones, dum baptizarentur, nõ receperint, nisi eas (vnà cum orationibus, quæ in Agendis ad tales Vnctiones adhibendæ inueniuntur) in se per Catholicum Sacerdotem piè supplere curauerint, ab Ordinibus profus mandamus repellendos.

DE IIS, QVI ORDINANTVR EX-
tra suas Dioceses, Caput LXXXIIII.

E Venire solet, vt aliqui eruditionis & vitæ non satis probatæ, aut alioqui censuris Ecclesiasticis obnoxij, conscientiam eorum, quibus noti sunt, subterfugientes, ad remotiores Dioceses se conferant, & ordines ab ignotis Episcopis, qua possunt fraude extorqueant: aut saltem eos se consecutos, cõminiscentes, in iis ministrare præsumant. Quorum temeritatem reprimere volentes, Commissariis nostris serio inhibemus, ne in posterum aliqui literas dimissorias ad aliam Diocesim, sine magna & necessaria causa, quam benè exploratam habere debent, concedant. Qui verò in aliena Diocesi ordines susceperint, ad ministerium seu executionem Ordinum, quos se habere asseuerant, non admittantur: nisi prius Vicariis seu Commissariis nostris, de susceptis ordinibus legitimo documento fidem fecerint, & ab eisdem, quod admitti debeant, testimonium patentibus literis obtinuerint. Alioqui tales per Archipresbyteros nostros ab omni Ecclesie officio semoueri, aut, si iis non paruerint, nobis denunciari debent.

DE HONORE PRÆLATORVM,
Caput LXXXV.

A D confusionem & dishonestamentum Ecclesiastici Ordinis facit, sicubi honorum discrimina tolluntur.

nec suus cuiq; honos habetur. Vnde ordinamus & decernimus, vt inferiores dignitatis Clericus, seu Vicarius, siue Canonicus, Prælati suo reuerentiam, siue in assurgendo, siue in aliis prerogatiuis, iuxta consuetudinem illius Ecclesiæ debitam, subtrahens: fructuum Præbendæ subtractione ad tempus, pro excessus qualitate, puniatur. Quod si similitate aut animi arrogancia prouectus, in tali contemptu Prælati sui, perseuerauerit, à reliquis confratribus, velut inobediens, & iuramenti sui parum memor à consortio Ecclesiæ, & omni fructuum perceptione amoueat: non nisi de ipsius Episcopi consensu ad eandem rursus admittendus, vt discat, potestatem supra se positam, velut Dei ordinationem, agnoscere & venerari.

NE DOMICELLARES CANONICI
ante merita virtutis & doctrinæ, ad Capitula
assumantur, Caput LXXXVI.

HAstenus in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis (saltem in ea parte, qua Maiores nostri, non sine magna ratione, Iuniores, Canonicos, quos Domicellares vocant non statim vt beneficia acceperint, ad Capitula admitti: sed ad tempus sub iugo Prælatorum detineri voluerunt) satis negligenter aduigilatum esse non sine Ecclesiarum pernicie sentimus, dum hi, quibus ea cura incumbit, ad studia & mores Domicellarium parum attendentes: si modò Domicellares certum tempus in beneficij possessione exegissent, aut pecuniam, pro emancipatione constitutam, numerassent: sine ampliore delectu quosuis ad Capitula admiserunt, etiam eos, quos nec vitæ honestate, nec doctrina satis idoneos, aut Ecclesiis vtilis futuros norint. Vnde fit, vt interdù Ecclesiæ, minus utili Canonicoꝝ turba onerata, nec in spiritualibus, nec in temporalibus, debitis obsequiis administrètur. Quorum indemnitati, consulere volentes, Prælatorum, Capitulum, & aliorum, quorum interest, conscientias duximus onerandas, hæc, distinctè præcipiendo iniungimus, vt in posterum, non secundum præsentem consuetudi-

Ex conc.
Aschaf.
Domini
Gerardi.

nem (quæ in hac parte vt Ecclesiis perniciofa, irrationalis, aut potius corruptela censenda est) quoslibet, sed secundum conscientiam idoneos tantum & dignos, ad Capitula, præsertim Metropolitanicam & Cathedralia, admittant. Præuis vero moribus deditos & ignauos, tantisper à Capitulari dignitate & emolumento arceant, donec emendatione vitæ locum hunc mereri videbuntur: aut si contra omnem emendationem præfracti, & incorrigibiles se exhibere perseuerauerint, ad dimissionem beneficiorum, remedijs iuris, tanquã inabiles & insufficientes ac minus idoneos, prorsus cogant. Qua constitutione nostra, & ipsis Prælati & Capitulis, vt officio suo diligentius inuigilent, & Inuentui Ecclesiasticæ, vt vitæ ingenitiq; cultum accuratiore studio capefiant, occasiorem præstari arbitramur.

DE IURAMENTORVM EXACTIONE
restringenda, Caput LXXXVII.

Cum scriptura admoneat, Vitum crebro iurantem iniquitate oppleri, ac plagis multis obnoxium fieri Eccle. 23. Iurationem nanq; multa comitari pericula, quæ non tam peierantem, quam eum, qui periurio causam, cum debet & potest, non subtrahit, inuolunt. Nos igitur crebram illam iuramentorum exactionem in Capitulis, si non vt iniustam, certè vt periculosam, censemus coarctandã. Iniusta verò & illicita iuramenta, per quæ nonnũquam via debite correctionis præcluditur, & Prælati à promouenda Ecclesiarum suarum disciplina & vtilitate impediuntur, omnino tolli debent. Et Nos, cum hac sancta Synodo talia omnia damnantes, locorum Ordinarijs, & Prælati Capitulorum, ad eiusmodi correctionem per præsentis facultatè impertientes, distinctè eis præcipiendo iniungimus, Vt Ecclesiarum statuta diligenti cura reuideant, & iuramenta nõ necessaria, à Sede Apostolica non confirmata, in primis verò iniusta & perniciofa, non obstantibus quibuscunq; consuetudinibus (cum iniquitati longinquitas tēporis patrocinari non debeat) corrigat,

castent, & tollant. Quod si facere inferiores Prælati & Ordinarij, vltra sex menses post publicationem huius constitutionis distulerint: Nos ad primam opportunitatem aut saltem in futura Prouinciali Synodo, negligentiam illorum supplebimus, ipsosq; cessatores debitis insuper pœnis afficiemus.

PECUNIAS EX STATVTIS BENEFICIATORUM, aut aliunde cedentes, in Ecclesiarum vtilitatem impendi debere, Caput LXXXVIII.

Multas Ecclesias in bonis temporalibus ingentia detrimenta sustinere, ac domos earum aut collapsas, aut ruinis proximam videmus, ex praua consuetudine seu potius corruptela, qua Canonici quidam pecunias ex possessionibus nouorum Canonicoꝝ, aut optione domorum receptas, non in vtilitatem Ecclesiarum, sed in proprios vsus conuertunt. Quod nos vltra fieri omnino prohibemus, talesq; pecunias necessitatibus Ecclesiarum, aut domorum reparationi & conseruationi, impendi volumus. Si quos huic constitutioni nostræ rebelles deprehenderimus, priuatione omnium fructuum, quos ab ea Ecclesia percipere deberent, per semestre tempus plectemus, fructusq; eis sic ademptos, in Ecclesiæ vtilitatem impendi curabimus. Sicubi, verò in Ecclesiis aliunde sumptus ad conseruationem templorum, & edificiorum & domoꝝ, ad Ecclesias aut earum personas pertinentium, & in alios necessarios vsus suppetunt: rationabiles consuetudines, super huiusmodi pecuniis disponendis hætenus obseruatas, hac præsentis constitutione astringi aut abrogari non volumus.

DE REBVS ECCLESIAꝝ DILIGENTER CURANDIS, Caput LXXXIX.

Ex conc. Fritzlar. **N**E ex incuria aut negligentia, sicut consuevit, damna Ecclesiis accidant, Capitulis Metropolitanæ, Ca-

thedralium & Collegiatarum, aliarumq; Ecclesiarum Rectoribus & Curatoribus mandando iniungimus, vt singulis annis, semel ad minimum, omnes Ecclesiarum res & ornatus inspiciant, & in Indice singula diligenter conscribant, quò si quid inde perierit, faciliùs deprehendi & sarciri, & ratio ab his, quibus ea cura commissa est, exposci & reddi queat.

Eadem diligentia volumus & præcipimus, vt omnium Ecclesiarum prædia & redditus, tum communes, tum etiam ad singulas dignitates seu beneficia pertinentes, in libro ad id deputato, exactissimè conscribantur. Literæ verò Originale Censuum, tam communium, quàm ad singula beneficia pertinentium, non apud singulos possessores relinquuntur: sed in publica & bene munita custodia (copiis earundem auscultatis a pud possessores retentis) asseruari debent. Vnde, si occasio exegerit, depromi, & singulis personis sub cautione redhibitionis permitti, poterunt.

DE PROCURATIONE SEV FABRICIS Ecclesiarum Parochialium, Caput XC.

VT Ecclesiæ per Prouinciam nostram constitutæ, & damnis, quæ nonnunquam ex infida procuracione accipiunt, in posterum vindicentur, decernimus & ordinamus, ne posthac solis Laicis, cuiusq; Ecclesiæ Rectori seu Plebano, velut Principali, officium Fabricæ seu procuratio Ecclesiæ committatur: Ita tamen, ne ipsi Ecclesiarum Rectores seu Plebani, officio exactionis censuum, prouentuum siue reddituum, seu procuracionis labore grauentur. Tales etiam Ecclesiarum procuratores, de pecuniis seu prouentibus Ecclesiarum, nihil in suum priuatum vsum conuertant: sed omnia in Ecclesiæ vtilitatem impendant, & de omnibus acceptis & expensis, debito tempore, ad minimum semel in anno, coram ipso Plebano seu Rectore Ecclesiæ, & aliis ad hoc deputatis, rationem conficiant.

Volumus etiam ad singulas Ecclesiarum Cistas, in quibus literæ Censuum, seu pecuniæ & preciosiores Ecclesiarum res asseruantur, diuersas seras, & ad minimum duas, fieri, & ex clauibus semper vnam apud Parochum seu rectorem Ecclesiæ relinqui & custodiri: Sic, vt tales Cistæ non ab vno aliquo procuratore, nec vnquam absente Parocho aut Rectore Ecclesiæ, possint aut debeat aperiri. Huic verò nostræ constitutioni in Ecclesiarum fraudem non parentes, ipsi Plebani Nobis aut Vicariis nostris denuncient, debita monitione præuia excommunicandos.

DE SIMONIA, Caput XCI.

VT ab institutione ad Ecclesiastica beneficia omnem ambitione, omnemq; Simonie prauitatem præcidamus, præfenti statuto ordinamus & decernimus, vt quicumq; vel muneribus vel pollicitationibus, seu quibuscumque pactationibus, vnius vel plurium sibi fauorem conciliaverit, vt per eos ad beneficium seu dignitatem qualemcumq; (quatenus ad nostram dispositionem pertinent) promoveatur: eo ipso excommunicationis sententiam incurrat & reddatur inabilis, ne amplius ad tale beneficium seu dignitatem eligi aut assumi possit. Quod si electus & assumptus postea fuerit deprehensus, tales donationes, promissiones seu pactiones secisse, beneficio sic occupato priuari, & de dignitate omnino deponi debet. Simili modo, quicumq; Pensiones non legitime assignatas aut dederint aut receperint, aut alioqui illicitis modis beneficia aut dignitates occupauerint pro excessuum qualitate puniri, & talibus beneficiis aut dignitatibus priuari debent. Quæ, vt arctius obseruentur, nullus in posterum Clericus ad aliquod beneficium seu dignitatem admitti debet, nisi prius iurauerit, quod in eius adeptione nullam commiserit Simoniam, aut illicitam fecerit pactationem.

Ex concilio
Aischaff.

De Institutione
Concilii
Fritzlar.

VT PAROCHI SACRAMENTA
gratis ministrarent, Cap. XCII.

Excrabilis quorundam Sacerdotum auaritia, vsque ad Sacramentorum ipsorum contemptum & iniuriam nonnunquam irrupit, dum sine numerato precio conferre Sacramenta detrectant. Quorum prauam cupiditatem, sacris etiam Conciliis inuisum & damnatam, comprimere volentes, omnibus nobis subiectis Parochis seu Ecclesiarum Ministris serio prohibemus, ne quid de Sacramentorum administratione, à quoquam, velut debitum, au: exigant aut recipiant, quod consuetudo rationalis, laudabiliter introducta, & haftenus obseruata, non permittit: sed vltra id etiam oblatum, quasi non debitum, modestè recuset. Quod si aliquis subditus, vltro aliquid dare voluerit, non obstamus, quin quod libera voluntate, & ex charitate offertur, recipere valeant. Archidiaconis etiam nostris, siue eorum Officialibus, iniungimus, vt Synodis seu Capitulis super huiusmodi exactione, sedulo inquirent, & huic nostræ constitutioni non parentes, seu eris pœnis, vsque ad suspensionem ab officio & beneficio, compefcant.

DE COMPETENTIIS PAROCHORUM,
Cap. XCIII.

Cum Dominus ipse pronunciet Mercenarium sua mercede dignum, & Apostolos clamet, altari feruientem, de altari viuere debere: Vniuersos Ecclesiarum Metropolitanæ, Cathedralium & Collegiatarum Prælatos, Canonicos & Capitula omnes etiam Regulares, Prælatos & Conuentus, quicumque Ecclesias Parochiales, suis Ecclesiis seu Monasteriis vnitas & incorporatas habet, in Domino exhortamur, & districtè eis præcipiendo iniungimus, Vt intra trimestre tempus, post huius constitutionis nostræ publicationem, Ecclesiarum sibi incorporatarum Rectoribus talem fructuum

Luc. 10.
1. Cor. 9.

portionem ordinent, qua pro loci conditione honestè sustentari, ac insuper Episcopalia & Archidiaconalia iura soluere, hospitalitatem exercere, & alia necessaria onera sustinere queant. Quod ni fecerint, nos illorum iniustam negligentiam, ipsis Ecclesiis & animarum salutimis periculosam, amplius sufferre non volentes, apud omnes Ecclesias Parochiales, iurisdictionibus nostris subditas, talem iusti & sufficientis victus deputationem de decimis, proventibus, vel bonis Collegiorum aut Monasteriorum aut Prælaturarum, per nos aut Officiales nostros, secundum iuris communis & sacrorum Conciliorum dispositionem, ordinare, seposita ampliore mora, omninò aggrediemur.

DE CLERICIS PEREGRINIS,

Caput XCIII.

Clerici aliundè aduenientes, nec in iis ordinibus quos iactant, ministrare permittantur, nec ad vltiores ordines promoucantur: nisi fide digno testimonio docuerint, se eos ordines, quos habere se asseuerant, ritè & legitimè suscepisse. Peregrini autem Sacerdotes, ad Missarum celebrationes non admittantur, nec vltra mensem in aliquo Presbyterorum consortio foueantur, nisi testimoniales literas super vita, moribus & recessu ab eo Episcopo, à quo discesserunt: similiter admissionis testimonium eius Episcopi, ad cuius Diocesim se contulerunt, ostendant.

DE SACELLANIS NOBILIVM,

Caput XCV.

Ex Concilio
Fritzlar.
Domini
Sisfridi.

Sacellani verò Nobilium, in sacellis Castrorum Missas celebrare, aut alia Sacramenta cõferre, aut etiam prædicare non præsumant: nisi super eo auctoritatem & consensum Ordinarium obtinuerint, & prius manualem promissionem Episcopo seu loci illius Archipresbytero fecerint, se in obedientia Diocesani mansuros, & ad Sy-

nodos & Capitula venturos, & mandatis Ecclesiasticis secundum iustitiam, & quatenus eos attingunt, parituros esse. Saluis etiam iuribus Parochiarum, ad quas talia castra Nobilium pertinere noscuntur.

DE MAGISTRIS SCHOLARVM,

Caput XCVI.

Hoc in primis totius Reipublicæ Christianæ utilitas exposcit, vt erudiendæ Iuuentuti passim Magistri, eruditione, honestate vitæ, & fidei sinceritate commendabiles, præficiantur, quòd in administratione vtriusque Reipublicæ, & Ecclesiasticæ & secularis successio, à pueris dependeat: Qui si peruersis & prauis hominibus erudiendi tradantur, à quibus recòtes eorum animi (qui malorum ac bonorum vt quidque primum hauserint, æquè tenaces sunt) prauis & impiis opinionibus imbuantur, spes non est, sacrosanctam Religionem nostram in integrum restitui, aut à prauis doctrinis repurgari, aut pristinam sælicitatem & tranquillitatem in Germaniam nostram reduci, vnquam posse. Proinde siue Prælati & Capitulis, siue Communitatibus aut locorum Præfectis, ad quos ea cura pertinet, seriò iniungimus, vt in posterum scholis sibi cõmissis Didactalos præfecturi, eisdem ad Vicarios nostros in spiritualibus, seu locorum Commissarios ablegent, qui eruditionem, mores, & fidei sinceritatem in eis accurato examine explorent, eosque, quid in scholis tam ad eruditionem, quam ad mores Iuuentutis excolendos, conducibile potissimum prælegant, pro cuiusque loci ratione, diligenter admoneant, sine quorù testimonio (quod scriptò his, quos dignos iudicauerint, exhibeant) quemquam alicui scholæ præfici omninò prohibemus.

DE TESTAMENTIS ET VLTIMIS

voluntatibus, Cap. XCVII.

Quamuis iam olim multis Cõciliis Prouincialibus, velut Fritzlaricnsi, Domini Gerardi & aliorum

SYNODI PROVINC. MOGVNT.

Archiepiscoporum Moguntinensium super Testaméto-
rum ordinatione cautum sit, quibus omninò suum robur
manere volumus. Videmus tamen hac temporum licen-
tia plerasque morientium volùtates incassum recidere,
defunctorumque substantiam contra ipsorum legitimam
voluntatem interuerti, à Testamentariis præsertim, &
quibus pro officio competeat ratum seruare defuncti
arbitrium: Statuimus, vt qui deinceps nominati fuerint
Testamentarij, quamprimùm & ante omnia ipsius de-
functi hæreditatem siue substantiam, coram Notario &
testibus fide dignis, conscribant, & in Inuentarium fide-
liter redigant omnimodamque morientis voluntatem,
arbitrium & ordinationem, intra debitum tempus exe-
cutioni demandent & exequantur, de quo Ordinario aut
ipsius Commissario rationem faciant. Quòd si quis infi-
deliter agens huius nostræ Constitutionis transgressor
reperitus fuerit, pro Ordinarij arbitrio, aut aliàs condi-
gna pœna, pro excessus qualitate, plectatur.

MERCATVS DIEBVS DOMINI-
cis & festiuis prohibendos,
Caput XC VIII.

Magnus abusus est, cum ad rerum temporalium &
mox periturarum conquirenda lucra, sex diebus
homines intendant: ad regnum cælorum, eiusque iusti-
tiam inquirendam, septimum diem destinatum, ne eum
quidem à prophanis negotiis liberum execranda ho-
minum avaritia relinquat. Cui nos improbæ hominum cu-
piditati modum ponere volentes, serió prohibemus, ne
in posterum in locis nostræ Prouinciæ subiectis, diebus
Dominicis, aut præcipuis Ecclesiæ festiuitatibus, Merca-
tus (nisi fortè earù rerù, quæ ad vsum quotidiani vltus
necessariæ sunt) exercentur, aut ne subditi nostri vlli
operi seruili, quòd sine euidenti detrimento dilatio-
nem sustinere potest, manum admoueat: sed dies Do-
minicos & festiuos, spiritalibus lucris conquirendis, &
saluti animarum procurandæ, adeoque pietatis & diuini
cultus exercitiis, impendant. Quam nostrâ constitutio-

CONSTI. DE POEN. CLE. PER. 30

nem, nisi Magistratus locorum, quorum ea potestas est,
sub grauius pœnis ita obseruari curauerint, ipsos Ma-
gistratus, debita admonitione præuia, sententiam excò-
municationis incidere, & vbi ad nostras temporales iu-
risdictiones pertinent, insuper aliis pœnis, pro nostro
arbitrio, puniri volumus.

DE LIBRIS PER TYPOGRAPHIAM
publicandis, Caput XCIX.

Multis constitutionibus Imperialibus cautum est,
ne quis librum aliquem, sine certo authoris & lo-
ci, vbi excusus sit, nomine: aut qui per Commissarios, qui
per loca huic rei curandæ destinati sunt, comprobatus
non sit, vel excudat, vel excusum vendat. Quam ordina-
tionem renouantes, inhibemus, ne quis tales libros in
nostris ditiòibus vendere, aut emere, aut donare, aut oc-
cultè quouis modo alij obrudere, aut omnino apud se
retinere audeat: Officialibus nostris, tam Ecclesiasticis
quàm Secularibus, iniungentes, vt in eam rem acri dili-
gentia inuigilent, & si quos librorum vel excusores vel
venditores aut detentores, huic ordinationi non paren-
tes, deprehenderint, supra librorum confiscationem, et-
iam pœnis in multis recessibus Imperialibus constitu-
tis, sine remissione afficiant.

DE POENA CLERICI PERCVSSO-
ris, aut rixosi contra alium clericù, Caput C.

Paci etiam, tranquillitati, ac honestati Clericorum
consulere volentes, decernendum duximus, vt qui-
cunque Clericus alium Clericù probris, maledictis, aut
conuitiis incesserit, sub duorum aut trium testimonio,
ab omni prouentuum Ecclesiasticorum perceptione per
vnum mensem suspèdatur. Quòd si manus alteri Clerico
violètas, citra tamen vulnus, attulerit, iam dictâ pœnam
sustineat duplicè. Si vulnus infixerit, vltra pœnâ excò-
municationis, quàm ipso facto incidit, ad quatuor menses

tali fructuum priuatione mulctetur. Si membrum aliquod mutilauerit aut inutile reddiderit, omni beneficio Ecclesiastico sicut ipso facto priuatus. Nihilominus etiam in omnibus iis casibus, iuxta Diocesani arbitriū, læso satisfactore cogatur, & pro delicti grauitate, à Diocesano, si videbitur, etiam grauius puniatur. Illud superioribus comminationibus duximus addendum, Si linguæ perulantiam aut violentas manus in Prælatum intorserit, in tribus prioribus casibus supra memoratis, vbique pœnæ duplicatione grauandum esse: saluo tamen iure, quod vim vi repellere permittit. Similiter Clericos, si aut iurgiis aut armis contra Laicos contenderint, per Prælatos suos, pro excessuum grauitate, irremissibili pœna decernimus ac mandamus plectendos.

DE POENA SORTILEGORVM,

Caput CI.

Ex Cœcil. Fritzlar.
Sortilegia, quæ ad iniuriam sacræ Religionis nostræ detestando malorum Dæmonum commertio exercentur, omnibus Christianis prohibenda: in Clericis verò omni pœnarum acerbitate coercenda, censemus. Proinde Clericum Sortilegum protinus ab omni functione Ecclesiastica & ordine remouendum, & excommunicationis sententia alligandum, à qua, nisi in articulo mortis, à nemine, quàm à suo Diocesano, aut à summo Pontifice, seu Legato eius ad id potestatem habente, absolui debet. Et si incorrigibilis esse perrexerit, ad Monasterium arctum, pro agenda pœnitentia, detrudatur, aut prorsus abiiciatur. Laici vero ab hac arte execrabili, publicatione bonorum suorum, aut peruicacia eorum exigente, perpetua captiuitate, aut grauiore etiam animaduersione coerceri debent.

DE CLERICIS CONCVBINARIIS,

Caput CII.

C. de malef. & Mathe. l. Nullus. l. Nemo. l. Culpa.
Ministris Ecclesiarum, qui sacris functionibus operâ suam addixerunt, nihil æquè conuenit, quàm vitæ castimonia, intolerabileque videtur, quòd contra Conci-

liorum sanctorumque Patrum auctoritatem, passim Concubinæ adhæreant. Quis enim in Ministrorum Dei collegio patiatur talem, quem Paulus, hominum consortio indignum iudicat, cum quo etiam ne cibum quidem sumentur putauit? Quia ergo Clerici quidam Synodorum, cuiusque Diocesis Episcopatum specialiter desuper habitant, Decretis, de dimittendis Concubinæ, ægrius paruerunt: Ne in huiusmodi scandalo & sordibus volutari diutius permittantur, quibuscunque locorum Ordinariis iniungimus & serio committimus, vt secundum Canonum præcepta, & præcipuè Basiliensis Concilij definitionem, Concubinarios huiusmodi corrigant atque emendent, easque mulieres, quæ citra scandalum atque offendiculum retineri non possunt, extra viciniam, ne commertij facultas aut suspicio remaneat, amoueri procurent. Quia in re, cum sæpe compertum sit, facilius ab initio malis resisti, quàm femel in ea dimersum rursus erigi atque emergere: omnino Prælati intendendum præcipimus, ne patiantur Iuniores Clericos perniciose cohabitatione irritari, à qua deinde extricari facile non queant. Ecclesiasticis etiam Magistratibus, iuxta præfati Concilij Decretum, ne vllò sub pacto, compositione, aut spe cuiuscunque quæstus, tales quouis modo tolerant, aut dissimulent, penitus interdicens: & si opus sit, vt Brachium seculare in hæc rem implorent, iniungentes.

DE EXCOMMUNICATIONE,

Caput CIII.

Excommunicationem, qua nulla pœna maior esse potest, cautè ab Officialibus nostris, & non nisi ex inuitabili necessitate, & propter manifestam cõtumaciam, in quenquam intentari volumus, ideoque Officialibus nostris & Prælati omnibus, qui alioqui excommunicandi potestatem habent, mandamus, ne sententiam excommunicationis, nisi competenti admonitione præmissa, & in præsentia fide dignorum hominum (vt si necesse sit, testimonio eorum probari queat) promulgare præsumant.

Ex Cœcil. Fritzlar.

Qui aliter excommunicationem in quenquam promulgauerit, & admonitus errorem suum non reuocauerit, per mensem ab ingressu Ecclesiæ sit exclusus, & sic à se excommunicato omnes expensas, quas talis excommunicationis occasione necessario fecit, restituere cogatur.

DE VITANDIS EXCOMMUNICATIS,

Caput CIIII.

Ex cõcil. Basiliens. **E**T vt timoratis conscientis subueniamus, & scandala excludamus, generalis Synodi Basiliensis constitutionem volumus obseruari, quæ decernit, Quod nemo deinceps à Communione alicuius, in Sacramentorũ administratione vel receptione, aut in aliis quibuscunque diuinis, vel extrã, prætextu cuiuscunque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, aut suspensionis vel prohibitionis ab homine, vel ab iure generaliter promulgatæ occasione, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut Ecclesiasticum interdictum obseruare: nisi sententia, prohibicio, suspensio, vel Censura Ecclesiastica huiusmodi fuerit, vel contra personam, Collegium, Vniuersitatem, Ecclesiam, aut locum certum, aut certam à Iudice publicata vel denunciata specialiter, & expressè: aut si aliquem ita notoriè excommunicationis sententiam constitit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo iuris suffragio excusari. Nam à Communione illius abstinere, vult iuxta Canonicas sanctiones: per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos & interdictos seu prohibitos, nõ intendit in aliquo reuelare, nec eis quomodolibet suffragari.

Cum humana fragilitas in omnibus actionibus, & præsertim in iis, quæ pietatis sunt, si ope diuina non adiuuetur & dirigatur, sine fructu defudet: præsentì constitutione duximus ordinandum, vt in posterum per omnes totius Prouinciæ Ecclesias, quoties in illis multitudo fidelium conuenerit, fiant preces ad Deum, pro Spiritus sancti gratia, ad salutarem harum constitutionum Prouincialium obseruantiam, impetranda. Similiter pro

summi Pontificis, Imperatoris, ac Regis Roman. incolumitate & felici gubernatione, & pro omnibus, qui ad vtriusque Regiminis gubernacula in orbe Christiano præsentent, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. In ipsa verò sacri Missæ celebratione, alternis diebus pro peccatis & pro pace, siue in ipso sacro Collectam pro suffragio, siue post illud Antiphonam, cum Collecta pro imploranda Dei misericordia, deuotè recitari aut cantari volumus. Quam rem discretioni Prælatorum, pro loci & temporis conditione, committimus curandam.

Quò verò supra dicta omnia & singula accuratiore cura obseruentur, & ad excusatione ignorantie nullus locus relinquatur, ordinamus & præcipimus, Vt præsentium Constitutionum liber, apud Metropolitanam, Cathedralis, & Collegiatis Ecclesias in Choro aut Capitulis, similiter apud parochiales Ecclesias idoneo loco, fabricæ sumptu comparatus, habeatur, ad quem omnibus, quorum interest, pateat accessus.

Postremò. Cum his præsentibus nostris constitutionibus, omnes etiam generalium Conciliorum constitutiones & decreta, similiter omnia & singula alia statuta Prouincialia, in Concilijs Prouincialibus, sub nostris Præcessoribus celebratis, ædita, quorum in his nostris constitutionibus etiam nullam mentionem fecimus: in suo vigore permanere volumus, & ab omnibus nobis subiectis, qua quenque parte attingunt, pro confirmatis & authenticis agnosci, haberi, & obseruari districtè præcipiendo mandamus, sacrosanctæ Romanæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ iudicio, cuius auctoritatem in omnibus saluam conseruari volumus: hæc omnia cum debita obedientia submittentēs.

FINIS.

SEQVITVR
 Institutio ad pie
 TATEM CHRISTIA-
 NAM, IN CONCILIO PRO-
 uinciali promissa, continens.

- SYMBOLI APOSTOLICI.
- ORATIONIS DOMINICAE.
- Explicationem* SALVTATIONIS ANGELICAE
- DECALOGI.
- SEPTEM SACRAMENTORVM.

E

*SVMM A DECALOGI HIS
verbis explicatur.*

MATTH. VII.

*Omnia quaecunque vultis vt faciant vobis homines,
& vos facite illis. Hac est enim Lex & propheta.*

MATTH. XXII.

*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &
in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum
& primum mandatum. Secundum autem simile est hui.
Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

ROM. XII.

*Qui diligit proximum, legem impleuit. Nam, Non adul-
terabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimo-
nium dices, Non concupisces, & si quod est aliud manda-
tum, in hoc verbo instauratur. Diliges proximum tuum si-
cut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Pleni-
tudo ergo legis, est dilectio.*

I. TIMOTH. I.

*Finis autem precepti, est charitas de corde puro, &
conscientia bona, & fide non ficta.*

In symbolū apo- APOSTOLICVM

Præfatio.



NSTITVTIO HAEC, DI-
sciplina est, salutis scientiam tradens,
in qua nullam humanam prudentiam ve-
stigamus, nullum temporale commodū
sectamur: sed viam, qua ad Deum perue-
niri queat, inquirimus.

Est autem vna infallibilis semita, quæ ad Deum ten-
dentes sine errore perducit, fides. Credere enim oportet
accedentem ad Deum, cui sine fide placere nemo posse-
t, Heb. 11. Rom. 14.

Esaias Propheta diuina mysteria credulitate conclu-
dit, quæ nemo percipere potest, nisi qui credendo ea sibi
recluserit: Nisi credideritis, inquires, non intelligetis. *Esa. 7.*

Rectè ergò à Symbolo, in quo veræ fidei regula tradi-
tur, Christianæ institutionis sumitur initium. Non autem
putandus est tenere fidē, qui Symboli verba adamusim
recensere nouit, sed qui vim verborum ritè intelligens,
quæ ore profert, corde credit. Siquidem fides non est,
quod de Deo labijs sonamus: sed quod simul etiam corde
credimus. Qualem cordis credulitatem, non Catechista
docendo, sed Deus infundendo, tradit: Fides enim, Dei
donum est.

*Fides, non
tam disci-
tur, quam
donatur a
Deo.
Eph. 2.*

Vtilis tamen & necessaria ad hauriendā fidem, sedula
& diligēs Catechistæ ex verbo Dei desumpta institutio,
qui, quid de Deo sentiendum sit, ex scripturis sanctis se-
culò nos comoneat: Alioqui, quid credere debeamus, si-
ac monitòre & institutore ignorabimus, dicente. Aposto-
lo

Rom. 10. lo. Quomodo credent ei, quæ non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Et iterum. Fides ex auditu: auditus autem per verbum Christi.

Distincta sunt ergo Dei & Catechistæ opera: sed vtraque vtilia, vtraque ad salutem consequendam nobis necessaria sunt. Catechista autem imbuuit sermone: ostendens ex scripturis sanctis, quid nos de Deo credere, quid sentire oporteat. Deus interna spiritus sui vnctione mentem intus demulcet, tenaciter infigens ei verbum per aurem acceptum: vt iam sine hæsitatione assentiamus verbo Catechistæ, & credamus verissimam esse, quæ de Deo diuina eloquia prodiderunt. Atque hæc fides in tria tempora se extendit. Præteritum, vt credamus vera esse, quæcunque superioribus temporibus gesta sacris literis referuntur. Præsens, vt de Dei in nos voluntate & operibus, secundum scripturæ traditionem sentiamus, & hodie etiam mundum & Ecclesiam à Deo gubernari & conseruari, non dubitemus. Futurum, vt credamus euentura, quæcunque vel promittunt vel minantur diuina oracula.

Fides nostra tria tempora comprehendit.

Vtilis ergo ministri, hanc fidem ex scripturis tradentis, labor: sed efficacior virtus Dei, qui & linguam ministri instruit sermone, ad ædificationem fidei efficaci, & mentem audientis sua vnctione temperans, veræ fidei reddit capacem.

DE SYMBOLO.

Tres Symboli partes.

S

Ymbolum Apostolicum tribus præcipue partibus constat: Tres maximas operationes, tribus in Deitate personis distribuens, & Patri rerum omnium conditionem: Filio humani generis redemptionem: Spiritui sancto Ecclesiæ sanctificationem, attribuens. Sentendum tamen est, vt vna est trium personarum Deitas & æqualis potestas: Ita omnes istas actiones, quæ hic de Deo referuntur, à tota simul Trinitate inseparabiliter perfici, vt Pater ingenitus, per Filium & Spiritum sanctum condiderit

condiderit vniuersa. Filii vnigenitus, cooperante Patre & Spiritu sancto, mundum redemerit. Spiritus sanctus, ex patre & filio procedens, cum patre & filio Ecclesiam sanctificet, viuificet, conseruet, & gubernet.

Sequitur pars Symboli prima.

ARTICVLVS I.

CREDO IN DEVM, PATREM
omnipotentem, creatorem cæli & terræ.

R E D O, Vox Symboli prima est. Credo.

Nec immerito. Siquidem, vt dictum est, vna est ad Deum perducens semita, Fides, extra quam nemo venire ad Deum, & videre eum & agnoscere, eique placere potest. Sic autem

credimus Christiani, non solum vt vera esse fateamur, quæ de Deo referuntur in scripturis sanctis (ista enim credulitas dæmonum scientiam & credulitatem non excedit, qui & ipsi credunt & contremiscunt) Fides vera, quæ donum est à Deo infusum, illa est, qua & vera esse credimus, quæ de Deo sacræ literæ enunciant: & sine hæsitatione speramus, quæ in scripturis sanctis promittit Deus, & timemus, quæ minatur.

*Iacob. 1.
Fides vera.*

I N D E V M, Deum alij ἀθεὶς ἰσχυροῦς, id est, à speculari seu videndo, quod in eo cuncta reluceant, & quod cuncta videat. Alij à dando, quod omnibus omnia solus det dictum esse existimant. Germani à Bonitate Deum, voce paulum deflexa, appellant. **G V T T: G O T T.** quod ipse summum existens bonum, omnis boni author & largitor sit, Iacob. 1.

P A T R E M, Patris appellatione hanc personam à filij & Spiritus sancti persona secernimus, simul & fiduciam nostram in Deum excitamus, qui verè Pater noster, omnem carnalis parentis curam, prouidentiam, charitatem, & sollicitudinem longè superat, Matth. 7. **Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid**

E iij lapidem

lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget ei? Si ergo vos, cum sitis mali, nostris bona data dare filijs vestris: quanto magis Pater, vester, qui in caelis est, dabit bona petentibus se? *Esaia 49.* Nunquid potest obliuisci mulier infantem, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Verè Pater, qui non contentus in vsum & ministeriũ nostrum vniuersa condidisse, caelũ, terram, sidera, aërem, ignem, aquam, & quaecunque ex his ad vtilitatem hominis proueniunt: tandem etiã pro nobis redimendis vnicum pendit filium, *Ioan. 3. Rom. 8.* Curam patris etiam in eo agnoscimus, quòd de cibo & vestitu nostro cogitat. *Math. 5. 1. Pet. 5. Psal. 103. 135. 144.* quòd ad tutelam nostram, disposito Angelorum ministerio, eorum nos, vndique custodia munit & protegit, *Psal. 34.* quòd semper nobis assisistens, ne capillum quidem de capite excidere permittit sine sua voluntate, *Math. 10. Luc. 12. 21.* Nec affectu solam & cura, sed conditione verè Pater est, qui creauit & fecit nos iuxta Prophetam. Nunquid non pater vnus omnium nostrũ? Nunquid non Deus vnus creauit nos? Idem autem, qui creauit, etiam conseruat condita, *Psal. 8. 18. 103. 148. & gubernat vniuersa, Rom. 1.*

Malach. 2.

OMNIPOTENTE M, Omnipotentiam suã Deus creatione, conseruatione & gubernatione rerum omnium, sed & beneficijs in res à se creatas collatis, & pœnis, demonstrat.

Sicut Patris appellatio fiduciam nostram in Deũ excitat & incendit (vult enim nobis benefacere: quia pater est) ita omnipotentia eius consideratio, fiduciam nostrã adauget & corroborat (Nam nihil non potest ad vtilitatem nostram, cum sit omnipotens.)

Patres carnales, vt impensè diligant liberos suos, non tamen semper illis, cum volunt, commodare possunt. Deo autem, quia Pater est, nunquam benefaciendi voluntas defuit: & quia omnipotens est, nõ quã voluntatem eius facultas destituit. Et vult, & potest, nos iuuare Pater omnipotens.

Sicut

Sicut autem bonam nobis addit fiduciam omnipotentia Patris nostri, si morigeros nos illi filios exhibuerimus: ita vicissim nos torrere debet, si mali & præuaricatorum fuerimus. Odit enim malitiam, cum sit ipse bonus, *consolatur* & peccatum punire vult iustus iudex: nec illi vnquam in pœnis malorum vires deerit omnipotenti. Non est, *retimpis* inquit, Deus, qui de manu mea possit euere. Si acuro vt furgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus meae *Deut. 32.* reddam vltionem hostibus meis, & his, qui me oderunt, retribuam. Et, Ab initio ego ipse, & non est, qui de manu mea eruat: operabor, & quis euertet illud? *Esa. 43.*

Simul & curiositatem hominum excludit considerata Dei omnipotentia, qua illi in scrutandis Dei operibus anxie, interdum & perniciosè, laborant: dum, quæ facta asserunt, quomodo fieri potuerint, ratiocinando disquirunt. Christiani, Deum omnipotentè confitentes, scimus, apud eum non esse impossibile omne verbum. Et absurdè quæri arbitramur, quomodo hoc vel illud potuerit, qui est omnipotens. Nec in villo reprehendimus opera Dei sed in omnibus, quæ eueniunt, illud Euangelicum sonantes: Benè omnia fecit, ipse omnipotentia totos nos permittimus, in cuius potestate sumus, sicut lutum est in manu figuli, *Hier. 18. Rom. 9.*

Luc. 1.

Mar. 7.

CREATOREM COELI ET TERRAE, Illustrius nota, qua verum Deum ab his, qui non sunt dii, secernimus. In opinione de Deo multum euanuit stulta & dementata gentilitas, per portiones colentes, quo quisque maximè indigeret, & à quo se vel iuuari posse vel noceri existimaret: Ita vt morbos & animalia, & multa diestum magis pudèda (inquit ille) diuinis honoribus colerèt. *Plin. li. 2. cap. 7.*

Christiani, asperrantes vanitatem Deorum istorum inanum, qui non fecerunt caelum & terram, Deũ verum confitemur, & colimus. quem à Dijs falsis euidenti signo distinguimus, quòd ipse est, qui fecit caelum & terram, *Psal. 95.* Omnes Dijs gentium, dæmonia, dominus autem caelos fecit.

E iij Cœli

Cæli autem appellatione omnia superna comprehendimus, Angelos, sidera. Per ipsum enim condita sunt vniuersa, siue Throni siue Dominationes: siue Principatus, siue Potestates: omnia in ipso & per ipsum creata sunt, Col. 1. Et hæc omnia aptauit Deus in vsum & ministerium hominis, Angelos, vt sint custodes corporum & animarum nostrarum, dum inter inimicas huius seculi potestates, vitam hanc degimus. Sidera, vt temporum nobis discrimina indicēt: & vsum lucis præsentent, sine qua in suis & prorsus nulla esset in terris vita nostra, Cælum ipsum, vt in terra durantibus nobis victum nostrum influxu suo adiuuet, & hinc demigrantibus æternum præstet domicilium.

GENE. 1.

Sic terræ nomine omnia inferiora intelliguntur, animalia, plantæ, quæ in hunc finem omnia sunt creata, vt (quod faciunt) ad vitam humanam multum commodarent. GENE. 1. 9.

Cæli ergo & terræ nomine, complectimur omnia creata, quæ vel corpus vel animam respiciunt, & quæ vel ad temporalem, vel ad æternam vitam, quoquo modo commodare possunt: Quæ vniuersa nobis promanant ab vno Deo qui fecit cælum & terram.

Nec in eo consumauit curam suam cælestis Pater, vt res omnes crearet ad vtilitatem hominis: sed creatas insuper conseruat, & iterata fecunditate, subinde renouat vniuersa, quibus humana vita sustentatur, testante scriptura: Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore. Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem turbabuntur: auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Quod si casus incidit, quo ad vitam nostram conseruandam res creatæ, vel non seruire, vel non sufficere, queant: Deus noster, qui creator est, sine omni difficultate etiam ex nihilo facere potest res nouas, aut aliunde nobis suppeditare, aut certe paucissimas virtute suæ benedictionis augere, vt ad nostram

PSAL. 103.

nostrum vsum abundè sufficient: Qualem potestatem in manna, in aqua de petra promanante, in panibus sepæ multiplicatis euidenter ostendit.

Exod. 16.
Exod. 17
Ioan. 6.

Plena est ergo maiestatis, plena reuerentiæ & gratitudinis, erga Deum Christianorum confessio. Qua credimus in Deum patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ: qua non solum affirmamus Deum esse, nec id etiam tantum, vera esse, quæ de Deo testantur scripturæ sanctæ: sed ita in Deum credimus, vt totos nos illi libenter permittamus, quem in verbis suis fidelem, & in omnibus promissionibus suis erga nos veracem, scimus: corpus, vitam, animam, in beneuolentiam & potestatem eius libenter tradimus cum & pater noster sit & omnipotens qui prodesse nobis & velit & possit. Omnium rerum, quas possidemus, laudem illi soli, vt Creatori, transcribimus. Qui & nos ipsos, & propter nos alia omnia fecit: qui nobis vitam & corpus dedit, Membra pulchrè distinxit, ratione nos surpa omnes animantes ornauit, honore nos auxit: liberos, uxorem, amicos, patriam, domum, ipse contulit: vestem, cibum etiam hodiè largitur; cælum & terram ad sustentationem. Angelos ad custodiam vitæ nostræ, deseruire facit. Itaque tanti patris fiducia inter varia mundi pericula, inter imminentes Diaboli insidias, securi perseueramus dicentes. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Curam omnem & sollicitudinem in eum reiciimus, nihil hæsitantes, quin etiam in posterum curæ sumus ei futuri, qui nos sapienter condidit, & conditos liberaliter hucusque conseruauit.

Fiducia
in Deum.
Rom. 8.
1. Pet. 5.

Sic credendo amamus Deum propter beneficia, & res res omnes, quas ab eo accepimus, rursus ad ipsius voluntatem non ad nostram libidinem, esse conuertendas, exigente æquitate, profitemur.

Vita nostra respō
deat con-

Cauendum autem, ne ab hac confessione vita nostra discrepet: ne ore Deum consistente, factis abnegemus. Si verè Deum conditorem nostrum, & conseruatorem, & omnem boni authorem, credimus: tantis in nos beneficiis liberalem redamemus, nec quicquam committamus eorum,

INSTITVTIO. CHRISTIANA

rum, propter quæ ira dei solet euenire in filios diffidentia. Si eundem & patrem nostrum esse confidimus, & omnipotentem scimus, de promissionibus eius nihil hæsitemus, sed & minas eius timeamus: Opera eius, nec curiosa ratiocinatione, nec diffidentia, coarguamus. Omnia bona ab ipso solo, seu fonte suo, petamus: sciētes, in creatis, nihil nobis auxiliij relictum esse, nisi quatenus eas ad vtilitatem nostram Deus sua benedictione & nutu fecerit efficaces.

Col. 3.

Secunda pars Symboli.

ARTICVLVS II.
ET IN IESVM CHRISTVM,
filium eius vnicum, Dominum nostrum.

Magnum
redemptionis
beneficium.

I

Mensam in nos charitatem Dei & benignitatem, sub patris ac Creatoris appellatione, designauimus. Nunc maius & speciosius commemoramus in nos Dei beneficium quod Filium suum pro nobis redimendis

impenderit.

Considerat nos Deus cum nihil essemus, ingens sanè beneficium: Sed excellentiorem multò in nos charitatem ostendit, quòd, cum culpa nostra periissemus, nos redemit, tradito pro nobis Filio, cuius morte, ab æterna dānatione, peccatis nostris debita, nos aueruit. Sic Deus dilexit mundum, vt vnigentium suum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat: sed habeat vitā æternam. In hoc est charitas dei, non quasi nos dilexerimus Deum sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiatorem pro peccatis nostris. Et Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam, si cum peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est multò magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum.

Ioan. 1.

1. Ioan. 4.

Rom. 5.

Sed vt redemptionis nostræ, per Christum impetra-

ta,

DE SYMBOLO APOSTOLORVM 5

tæ, beneficium clarius eluceat: penitus consideranda est naturæ humanæ miseria, quam peccatum primi hominis toti posteritati intulerat.

Primus homo, cuius nos soboles & propago sumus, ad imaginem Dei conditus erat, omnibus corporis & animæ viribus rectus & perfectus, positus in Paradiso deliciarum, vt expers ægritudinis omnis & mortis, ad Dei voluntatem & dispositionem translatus in cœlum, cum eo fœlicitatis æternæ cōsors esset. Sed Diabolus fœlicitatem, quam ipse amiserat, homini inuidens, per fraudem in peccatum primum parentem nostrum pellexit: Qui ex culpa inobedientiæ suæ factus mortalis, & in tota natura sua corruptus vnā cum peccato, etiam stipendia peccati in se recepit, iram Dei, & damnationem æternam. Eamq; naturæ suæ deprauationem, in omnem generis humani stirpem ingenerauit: tales ex sese procreans filios, qualis post peccatum esse ipse occeperat, id est, corporis pariter & animæ viribus deprauatus, & iræ Dei obnoxios, Ephes. 2. Rom. 7. Eccle. 40. Psal. 50. Huic iræ Dei omnes ex mulieribus communi lege nati, subiacentes, tantò grauius inde damnabantur, quantò magis ex natura, per peccatum corrupta, ipsi quoq; peccatis peccata accumulabant.

Huc Originali culpæ cum tota generis humani propago, infælicis Adæ posteritas, obnoxia esset: ex duobus alterum necesse erat, vel vniuersis infligi ex damnatione mortem (quoniam omnes peccauerant) vel eiusmodi redemptio precium pro omnibus, quod pro redimendis omnium delictis sufficeret. Homo itaq; saluare non poterat damnatam humanitatem, quia & ipse eodem peccati debito tenebatur: nec Angelus redimere poterat, cum tanti precij nõ esset. Deus ergo, cuius sapiētia incōprehensibilis, & bonitas immēsa, viā adiuenit, qua & mortuis vitā, & dānatis securissimā redderet liberationē: Filiū suū misit in mūdū, & mori eū permisit, pro nocentibus innocentem. Qui cōueniētissima ratione (vt inter, Deū & hominē mediator intercedere posset) simul Deus & homo erat. Nam

Admirandum redēptionis nostræ opus.

nec

nec purus homo, nec Deus nudus, idoneus esse poterant, ad istam saluandi generis humani rationem, quam Deus iusto iudicio constituerat. Homo quidem purus pati potuisset pro delictis hominum, sed eius precium ad omnium delictorum solutionem sufficere nequaquam potuit. Deus autem nudus pati non potuisset: At quomodo iustitiæ Dei satisfaceret, si delictorum vniuersitas sine pena relaxaretur? Deus ergo homo factus est, & mortuus est, qui erat natus, vt peccatis mortuos redimeret: qui & pœnam pertulit, iustitiæ Dei satisfaciens, & delicta persoluit, per quem habemus liberationem, per sanguinem eius remissionem delictorum.

Huic Dei & hominum mediatori, Deo & homini Iesu Christo, secunda Apostolici Symboli pars attribuitur, in qua plena fide, corde, & ore, proclamamus. Credo & in Iesum Christum, Filium eius vnicum, Dominum nostrum.

In eo quod nos, sicut in Patre, ita etiam in Iesum Christum, Filium eius, credere affirmamus: eandem in Filio cum Patre Deitatem, æternitatem, omnipotentiam, maiestatem, sapientiam, potestatem, testamur: Iesum Christum verum Deum de Deo vero confitentes.

Matth. 1. IESVS, Mediatoris nostri proprium vocabulum est, factis eius valde conueniens. Iesus enim saluatorem seu salutare sonat: aptum nomen ei, qui vnus omnium salutem perfecit. Ipse est enim, qui salum fecit populum suum à peccatis eorum, de quo Deus prænuiciauerat per *Esaï. 49* Prophetam. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Quem videns Simeon, mortem securè optauit, quòd vidisset salutare Dei, præparatum omnibus populis. *Luc. 1.*

Hoc illi nomen Deus per Angelum indidit, priusquam conciperetur in vtero: ne mundus in deligendo erraret, & alium fortasse saluatorem quæreret, cum non sit alius. Non est enim aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat eos saluos fieri. *Act. 4.*

Hic

Hic vnicus est agnus Dei, qui tollit peccata mundi, & in sanguine suo se verè Iesum, id est, saluatorem & propitiatorem pro peccatis præstat toti mundo. *Ioan. 1.*

CHRISTVS, Officij nomen est & dignitatis, vnctum significans. Vngebantur olim Sacerdotes, vngebantur & Reges. Vtranque dignitatem in se complexus est Iesus, ex Virgine sine viro natus, sacerdotalem & regiam & vtriusque functionem absoluit, vnde & nomen Christi, hoc est, vncti, excellenter meruit. *Christus Rex & Sacerdos.*

Ipse enim à Deo cõstitutus est Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedeck: ipse sacerdotale officium adimpleuit, dum hostiam seipsum in ara crucis, Deo Patri pro peccatis generis humani obtulit, & per proprium sanguinem, in sancta ingrediens, æternam redemptionem adinuenit. Sacerdotis etiã partes executus est, dum in diebus carnis suæ, præces, supplicationesque ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro reuerentia sua: & hodie apparens conspectui Dei, pro nobis interpellat ad Patrem, pro necessitatibus nostris. In his autem duobus sacerdotalis functio absoluitur: Vt orret, & offerat sacerdos pro delictis populi. *Psal. 109 Heb. 9. Sacerdotium Christi. Heb. 5. Rom. 8. Heb. 5.*

Similiter & regnum Iesu à Deo constitutum, per Angelum promulgatum est. Dabit (inquit) illi Deus sedem David patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum. Et ipse post resurrectionem suam, ad discipulos ait. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. *Regnum Christi. Luca. 1. Matt. 28.*

Est autem regij muneris, ab inimicorum iniuriis asserere subditos suos, tueri, dirigere: sed & coërcere & punire prauos & præuaricatores. Dum igitur Iesum confitemur Christum, id est, vnctum, in eius sacerdotio continuam super nos benedictionem & gratiam de ipso nobis pollicemur. In regno verò perpetuum ei super nos imperium, siue ad tutelam bonorum, siue ad malorum coërtionem, deferimus.

FI

Rom. 8.
Ephē. 1.

FILIVM EIVS VNICVM, Et nos filij Dei sumus, sed ex adoptione & gratia, non ex natura, & id etiam per Filium Dei verum, Iesum Christum. Christus verus Deus ex Deo vero, verus & coessentialis est Dei Filius: habens ex natura, vt esset Dei Filius, quod nos accepimus ex gratia. Ipse Filius Dei vnitate substantiæ, sicut nos gratia & adoptione. Ideoque vnicus est Dei verus & consubstantialis Filius, fratres habens adoptiuos multos: qui tamen omnes ex hac gratuita adoptione efficiuntur heredes Dei, quasi veri filij: Cohæredes autē Christi, si tamen compatimur, vt & glorificemur. Sed cum ex Deo non nisi Deus nasci possit, hac etiam confessione Christo æqualem cum Patre diuinitatē tribuimus, quam passim ei scriptura sancta attribuit, Esa. 9. Hierme. 23. Bar. 3. Mich. 5. Psalm. 2. 109.

Christus
verus Dei
filius: nos
adoptauit.

Christus
omnium
dominus.

DOMINVM NOSTRVM, Omnium quidem Dominus est Iesus Christus, Dei Filius: cum sit idem cum Patre, non alius Dominus, quàm Pater, sicut nec alius Deus, de cuius communi Dnminio rectè omnes creaturæ clamant. Ipse Dominus Deus noster, quoniam ipse fecit nos. Sed peculiariter credentium in eum Dominus vocatur, ex magnis & iustis causis. Premebat nos duro & crudeli Dominio Diabolus venditos sub peccato, cuius imperio addicti seruiebamus in iis, de quibus nunc erubescimus, cuius seruitutis stipendium recipiebamus æternam mortem. Venit Dei Filius, & impenso in precium sanguine suo, à Diaboli Tyrannide & seruitute nos redemit, & in libertatem & regnum suum nos afferuit, in quo verè liberi sumus, sicut scriptum est. Si vos Filij liberauerit, verè liberi eritis.

Ioan. 8.

In illo antiquo Dominio regnabat iniquitas, sed & terror, inquieta consciëntia, mors æterna. In hoc nouo Christi regno viget iustitia, securitas, pax consciëntiæ, vita, libertas, iustitia, & gloria sempiterna.

Meritò ergò Dominus noster, qui creauit & recreauit nos: fecit, cum nõ essemus: redemit, cum perissemus: Magna Domini & redemptoris nostri Iesu Christi dignatio, qui

qui

qui cum nos iure optimo seruos, vt à se redemptos possideat: nõ tamen dedignatur fratres nos vocare, Ioan. 10 & æternæ felicitatis sibi cõsortes & cohæredes asciscere. Rom. 8. Dominũ vocari Christum vides Luc. 2. Psal. 110. Matth. 10. Ioan. 13. Act. 10. 1. Cor. 2. 15. Vbi regnaturus affirmatur, donec posuerit omnes inimicos sub pedib' suis.

Ratio Dominiæ à nobis exigit, vt iam non iuris nostri esse velimus, secundũ desideria nostra ambulantes: sed vt voluntatem nostrã Domini voluntati subdentes, seruiamus ei, qui nos redemit: Sic enim nos scriptura cõmonet. Non estis vestri iuris, empti estis precio magno: glorificate & portate deũ in corpore vestro. Et, Pro oĩbus mortuus est Christus, vt & q̄ viuunt, iam nõ sibi viuãt: sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Et, Christo igitur passio in carne, & vos eadem cogitatione armamini: quia q̄ passus est in carne, desit à peccatis, vt nõ iã desideriiis hoĩm: sed Dei voluntati, quod reliquũ est in carne viuat temporis. Et, Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ, humanũ dico. Sicut exhibuistis mēbra vestra seruire in mundiciæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra, seruire iustitiæ in sanctificationem.

Dominus
debetur
obediẽtia.
1. Cor. 6.

2. Cor. 5.

1. Pet. 4.

Rom. 1. 9

Vis articuli
fensu
di.

Igitur in Iesum Christum, Filium Dei vnicum, Dominum nostrum. nos credere profitentes: simul & quid de Iesu sentiendum sit, & quid de eo sperandũ nobis inimicis. Christo enim eandem cum Patre diuinitatem tribuentes, in eo salutis nostræ proram ac puppim collocamus: Vt in eo, quem Deus vnicum propitiatorem & saluatorem iam inde ab initio promisit, & in nouissimis diebus exhibuit, cõtradiciamus perfidiæ Iudaicæ, qui Iesum Christum, mundi saluatorem, abnegantes, Mesiã alium frustra expectant, & cum, quem Deus misit, reiicientes, si alius in noĩe suo venerit, illũ miserĩ & decepti accipiẽt.

Ioan. 5.

Iesum Christum confitemur Sacerdotem & regem nostrum, qui oblata pro nobis salutari corporis sui hostia, nos redemit: redemptos tuebitur & reget in finem, conseruans nos, vt ne capillus quidem noster, sine eius voluntate, cadat in terram.

Sed

Sed hic quoque prospiciendum nobis, ne oris confessionem vita nostra redarguat. Si salutem à Christo accepimus, reddamus ei nostram gratitudinem: Si verè in eius Dominum concessimus, debitum obsequium ei honore & obedientia exhibeamus, ne nos diuinus sermo redarguat. Filius honorat Patrem, & seruus Dominum suum: Si ergo Pater ego sum, & est honor meus? & si Dominus sum, vbi est timor meus? Et, Quid me vocatis Domine Domine, & non facitis quæ dico?

Malach. 1

Luce. 6.

ARTICVLVS III.

QVI CONCEPTVS EST DE

Spiritu Sancto, Natus ex Maria Virgine.

Edemptionis nostræ beneficiû Christo Dei Filio acceptum ferimus, Dominum cum appellantes, quod ipse nos è seruitute Diaboli & ab æternâ damnatione vindicarit: Nunc sequentibus articulis redemptionis nostræ modus explicatur. Sic enim nos redemit, vt qui Deus erat, nasceretur homo, & pateretur, id quod sequentibus articulis summatim ostenditur.

QVI CONCEPTVS est de spiritu sancto. Verum Deum, & hominem verum esse oportebat eum, qui mediator Dei & hominum existeret. Christus itaque Deus verus, de Deo vero ante secula genitus, etiam ex homine verus homo in seculo natus est. Sed cum peccati immunem esse deceret eum, qui aliena peccata solueret: Omnis autem humana conceptio, ex sexuum commixtione proueniens, etiam in legitimo thoro, in hæc carne peccati, non sine pudenda concupiscentia carnis, quæ ex peccato accidit, peragatur, sine qua concipi voluit, quem sine peccato esse oportebat: Conuenientissima ratione diuina sapientia disposuit, vt Christus, qui venerat omnium crimina expurgare, ipse ab omni peccati

cati forde purissimus, de virgine sine admixtione virilis feminis nasceretur. Sed ne quis insolitum naturæ ordinem miretur, nouæ huius & admirandæ natiuitatis author, ipse naturæ opifex & Dominus ostendit. Ne velis exigere naturæ legem in eo, qui naturam fecit, ne operibus suis similem putes factorem. Purissimam Christi conceptionem intra castissima virginis viscera Spiritus sanctus contexit, iuxta Angeli promissum, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.

Cōceptio ex virgine auctore Deo, admodum possibilis.

Luc. 1.

Si itaque omnipotentiam opificis consideres, non miraberis operis nouitatem: sciens, apud Deum non esse impossibile omne verbum.

Luc. 1.

Fuit ergo Christi conceptio, noua, admiranda, purissima, sanctissima & verè diuina ex Spiritu sancto. Natiuitas verò vsitata (præterquam quod sine dolore, & sine vlla fœditate peperit, quæ sine voluptatis illecebra concepit) & verè humana. Verè enim ex muliere factus est homo, qui æternus est Dei Filius, de purissima virginis carne & sanguine verum hominis corpus assumens, & diuinâ cum humana naturâ inconfusa vnione coniungens.

Christi conceptio admiranda, natiuitas vsitata.


Duas ergo naturas in Christo confiteri nos docet fides Catholica. Alteram diuinam, qua Patri & Spiritui sancto æqualis est & coeternus: Alteram humanam, qua similis nobis apparuit, forma serui assumpta, & habitu inuentus vt homo: passionibus naturæ nostræ, frigori, fami, calori, tristitiæ per omnia obnoxius, ad similitudinem veri hominis, excepto peccato, & si quid sic eum peccato communicat, vt plenitudinem gratiæ excludat.

Hinc Christiani intelligimus in diuersis Christi actionibus, in quibus nunc infirmitas humana, nunc diuina potentia apparet, quomodo eas discernere, & vtras vtri naturæ deputare debeamus: Simul & charitati eius in nos immensæ, gratias ex animo agimus, qui cum esset

Diuerse in Christo actiones, diuersis naturis tribuendæ.

F

Deus



Deus, non est dedignatus ob nostram salutem semetipsum exinanire, & debilem hominis formam sumere, ut nostræ infirmitati salutarem conferret medicinam, Phil.

Virginis
Mariæ
sacr. a-
Et pius
omnibus
memoria.

EX MARIA VIRGINE, Redemptis nobis ex voluntate Dei per vnicum eius Filiū, sacrosancta esse debet & gloriosæ Virginis & matris Mariæ memoria, quæ electa à Deo, ut esset Filij eius mater, adeo promptum Deo obsequium, & idoneum salutis nostræ præbuit ministerium.

Sicut ad Euæ nomen meritò inhorrescimus, memoriam in omnes homines per eam transfusa miseriæ: Sic ad Mariæ nomen exhilaramur & recreamur, per quam depulsa est ab humano genere Euæ iniuria, & cumulatio filius toti orbi reedit. Quid ni gloriemur in hac Virgine redemptionis nostræ instrumento, vase salutis nostræ, quæ redemptorem nostrum castissimis conceptu visceribus, & nascituro pro salute nostra Dei Filio, corpus quod pro nostris delictis abolendis in hostiam offerret Deo, de purissima carne sua & sanguine dedit. Cur nam iuxta eius vaticinium, hanc Virginem beatificemus, gratis ac piis attollamus laudibus, quòd ei magna fecerit, qui potens est, & sanctum nomen eius?

Quotiescunque reminiscimur, quid nobis in humanitate sua profecerit Dei Filius, nequaquam obliuisci possumus Virginis Mariæ, de qua Filius Dei salutarem tantum mundo assumpsit humanitatem.

ARTICVLVS III.

PASSVS SVB PONTIO PILATO, crucifixus, mortuus, & sepultus.

Non opere redemptionis nostræ, vndique rediret Christi Filij Dei immensa in nos caritas. Nasci dignatus est pro nobis, qui eternus: pati & mori, qui erat immortalis. Et cum esset in gloria Dei, pro salute nostram

Philip. 7.

trò se demisit ad ignominiam crucis, crudelissimum & turpissimum genus mortis non reformidans. Pius Dominus, cum in peccatis iaceremus mortui, eò vsque se humiliavit miserando, quò vsque nos peccando decidimus: mortem subit amaram & ignominiosam, ut nos, morti addictos, æternæ redderet vitæ.

PASSVS EST, non tunc solum, cum in cruce sanctissimæ eius membra extenderentur: Sed cum per omnem vitam verus homo, naturæ nostræ infirmitatibus obnoxius viuens, frigus, æstum, fatigationem, famem, probra, pertulit.

Ad huius spontaneæ passionis eius imitationem, animari nos oportet, ne greuemur ad exemplum Ducis nostri, momentaneas huius seculi tolerare iniurias, Heb. 12. 1. Pet. 4. Ut æternæ eius gloriæ cõsortes esse possimus. Conregnabimus enim, si & compatimur, Rom. 8.

MORTVVS, est pro nobis, ne cunctemur & ipsi pro eius nominis confessione, aut aliòqui pro fratrum utilitate (si necesse sit) animas ponere.

Cum

Certè, qui mortem Christi nobis esse salutarem expectimus, simul cum illo veteris hominis vitiiis cõmoriatur, & in nouam resurgentes vitam, perstemus in illa: nõ de- & in nouam resurgentes vitam, perstemus in illa: nõ de- & in nouam resurgentes vitam, perstemus in illa: nõ de- *riendum,* nõ crucifigentes Dominum, id est, talia nõ iterum perpetrantes, pro quibus abolendis crucifigi & mori voluit innocens Dei Filius, Rom. 6. 2. Cor. 5. Col. 1.

ARTICVLVS V.

DESCENDIT AD INFEROS.

Descendit inuasor Inferorum, non debitor: exactor, non peccator. Venit iudex Inferorum, nõ supplex: Venit perimere & destruere, non succumbere: Venit eripere, non manere. Ad carcerem Inferorum Rex cœli descendit

F ij descendit

scendit sine ignominia, rediit cum ingenti gloria. Sicut Rex terrenus aliquis, ciuitatem inimicam expugnans, carceres effringit, introit, liberat, si quos de suis ciuibus inibi captiuos inuenit: Sic Christus ad inferos descendit, non ut pœnas proprias lucret, sed ut alienas dissolueret: non ut vinciretur, sed ut victos educeret: non ut præda fieret, sed ut prædam raperet. Forti enim armato, quem iam in cruce triumphans deuicerat, & arma eius, in quibus confidebat, confregerat: nunc superuenies, & atrium eius violentus victor irrumpens, prædam eius diuisit. Christi descensio, iuris Infernalis abolitio, & nostra liberatio est. Fregit fraus inimica diaboli repensa est, qui Christum hominem auidè in mortem rapiens, & in humanitate latentem diuinitatem nõ considerans, dum capere intendit, captus est, sicut piscis escam deuorans, abdito in ea hamo perstrictus, captam escam nõ aufert: sed aliis eam futurus ipse capitur & extrahitur.

Non tamen Infernales pœnas omninò sustulit, aut prorsus deleuit Christus: sed momordit iuxta Prophetæ testimonium. Ero mors tua ò mors: ero morsus tuus Inferne. Partem ergò de Inferno destruens Christus, & partem relinquens: bonis de liberatione spem, & malis de pœna metum, reliquit. Sic enim infirmauit Christus imperium Diaboli, sic Infernum destruxit, ut credentibus in Christum, & in fide eius dignè ambulantiibus, nõ sit metuendù vllù supplicii. Rursus de pœnis Inferorum tantum reliquit, quod ad debitum supplicium peruersorum abundè sufficiat.

ARTICVLVS VI.
TERTIA DIE RESURREXIT
à mortuis.

Idisti hominis Filium in infirmitate mortem, nunc considera Dei Filium, in gloria resurgentem: Crucifixum in infirmitate, resurgentem in virtute Dei. Hæc Domini resurrectionis, fidei nostræ Basis est, in eam spes omnis

2. Cor. 13

V

omnis nostra innititur: Hoc est, cur omnia graua in hoc mundo lati perpetimur, hoc est, cur in aduersis securi duramus: scientes, quòd, qui Dominum Iesum excitauit à mortuis, idem eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Ideoque non deficimus, sed momentaneas seculi huius tribulationes firma spe toleramus, quas scimus non bis in resurrectione æternis bonis repèdendas. Certum est autem, quoniam Dominus resurrexit, nos quoque post eum suo quenque ordine resurrecturum, 1. Cor. 15. 1. Thes. 4.

Vt autem Christi morte comparatam nobis, & resurrectione eius confirmatam, hæreditatem capiamus: nos, ut mortis, ita & resurrectionis eius, cõformes fieri oportet, ut peccatis mortui, resurgamus in nouitate vitæ, iam non quæ carnis sunt perpetrantes, nec quæ terrena sunt sapiantes: sed quærentes quæ superna sunt, & cœlestia. Si consurrexisti cum Christo (inquit Apostolus) quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est, in dextera Dei sedens: Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est Christo in Deo. Cum autè Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum Christo in gloria. Mortificate ergò membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, auaritiam, & quæ sequuntur. Similiter Roma. 6. Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus, consulti sum illo per baptismum in morte, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, & resurrectionis erimus participes: scientes, quia vetus homo noster crucifixus est, ut destruat corpus peccati, ut vltra non seruiamus peccato.

Cũ Christe resurrectionem.

Col. 3.

E iij

ARTICVLVS VII.

ASCENDIT AD COELOS, SEDET

ad dexteram Dei, Patris omnipotentis.

Humana naturam Christi exaltata.

C

Christus in assumpta humanitate in terris uaria perferens, infelicis generis humani naturam à perditione liberauit, in cœli ascendens, eandem immensa auxit gloria: non contentus perditos saluasse, nisi & saluatos

in super cupularet multa dignitate. Quanta enim naturæ humanæ dignitas, quam in seipso Dei Filius cœlo intulit, & ad dexteram Patris collocauit, unde nobis spes indubitata ostensa est, carnem nostrâ, utcumq; ex seipsa vilem, & miserâ, ex dignitate tamé Christi olim in cœlo collocandam, qui ob id ipsum uilitatē carnis nostræ non horruit in seipso, ut in nobis quoque eandem ad immensam claritatem & incorruptibilitatem commutaret. Qui reformabit (inquit. Apostolus) corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem uirtutis suæ.

Phil. 3.

Ações Christi fidei nostræ robur addunt.

Verè salutare Christi actiones, quæ undique spem copiosam de se promunt credentibus, ut à damnatione liberationem acciperemus: Ipse corpus suum in hostiam dedit, sanguinem fudit in precium, ut post naturalem dissolutionem, vitam nouam in corpore simul & anima speraremus: Ipse mortis vincula primus rupit, & suis se redituum exhibuit, ut non solum de alia uita securos nos redderet, sed gloriam & dignitatem nostram, quæ post hanc vitam futura est, patefaceret: Carnem nostram in seipso cœlo inuexit, & collocauit in dextera Patris, ne quis dubitare posset, olim nos eò peruenturos, quò caput nostrum penetravit. Non erit experta futura gloriæ caro nostra: non exul à cœli patria, cuius primitias iam nunc in cœlo Christus dedicauit in seipso.

Hac

Hac spe in futurum fulcit animos nostros Christus in cœlum ascensio, ut speremus nos eò secuturos, ut perpetuò simus membra cum capite: ministri cum Domino & Duce nostro. Interim tamen quotidie consolationem ex eo accipimus, quoties recordamur, Christum ad cœlos ascendisse: scientes, ibi eum coram Patre Aduocatum pro nobis excubare, & interpellare pro necessitatibus nostris, & inde nobis transmittere, quæ in terra peregrinantibus, ad tuendam corporis & animæ salutem, necessaria nobis & utilia sunt, dicente scriptura. Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus.

Christus ad dexteram Patris sedes hinc nostras ne cessitates uidet adiunat.

Si tamen eò peruenire cupimus, quò caput nostrum ascendisse credimus: curandum nobis erit, ut membra eius esse perseueremus, & in ipso inueniamur. Nemo enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. Huic nos coniungi, & ascendenti adherere oportet, ut in ipso pariter subleuemur in cœlum. In Christo autem manere, & esse membrum Christi, eique coniungi & adherere, nihil aliud est, quàm uitæ sanctitatem sollicitè custodire, & præcepta eius seruare, Ioan. 15. Qui habet spem in eo (inquit Ioannes Apostolus) sanctificat se, sicut & ille sanctus est. Omnis qui facit peccatum, iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas. Et scitis, quia ille apparuit, ut peccata tollerent, & peccatum in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat: & omnis qui peccat, non uidit eum, neque cognouit eum.

Ioan. 3.

Christi membrum esse, quid sit. Ioan. 3.

Membra Christi sunt, qui omnem impietatem & desideria secularia abnegantes, piè, sobriè & iuste uiuunt: qui membra, quæ super terram sunt, mortificant, fornicationem, libidinem, auaritiam &c. Qui autem ista adhuc sectantur, Christi membra esse non possunt. Nescitis, quoniam corpora uestra membra Christi sunt: tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis: sic omne peccatum à Christo nos disiungit.

F iij

Christus

Christus ergo ascendens in cœlum, viam patefecit secuturis membris suis. Sed si quis sequi vult, iam nunc Christo se adiungat, & spretis terrenis, quæ sursum sunt cogitet, & se mundum à crimine contineat. Nulla enim auaritia, nulla libido, inuidia, fraus, aut vllum aliud peccatum, introibit in cœlum, quod Sanctorum modò domicilium est, testante scriptura. Beati qui lauant stolas suas in sanguine agni, vt sit potestas, eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem. Foris autem canes & venefici, & impudici & homicidæ, & Idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium. Et, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.

Apoc. 22

Matt. 19.

SEDET AD DEXTERAM PATRIS,

Sedere ad dexteram Patris, quomodo intelligendum.

Christi gloria & potentia, piis incunabula formidolosa.

Matt. 12.

Ad dexteram Patris sedere Christum confitemur eo sensu, vt significemus, eum æquali cum Patre esse gloria: Corporis enim pars honoratior est dextra. Vnde Christum non inferiorem Patre, sed parem & pari honore credimus. Hinc consolatione replemur: cogitantes Christum naturæ nostræ consortem, fratrem, aduocatum & mediatorem nostrum in tanta esse potentia, vt opitulari suis in tempore oportuno abunde sufficiat. Simul admonemur, quàm magna cautione nobis viuendum sit, qui vbicunque locorum sumus, semper sub oculis futuri iudicis versamur: qui omnes actus nostros ex alto intuetur, omnibus negociis nostris præfens adest: quem non facta nostra, non verba, non cogitationes quidè latere queunt: qui omnium actuum nostrorum, vsque ad verbum ociosum, accuratam rationem exigit. Si ergo in turpibus factis, conscientiam hominis refugis, multò magis iudicium tuum extimesce, quem, iniusta perpetrans, latere non potes, qui ad dexteram Dei sedens, cuncta quæ fiunt ex alto conspiciat.

ARTICVLVS VIII.

INDE VENTVRVS EST IVDICARE VIVOS & MORTUOS.

N primo aduentu mansuetus & humilis venit Christus, missus à Patre, non vt iudicaret mundum: sed vt mundus saluaretur per ipsum. Ideo quæ redimendis nobis semetipsum impendere volens, humiliauit se, & iniuste iudicantium manibus sese tradidit, vt innocenter damnatus, nocentium meritas pœnas dissolueret. In secundo aduentu veniet cum gloria & maiestate multa, & omnes Angeli eius cum eo: & sedebit super sedem maiestatis suæ, & sistentur ante ipsum omnes gentes, & segregabit eos, sicut pastor separat oves ab hœdis: & discussis omnium factorum, verborum, & cogitationum meritis, malos terribili increpatione cõpelleret ire in ignem æternum: bonos verò benignè inuitatos, introducet ad cœnâ agni, vbi vita erit & lætitia perpetua. Sic ipse Dominus contestatus, est. Et ibunt mali in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam. Et, Qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala fecerunt, in resurrectionem iudicij. Et Apostolus. Qui reddet vnique secundum opera eius, gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus: vitam æternam. His autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati: ira & indignatio, & tribulatio & angustia, in omnem animam hominis operantis malum. Rom. 1. 2, 2. Cor. 5. Et 1. Thess. 4. aduentû Domini disertè designas, ait. Nolo vos ignorare, fratres, & quæ sequuntur.

Non autem erit mora opus, vt singulorum merita discutiantur: quoniam cordium abscondita in aperto erunt, & vnusquisque sua ipsius conscientia aut accusabit aut defendet, iuxta illud Apostoli. Testimonium illis reddente conscientia ipsorum, ac inter se cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die quum iudicabit Dominus occulta hominum.

Primus Christi aduentus in humilitate.

Philip. 2.

Secundus in gloria. 1. 2. Pet. 2

Matt. 25

1. Joan. 5.

Rom. 2.

Rom. 2.

INSTITVTIO CHRISTIANA

Mortui & viui qui. Iudicabit Christus viuos & mortuos, hoc est, & eos, qui tot annorum millibus ab initio orbis conditi, mortē optetuerunt: & eos etiam, quos dies illa superueniens adhuc in carne viuentes reperiet, qui & ipsi subitō immutabuntur, & in momento, deposita corruptibilitate, & induti incorruptione, rapiuntur in aëra, obuiam Domino ad iudicium venienti, 1. Thessal. 4.

Est itaque certissima aduentus Domini expectatio: horam autē incertā esse voluit, vt dum nullā nobis horā certam polliceri possumus, incertæ expectationis curam sustinentes, omni momento expectemus venturum, quem ignoramus, quando venturus sit. Et iudicis aduentū omni hora præstolantes, sic semper viuamus, quasi postero die mox iudicandi. Vigilate ergō (inquit Dominus) Quia nescitis diem, neque horam.

Exitus sui diem vnusquisque sollicitate expectet. Non autem in illum diem tantum intenti debent esse fidelium animi, quo Christus vniuersum mundum iudicabit: sed suum quisque diem sollicitè expectet, quo de hoc mundo talis exibat, qualis in illo die iudicandus erit. Quamobrem omni Christiano semper vigilandum est, ne cum dies suus imparatum inueniat: talem cum vtique redditurus iudicio, qualem de mundo emigrante exceperit.

Iudicii dies bonus eueniet lata: malis terribilis.
Philip. 2.
Heb. 6.
2. Tim. 4. Sed quodcumque tandem dies illa iudicij superuenierit, iustis ac diligentibus Deum leta ac desiderata veniet, iuxta illud Domini. His autem fieri incipientibus respicite & leuate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra. Idem enim est piorum omnium desiderium & votum: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Certi enim sunt de iustitia iudicis, qui boni operis ipsorum nequaquam obliuiscetur: sed reddet illis mercedem etiam supra meritum, Apostolo testificante. Bonum certamen certavi, cursum consumaui, fidem seruaui: In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa iudex iustus, non solum autem mihi: sed & his, qui diligunt aduentum eius.

Malis

DE SYMBOLO APOSTOLORVM. 46

Malis autem & impiis, dies Domini terribilis erit & amara valde: iræ & miseriæ & calamitatis dies. Perturbabuntur enim timore horribili, præ insperato interitu suo. Cum enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in utero habentis, & nō effugiet, 1. Thes. 5. *Sophon. 1.*
Sap. 5.

Hanc diem sedulo in animo versantes, & illud tremendum Christi tribunal præ oculis habentes, cum etatius minusque peccabimus, iuxta illud. In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. *Eccle. 7.*

Tertia pars Symboli.

ARTICVLVS IX.

CREDO IN SPIRITVM
sanctum.

I N prima Symboli parte vnā in Deitate personam confitemur, Patrem cœli & terræ conditorem, qui nobis à se magnificè conditis, res, ad vsum & subsidium nostrum necessarias, liberaliter dedit: datas benignè etiam hodie renouat, adauget, conseruat.

In secunda parte alteram personam confitemur, Iesum Christum, vnicum Dei Patris Filium, qui pro nobis redimendis conuenientissimam rationem iniens, natus ex virgine, factus homo, crucem pertulit, & in mortem solutus infernum adiit, deuiſtaque aduersaria potestate, & redemptione humani generis cōpleta, Victor ad cœlum gloriosus ascendit, sedensque ad dexteram Patris, operitur diem, quo rediens mundum iudicet per ignem.

Nunc in tertia Symboli parte, tertiam in Deitate personam profitemur, dicentes. Credo in Spiritum sanctum. Est autem opus Spiritui sancto peculiariter attributum.

butum, vt creatos à patre, & per Filium redemptos, virtute & gratia sua, peccatorum remissionem operas, sanctificet, & in nobis sanctificationem conferuet.

Non tamen quenquam ista cogitatio subire debet, dum tres personas, in Deitate confitemur, & singulis personis proprias actiones tribuimus, ob id nos tres Deos credere. Deus enim noster, Deus vnus est, simplex & idem in essentia, eiusdem potentia, sapientia, gloria, æternitatis, voluntatis: trinus in personis, Pater & Filius & Spiritus sanctus: vnus omnia operans in omnibus. Cui sic omnes actiones tribuendæ sunt, vt seruata personarum proprietate, tota Trinitas, Pater & Filius & Spiritus sanctus, inseparabiliter omnia in omnibus operari & efficere credatur.

Actiones in Trinitate, seruata personarum proprietate, ab omnibus personis inseparabiliter fiunt.

Itaq; cum dicitur, quod Deus fecerit mundum, intel-
ligitur Pater cum Filio, & per Filium cum Spiritu sancto,
condidisse vniuersa. Et cum dicimus, Filiū pro nobis pas-
sum, intelligimus passionem Filij, operatum esse Patrem
& Filium & Spiritum sanctum. Et cum remissio peccato-
rum tribuitur Spiritui sancto, intelligimus totam Trini-
tatem hoc donum etiam inseparabiliter operari.

Dum in spiritum sanctum credere nos fatemur, æqua-
lem cum in Deitate Patri & filio facimus. Id enim sermo-
nis huius proprietas valet: Credere in aliquid, quod est
fiduciam salutis in eo collocare, quod vni Deo conuenit.
Cū itaq; in tres personas æqualiter credimus, in Patrem,
in Filium, in Spiritum sanctū, easdem vnum & eundem
Deum confitemur. De Spiritu sancti Deitate, quem à
Patre Filioq; procedere, distante scriptura, didicimus,
vide Testimonia Matt. 28. Gen. 1. Psal. 50. Esa. 6. A. ct. vlt.
Ioan. 7. 14. 15. 16. 20. Ephes. 1. 1. Ioan. 5.

Spiritus sanctus ad discretionem aliorum spirituum, cum sint multi alij spiritus boni & mali, inter quos Angeli etiam sancti appellantur: sed à sanctitate creatoris sui multū differunt. Spiritus enim Deus natura

Hunc spiritum, creatorem & Deum, ad discretionem
aliorum spirituum, peculiari nomine vocant scripturæ spi-
ritum sanctum. Cū sint multi alij spiritus boni & mali,
inter quos Angeli etiam sancti appellantur: sed à sancti-
tate creatoris sui multū differunt. Spiritus enim Deus natura

tura sanctus est, ex se omnia sanctificans, & ipsos etiam
Angelos sanctos reddens. Vnde & Angelorum & homi-
num spiritus dici possunt sancti, sed sanctificati per spi-
ritum Deū, qui solus sanctus est, ex se sanctificans omnia

Appellatur autem spiritus sanctus in scripturis diuer-
sis nominibus, secundum diuersas operationes suas: spi-
ritus sapientiæ, intellectus, consilij, fortitudinis, scienti-
æ, pietatis, timoris Dei: spiritus adoptionis, spiritus re-
ctus, Principalis, digitus Dei, Paracletus: Spiritus bonus,
cū sit idem spiritus omnia operans in omnibus.

Spiritus sancti in scripturis multa nomina.

Præcipuè autem, dum in confessione fidei nostræ spi-
ritum sanctum appellamus, eam sanctificationem innui-
mus, quam ipse in nobis operatur, cuius operationis mo-
dum sequentes articuli discretè explicabunt.

Deum cur spiritum sanctum vocemus.

Primam sanctificationem de bono Dei spiritu, hauri-
mus in Baptismo. Vbi cum Originali culpa, etiam omnia
præteritæ vitæ actualia peccata, Spiritus sanctus virtu-
te sua remittit, abluit & expurgat: Vt, qui prius immundi
& infœlices Adæ filij eramus, mox spiritus sancti benefi-
cio ab omni crimine puri & damnatione immunes, inter
filios & hæredes Dei connumeremur. Hæc aliquādo qui-
dem fuistis (inquit Paulus) sed abluti estis, sed sanctifica-
ti estis, sed iustificati estis, in nomine Domini nostri Ie-
su Christi & in Spiritu Dei nostri. Et Qui saluos nos fecit
per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritus
sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum,
saluatorem nostrum: vt iustificati per gratiam ipsius, hæ-
redes simus secundum spem vitæ æternæ.

1. Cor. 6.

Tit. 3.

c Sed cum in Baptismate dimisso omni reatu, ipsa tamen
concupiscentia in nobis relinquatur, quæ contra spiritum
renitens, & ad malum nos sollicitans, continuè etiam in
senatis bellum exuscitat: opus peculiariter attributum
piritui sancto est, per infusam in baptismo charitatem,
concupiscentiæ impetus reprimere, & voluntatem no-
stram ad bonum conuertere: opera carnis mortificare,
deside-

desideria sancta in nobis fuscitare, & ad bonum efficiendum vires suggerere. Non est enim in hominis potestate & natura, vel cogitare bonum vel facere, sine ope & afflatu Spiritus sancti, sine quo imbeciles & infirmi: cum ipso autem & per ipsum, ad omne opus bonum efficaces & validi sunt omnes, qui ex aqua & Spiritu sancto renati sunt, Rom. 8. Gal. 5.

Fit autem, dum acceptam in Baptismo Spiritus sancti gratiam negligenter custodimus, & magis secundum carnis desideria declinamus, quam ut Spiritus sancti ducatum ad bonum sequamur: ut in peccata sæpe relabamur, ubi rursus nouo Spiritus sancti afflatu indigemus, qui conscientias nostras de peccato arguat, & poenitentiae ardorem in nobis suscitet. Sicut enim in corpore occisus, seipsum ad vitam resuscitare nequit: ita lethali peccati vulnere spiritualiter peremptus, à morte peccati nequaquam resurgere potest, nisi Spiritus sanctus, igne gratiae suae frigidum peccatoris cor, ad poenitentiam inflamet. Eiusdem ergo spiritus Dei donum est, & poenitentiae feruorem inspirare, & poenitentibus peccata remittere.

Sine bono motu spiritus sancti, nemo de peccatis poenitet.

Sic per varias operationes sanctificationem in nobis inchoans, ad augens, conseruans, & subinde instaurans spiritus sanctus, corpora nostra sibi in templum sanctum & gratum habitaculum consecrat: & ipse in nobis habitans, corda nostra vnctione sua imbuendo, & intellectum nostrum illuminando, diuinæ voluntatis & agnitionis nos capaces reddit, Et de Christo testimonium exhibens, & adoptionem filiorum in nobis contestans, fiduciam nostram in Deum erigit & confirmat, ut per eum clamemus Abba, Pater. Nec solum fiduciam interpellandi ad patrem nobis præbet, sed & quæ utiliter petere debeamus, ipse suggerit.

Rom. 8.

Eiusdem Spiritus sancti vigore illud charitatis vinculum glutinatur, quo omnes inter se fideles, in vnum corpus connectuntur inter se firmisimè, & vnus corporis membra integra coherenter: ut licet longa terrarum mariumque, inter capedine corpora eorum disjungantur, animi

animi tamen & voluntates eorum, in vnam fidem & doctrinæ professionem, & eundem Sacramentorum vsum consentiant: ut eodem Spiritu Doctore, idem omnes dicant, & perfecti sint in eodem sensu & eadem sententia. *1. Cor. 1.*

ARTICVLVS X.

ECCLESIAM SANCTAM, CATHOLICAM: Sanctorum communionem.

Vius articuli non minùs quam aliorum, ad salutem necessaria credulitas & accurata custodia. Si quis enim cætera se confiteatur credere: Ecclesiæ autem vnitatem fide & conuersatione non tenuerit, à veritate aberrauit, & à spe salutis excidit. Ecclesia enim domicilium fidelium est. Hæc Dei peculium, hæc eius est familia, ad quam solum omnia Domini beneficia pertinent, quæ conferre ad salutem possunt: Ita, ut extra hanc familiam existens, de beneficiis, quæ Deus redimendo humano generi per Filium impendit, nequaquam communicet. Siquidem vnam sibi sponsam adiunxit Christus, quam Spiritus sanctus in persona Christi designans, ait. Vna est columba mea, perfecta mea: vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Hanc vnam adamauit Christus, & semetipsum pro ea tradidit, ut illam sanctificaret: mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed ut sit sancta & immaculata.

H

Cant. 6.

Ephes. 5.

Quod multis etiam veteris Testamenti figuris præstentum est, in vna Ecclesia congregandos, qui saluandi essent, nec extra eam cuiquam salutem cotingere posse. Ex diluio seruati sunt soli, qui intra Arcam manebat: extra illam, ne vnus quidem euasit. Et Raab (quæ Ecclesiæ figuram præferebat) dictum est ab exploratoribus Israël. Patrem tuum & matrem tuam, & omnem cognationem tuam, congregabis *Extra vnam Ecclesiam nemo saluatur.*

Exod. 12

gabis in domum tuam: Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, reus sibi erit. sanguis ipsius erit in caput eius. Agnum etiã Paschalem, qui in figura Christi occidebatur, lex præcipiebat, intra vnam domum manducari debere, ne quid de eo foras mitteretur: Innuens, præter vnam Ecclesiam, non esse aliam domum credentium, in qua veri agni etiam salutarem percipiant: Extra domũ illam existens, de eo gustabit nemo, de eo nihil foras mittitur: extra Ecclesiam, Christi gratia nemini fruenda conceditur

Nihil ergo mihi proderit, in omnibus aliis rectam fidem profiteri, si Ecclesiam non credidero, aut eius vnitatem non tenuero. Nihil mihi proderit, si ex dilectione Dei, per mortem Filij eius comparatam generi humano, salutem credidero (quod etiam Dæmones non ignorant) si extra Ecclesiam, in qua vna salus ista credentibus dispensatur, & iruenda conceditur, per hæresim aut per schisma me eiecero. Nihil me iuuabit, credere diuitem & in suos liberalem Dominum, si non in familia eius ego quoq; adnumerabor.

In sola ergo Ecclesia vberã gratiæ suæ thesaurũ Christus recõdidit, & eius dispẽsandi potestati Ecclesiæ commisit: simul & instrumenta, dispensandæ gratiæ suæ, sacramenta videlicet, Ecclesiæ tradidit.

Cypri. de simpli. præl.

Simul itaq; à Christi præmiis alienum se facit, quisquis Ecclesiæ vnitatem reliquerit.

ECCLESIAM. Ecclesia euocatam concionem sonat, quo nomine complectimur omne cœteri, qui à primo electo, vsq; ad vltimum, Deo per fidem Christi in hærent. Semper enim in mundo suos habuit Deus qui promissionibus eius confidentes, expectabant salutare eius.

Sic autem illi, Ecclesiam Dei constituebant, qui in venturũ Christum credebant: sicut nos nunc Ecclesia sumus, qui venisse Christum, & eic voluntate patris redemisse mundum, confitemur. Horum omnium multitudinem Ecclesiæ nomine comprehendimus, qui partim adhuc

adhuc in mundo peregrinantes, & cum variis huius vitæ ærũnis depugnantes, duram militiam sub spe coronæ sustinent: partim verò ex ærumnis seculi iam euaserunt, & accepta iustitiæ corona à iusto iudice, cum eodem regnãt in gloria. Horum vtrorumq; multitudo, cum vna sit Ecclesia, propter hos triumphans: propter illos verò militans, Ecclesia nuncupatur.

Militans Ecclesia, quã in diu in terris esse perseverabit, semper malos bonis admixtos continebit. Mali enim, tamen si charitate vacui sint, & ob id cum veris Ecclesiæ membris in vita spiritali non communicent: cum Christo tamen, capite spiritali, quadam vnione, id est, fide iunguntur. Fides enim, quamuis sit donum spirituale, malis tamen & bonis commune est. Quod ex eo liquet, quia in raculorum, operatio ex virrute fidei provenit, iuxta illud. Signa eos qui crediderint, hæc sequentur. Miracula autem etiam mali operantur, vtq; per fidem, Matth. 7. Idem in palmitate vite excidendo manifestum euadit, qui vtq; de vite abscondi non possent, nisi esset in vite: cohæret ergo inutilis palmet cum vite per fidem, sed quia charitatis fructu caret, ob vitium sterilitatis excinditur.

Est itaq; fides in malis, qua Christo & Ecclesiæ cohærent: in quibus tamen non est charitas, quam de vita spiritali vnã cum veris Ecclesiæ membris communicent.

Hi tamen, cum sint fidei Sacramento initiati, si pacem & vnitatem Ecclesiæ in simili fidei & doctrinæ professione, & eadem sacramentorum participatione, in regram tenuerint, nec ab vnitatis Ecclesiæ per schisma aut hæresim seiplos separauerint: verè in Ecclesia, vt membra eius esse censentur, & cum reliquis Ecclesiæ membris saltem hac fidei & sacramentorum colligantia nectuntur. Qui in Ecclesia spe emédationis tãtis per tolerãtur, donec periculum non imminet, ne sana membra eorum contagione laucientur. Quod si obstinati in vitis perseverent, & de eorum peruersitate etiam in alios scãdala ser-

G pere

per incipient, è communione Ecclesiæ, vt morbida pec-
 que ex grege, eiiciendi sunt, donec resipiscant: Interim
 permittendi Satana ad interitum carnis, vt Spiritus sal-
 uus sit in die Domini nostri Iesu Christi.

1. Cor. 5.

*Mali ex
 charitate
 tolerandi
 exemplo
 sanctorum*

Nec est graue his, qui verè iusti sunt, exemplo Noë &
 Loth & Moyfi, in permixtione & consuetudine malorum
 viuere: cum sciant, ipsis peccatoribus Ecclesiæ cõmunio-
 nem multum prodesse. Permanentes enim in Ecclesia, ve-
 lut officina pietatis, in qua peccatorum remissio & cred-
 itur & accipitur, mox per penitentiam peccatorum suo-
 rum remedia inuenire possunt.

August.

Interim tamen iustis malorum communio nequaquam
 obest, Non enim iustos mali commaculant communio-
 ne Sacramentorum, si desit consensus factorum: nec vn-
 quam aliena peccata præiudicant, nisi iis, qui ea consen-
 su aut imitatione fecerint sua. Sine hoc, fit quod ait Apo-
 stolus: Vnusquisq; onus suum portabit. Nec solum sine no-
 xa, sed multa etiam cum vititate boni inter malos: firmio-
 res & spirituales inter imbecilles & peccatores, plarunq;
 morantur. Illic enim exercendæ charitatis occasionem
 inueniunt. Sic Loth, cum Sodomitis perseuerabat. Noë iu-
 stus, cum generatione peruersa. Moyses, cum duræ ceruicis
 populo. Prophetæ, cum impiis regibus manebant: non
 vt peccata malorum adiuuarent, sed vt monendo & ca-
 stigando, crimina eorum compescerent.

Gal. 6.

*Ecclesiæ
 bonis et
 malis col-
 lecta.
 Mat. 13.
 Mat. 22.
 Ioan. 15.*

Talem Ecclesiæ suæ commixtionem, designare voluit
 Dominus per similitudinem agri, in quo Dominus cum
 semente bona vsq; ad messem permittenda zizania impe-
 rabat. Et saganæ, quæ missa in mare, bonos & malos pi-
 sces contrahit. Et nuptiarum, ad quas boni & mali ve-
 niunt. Et vitis, quæ fructuosos, & steriles palmites habet.

SANCTA M, Non est absurdum, Ecclesiam, quæ
 peccatores multos habet, tamen sanctam vocari. Diffe-
 rentiæ

rentiæ enim Sanctorum in scripturis sacris inueniuntur,
 & Sancti appellantur, qui à peccatis immunes non sunt.
 Sic enim Paulus Sanctos vocat, ad quos scribit, quos mox
 de peccatis multis & grauibus seuerè obiurgat. Ecclesiæ
 (inquit) Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis
 Sanctis, Et de eisdem: Cum sint æmulationes & conten-
 tiones inter vos &c.

Origen.

1. Cor. 1.

Sancti ergò vocantur omnes fideles, quatenus propo-
 situm sanctitatis arripuerunt, & per Baptismum & fidem
 Christo se deuouerunt, vitamq; suam à conuersatione se-
 cularium hominum seiunxerunt, vt iam non ampliùs vi-
 tiis in mundo, sed in Ecclesia seruiat Christo & Iusticiæ.
 Quatenus autem in eo vt seruiant Deo secundum pro-
 fessionē suā, nō omnia faciūt vt oportet, sed in multis of-
 fendūt: simul & Sancti sunt professione, & in actibus pec-
 catores inueniuntur. Sancti ex proposito & professione,
 peccatores ex defectu: Sicut qui disciplinis se tradunt,
 mox secundum ipsas disciplinas nominantur, aut medici,
 aut architecti, etiam si in operatione medicinæ aut ar-
 chitecturæ persèpè aberrant.

*Fideles
 quomodo
 sancti.*

Et quatenus per fidem Christo inhæret credentes, me-
 ritò appellantur Sancti, non ex seipsis: sed in Christo, qui
 sanctus est sanctificans, in quo similiter sancti (sed san-
 ctificati) sunt, quotquot ei per Baptismum insiti sunt,
 1. Cor. 6. Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sancti-
 ficati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spi-
 ritu Dei nostri.

*Aug. in
 Psa. 85.*

CATHOLICAM, Ecclesia Christi peculiari deno-
 tatione Catholica, id est, vniuersalis appellatur. Huius au-
 tem vniuersalitatatis ratio à tempore & loco sumenda est,
 vt ob id Ecclesia vniuersalis dici intelligatur, quod ab
 initio semper durauerit eadem, & omnes orbis terminos
 amplitudine sua amplexa sit. A tempore vniuersalis est
 Ecclesia, siquidem à primo homine ad vltimum quicun-
 que in vnam fidem de Deo & Christo eius (quem illi ven-
 turum ad destruendam inimicam potestatem, nos venis-
 se credimus) consentiunt, ad Ecclesiam pariter pertinēt.

*Catholicæ
 à tempo-
 re et alo-
 co vniuer-
 sale sit.*

Quos omnes, siue iam exutos corpore, siue adhuc in carne existētes, vnus spiritus viuificat, & omnes in vnus fidei professione, & eodem charitatis vinculo, in vnus corpus compingit & conglutinat. A tempore item vniuersalis esse Ecclesia dinoscitur, ex Christi promissione, qua illi firmitatem perpetuam ex sui præsentia est pollicitus. Ego, vobiscum sum vsq; ad consummationē seculi.

Mat. 28.

Similiter & secundum loca vniuersalis est Christi Ecclesia quam ipse in omnes terrarum fines dilatandam esse prænunciauit. Act. 1. Eritis mihi testes in Hierusalem, in Iudæa & Samaria, vsq; ad vltimum terræ: & prædicabitur Euangelium regi in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus. Et, Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.

Luc. 24.

Vera ergo Christi Ecclesia eadem Catholica existit, vt veram Christi Ecclesiam à conciliabulis hæreticorum (quæ Ecclesiæ nomen sibi vindicare impudenter audēt) hac nota liceat secernere. Christi Ecclesia iuxta eius promissionem Catholica est, quam non angulis includi, sed in omnes terrarum fines diffundi oportet: & quæ non recens alicunde exoritur, sed quæ ab initio vsq; ad seculi consummationem, continua successione perduret. Vnde quis impudentiam hæreticorum facile agnoscat, cum afferunt fidem Christi, & sanam Euangelij doctrinam, iam multis seculis nusquam viguisse, & toto orbe relicto, Ecclesiam in ipsorum modo angulos immigrasse, cōtra Christi promissionem & Symboli professionem, qua Christi Ecclesia esse Catholica asseritur: mendacem Dominum facere volentes, qui Ecclesiam suam ad vltima terræ diffundendam, & ad consummationem seculi duraturam, suo ore pronunciauit.

Hæreticorum ecclesia non est Catholica

Non est vlla illustrior nota veræ Christi Ecclesiæ, quam quod eadem est Catholica. Finge enim sexcentas hæreses esse exortas, quarum quælibet (vt est earum impudētia)

tia) Ecclesiæ nomen sibi vendicat, cæteras vt adulteras condemnet, quælibet sanā doctrinam & verum Sacramentorum vsum sibi arroget, aliis deroget: Harum oïum impudētiā deprehēdes, si memineris veram Ecclesiā esse Catholicam, quæ omni tempore, & locis omnibus, in eadem fide, & eodem Sacramentorum vsu, perduret. Contra verò hæreticorum doctrinam traducem suam, ab initio per Apostolos, & passim ex omnibus fidelium locis, deducere nequaquā valēt. Nequaquā enim demonstrare possunt, quod sic ab initio docuerit & crediderit Christi Ecclesia, quod passim per orbē ita Christiani senserint & tenuerint: Ideoq; nec temporum nec locorum ratione vniuersales sunt hæreticorum Ecclesiæ, quod Ecclesiæ Christi peculiare attributum est.

SANCTORVM COMMVNIONEM, Hæc verba in Symbolo adduntur, vt explicēt, quid id sit, quod vocamus & credimus Ecclesiam. Est enim Ecclesia sanctorum, qui in cælo, & qui in terra sunt, inter se communio & societas. Quos per vnus fidei professionem, & similem Sacramentorum vsum, arctissimo charitatis vinculo, cum capite Christo, & inter se inuicem, velut corporis eius mystici membra, vnus Spiritus sanctus coniungit. Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue iudæi, siue gentiles, siue liberi, siue serui: & omnes in vno spiritu vocati sumus, inter quos velut vnus corporis membra, rerum omnium est communio, qui bona malaq; secunda & aduersa, inuicem ferimus, & alter alterius onus sustinemus, sic adimplentes legē Christi

1. Cor. 12

Gal. 5.

Qui Ecclesiæ vnitatem conseruat, in illa sanctorum societate manet, & ex lege huius communionis, de bonis ecclesiæ ac meritis Christi & piorum omnium participat, dicens. manet in Particeps sum Domine oïum timētium te. Qui turbat pacē communionis Ecclesiæ, qui concordiam eius rumpit, & vnitatem scindit ab hoc consortio seclusus, & ab Ecclesiæ promissis separatus est: nec iam pertinet ad præmia Christi, qui communionem corporis eius mystici deseruit.

Seruans vnitatem

ecclesiæ ac meritis Christi & piorum omnium participat, dicens. manet in Particeps sum Domine oïum timētium te. Qui turbat pacē communionis Ecclesiæ, qui concordiam eius rumpit, & vnitatem scindit ab hoc consortio seclusus, & ab Ecclesiæ promissis separatus est: nec iam pertinet ad præmia Christi, qui communionem corporis eius mystici deseruit.

1. Pet. 1.18.

Hinc desertores Ecclesiæ periculum suum vident: vicissim autem hi, qui vnitatem Spiritus in vinculo charitatis sollicitè conseruantes, in domo Dei vnanimè habitant, dignitatem & vtilitatem suam perspicunt. Neminem Christianum fortis suæ prænitere debet, qui se membrum Christi, ciuem Sanctorum, & domesticum Dei nouit. Non suæ conditionis pudere, qui se in Christo pari dignitate cum regibus seculi agnoscit. In Christo enim lesu, non est seruus, neq; dominus: sed omnia in omnibus Christus. Nec ad promerendæ salutis facultatem potiore conditione est Rex, quam Opilio, sed in omni statu ac conditione genere, idonea vniciq; comparandæ salutis facultas, in quouere à dimpletur, quod scriptum est, Dominus suscitatis à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum Principibus

Psal. 112.

Huius communionis respectu, Christiani, sua quisq; conditione & donis suis contenti, viuimus: nec ex magnitudine donorum, aut excellentia dignitatum, contra inferiores insolescimus: scientes, nõ ad vtilitatē priuatam, sed ab bonum publicum à Deo concedi omnia. Ideoq; ad publicum vsum conuertenda esse, quæ in nobis sunt, scriptura admonete, agnoscimus. Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios Pastores & Doctores, ad consummationem Sãctorũ in opus ministerij, in ædificatione corporis Christi. Et alibi. Vnũquisq; sicut accepit gratiam, in aliterum illam ministrantes: vt boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Itaq; de acceptis donis cura maior relinquitur his, qui ea acceperunt. Vtilitas autem donorum, in ista Sanctorum communionē in commune seruit, sicut in corpore singulorum membrorum peculiare sunt operationes, quæ tamen omnes ad communem totius corporis vtilitatem seruiunt. Et sicut præcipuorum quorundam membrorum functiones, videntur in corpore maiore honeste pollere, infirmorum tamen functiones non sunt minus necessaria: Ita etiam in Ecclesia, quæ videntur dona esse minuitiora, & conditiones cõtempiores, magnam tamen sui vtilitatem præbent in publicam.

*Eph. 4.
2. Cor. 12*

1. Pet. 4.

Itaq;

Itaque qui minora dona acceperunt, sollicitudine leuantur, nec tamen priuantur donorum vtilitate, quam in communionē Sanctorum capiunt ex aliis. Ideoque sine omni inuidia aliis dona excellentiora non modò libenter fauent: sed pro his, tanquam toti Ecclesiæ communibus, Deo gratias agunt.

Permanentibus ergò nobis in cõmunionē Sanctorum, iam Christi & piorum omnium merita seruiunt, iam aliorum nos orationes iuuant. Sed videndum, vt nos vicissim aliorum onera in nos recipiamus: aliorum damnis, æquè vt nostris, indoleamus: aliena fœlicitate lætemur vt propria, iuxta Apostoli cõmmonitionem. Necessitatibus Sanctorum communicantes. Et iterum. Gaudete cum gaudentibus: flete cum flentibus. Et iterum. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

Rom. 12.

Gal. 6.

ARTICVLVS XI.

REMISSIONEM PECCATORVM

ARTICVLVS XII.

CARNIS RESVRRECTIONEM,

¶ *vitam æternam, Amen.*

In his postremis articulis sita Basis est, cui omnis nostra spes nititur: & finis, ad quem omnis fides nostra, & omnes actiones tendunt, & cuius causa Deus vniuersa nobiscum operatur.

Cur enim nos Pater condidit: vt essent, in quos perpetuò diuitias bonitatis suæ dispensaret bonus & diues Dominus. Cur Filius homo factus, mortem sustinuit: vt qui per peccatũ amiseramus æternæ fœlicitatis consortium

ad quod conditi eramus, liberati à peccato per sanguinẽ redemptoris nostri, aditum recipemus ad pristinam fœlicitatem. Cur nos sanctificat Spiritus Dei? Vt ope ipsius donatam per mortem redemptoris emundationem & liberationem retinentes, aut amissam per pœnitentiam, eiusdem Spiritus sancti adiutorio, subindẽ recuperantes, obtenta peccatorum remissione, liberi & securi pertingamus ad vitam æternam.

Ergo æterna vita, quam remisit per gratiã Christi peccatis accipimus, finis est, ob quem nos Pater condidit, Filius redemit, & adhuc sanctificat Spiritus sanctus. In hunc finem cultus noster erga Deum tendit, huc omnis credulitas & actio nostra respicit, & inter ærumnas seculi hæc nos spes consolatur: sine qua, iuxta Apostoli dictum, esse mus miserabiliores omnibus hominibus.

1. Cor. 15

Esa. 53.

REMISSIONEM PECCATORVM, Cũ mortui essemus in peccatis, misit Deus Filium suum, & imponens super eum omnes iniquitates nostras, in mortem eum tradidit: Vt pœnam, quam peccata nostra comeruerant, ipse sustineret, & moriens iustus pro iniustis, nocentium debita innocens Dei Filius exolueret. Quem à morte resuscitans Deus, nos simul cum illo viuificauit, cui testimonium omnes Prophetæ perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum, Act. 10. Esa. 53. Pet. 2. Tit. 2. 1. Ioan. 2.

Extra Ecclesiam
prorsus
nulla: In
Ecclesia
non nisi

Sed vt extra Christi Ecclesiam nullo modo dimittuntur peccata: ita intra Ecclesiam non sine pœnitentia dimittuntur. Non enim solam peccatorũ remissionem, sed præuiam pœnitentiam iussit Dominus in suo nomine annunciari inter omnes gentes, Luc. 3. 4.

per pœnitentiam,
contingit
peccatorũ
remissio.

Plena peccatorum remissio semel per Baptismum accipitur, in quo ab omnium peccatorum tam originalis quam actualiũ sorde, per Christi gratiã penitus repurgamur, Act. 2. Ioan. 3. 1. Cor. 6. Tit. 3. Nemo tamen adultus salutarem Baptismi gratiam sine pœnitentia percipit, si quidem

quidem nouam inchoare vitam nequit is, quem veteris vitæ nondum pœnitet. Hinc baptizandos commonet Petrus Apostolus. Pœnitentiam agite, & Baprizetur vnusquisque vestrum in nomine Domini nostri Iesu Christi, in remissionem peccatorum. In paruulis pro pœnitentia est Patrinoꝝ voce prolata abrenunciatio, & vitæ syncerioris professio.

August.

Act. 2.

Baptismus autem, vt plenam in nobis præteritorum criminum remissionem perficit: ita nõ proflus omnem infirmitatem naturæ: à nobis aufert, relinquens in nobis concupiscẽtiam, ad vltiora peccata nos sollicitantem. Reprimat tamen concupiscẽtix impetum Spiritus sancti gratia, quem in Baptismo accipimus: ita, vt si secundum Spiritum ambulauerimus, desideria carnis non perficiamus. Nemo tamen contra desideria sua tam diligenter aduigilat, aut tam gnauius depugnat, quin post Baptismum nouis (saltem leuioribus & venialibus) delictis one remur, secundum illud Apostoli. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

Rom. 8.

1. Ioan. 1.

Peccatorum autem post Baptismum patratum, non iam iterum per Baptismum, sed per pœnitentiam, quaerenda est remissio. Ista tamen leuiora peccata faciliore etiam pœnitentia diluuntur, elemosyna & remissione eorum, quæ in nos alij peccant: & oratione Dominica, quæ quotidie necesse habemus clamare ad Deum: Dimitte nobis debita nostra.

Quo si victi desiderii carnis, post Baptismum grauioribus & lethalius criminibus succubuerimus (quibus tamen, qui renati sumus, & Spiritum Christi habemus, eodem opitulante, carere debemus & possumus) horum etiam remissionem in virtute sanguinis Christi, per ministerium Ecclesiæ, non vanè credimus. Sed ad ea delenda, opus habemus grauiore illa & maiore luctu peragenda pœnitentia, quæ non sola cordis conuersione, sed confessione, sed satisfactionibus, id est, dignis pœnitentiæ fructibus

Renati
possunt
carere
mortalibus
peccatis.

Etibus perficitur, qualem designans Apostolus, ait. *Quæ*
 secundum Deum est Tristitia, pœnitentiam in salutem
 2. Cor. 7. stabilem operatur. Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum
 contristari vos. quantam in vobis operatur sollicitudinem,
 sed defensionem, sed indignationem, sed timorem,
 sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. Et, Ne
 iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam
 2. Cor. 12. multos ex his, qui ante peccauerunt, & non egerunt
 pœnitentiam super immundicia, & fornicatione, & impudicitia,
 quam gesserunt.

Omnium itaque peccatorum, tam venialium quam mortalium,
 remissio in fide Christi & creditur & accipitur. Sed vt magna
 est ingratitude, post priorem emendationem, & acceptam
 Spiritus sancti gratiam, relabi in peccata: Ita seriam pœnitentiam
 requirunt sic iterata crimina, nullius tamen, quantumuis
 grauis peccati, in Ecclesia Christi desperanda est venia.

Hic articulus consolationem adfert de peccato contristatis,
 & sub onere criminum suorum gementibus. Ad duri cordis
 homines & impœnitentes nequaquam pertinet, quos de
 remissione peccatorum promissiones Dei non attingunt:
 quos tamen ipsos suscipiet benignus Dominus, si ante vitæ
 finem auersi à peccatis, & de admissis dolentes ad
 Dominum conuersi fuerint. Sed cauendum, ne quis spe
 longioris vitæ conuersionem suam in seram ætatem
 differens, præuentus morte, sine pœnitentia auferatur,
 & remissionem peccatorum, in sanguine Christi
 propositam, ex propria negligentia non capiens, æternis
 tradatur suppliciis. Ne tardes conuerti ad Dominum &c.
 Eccle. 5.

CARNIS resurrectionem & vitam æternam, Vitam aliam
 Immortalem post hanc vitam temporalem fore, etiã Ethnicis
 crediderunt: sed de vita quã alibi victuri essent homines,
 varia & vana nimis etiã prodiderunt. Christiani, qui Spiritum
 veritatis à Deo habuerunt, quo reuelante didicimus
 etiam profunda Dei, perdididerunt. eundem de statu
 futuræ vitæ indubitata, fide cognouimus.
 Cre-

Credimus itaque, secundum scripturas in virtute Dei, per
 Spiritum eius, etiam hæc nostra corpora ad vitam esse
 resuscitanda, & alibi, tam bonos quam malos, non in
 anima solum: sed etiam in carne victuros. Næc in alia
 carne, sed in ea ipsa, quam nascentes acceperunt, &
 quam super terram viuentes circutulerunt, iuxta illud
 Job. Scio quod redemptor meus viuuit, & in nouissimo
 die de terra resurcturus sum: & rursus circumdabor pelle
 mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus
 sum ego ipse, & oculi mei conspiciuntur sunt, & non
 alius. Et Paulus hanc ipsam visibilem carnem,
 eandem prorsus secundum substantiam, mutatam
 tamen secundum qualitatem, reuicturam inuens.
 Oportet, inquit, corruptibile hoc, induere incorruptionem,
 & mortale hoc, induere immortalitatem.

Hoc autem sic fieri oportet iustissimo Dei iudicio.
 Cum enim in alia vita actum humanorum futura sit
 retributio, valde conueniens est diuinæ iustitiæ, vt caro
 & anima hominis, aut ad vitam, aut ad iudicium simul
 suscitantur: quia pariter aut deliquerunt, aut
 innocenter & pie egerunt. Siquidem homo ex anima &
 carne constat, non aliunde & bona & mala operatur,
 quam vnde constat, semperque caro in omnibus
 actibus Spiritui se præbet ministram. Quorum ergo
 reatus communis est, eorum erit communis & retributio,
 testante Domino. Nolite, inquit, timere eos, qui
 corpus occidunt, animam autem non possunt occidere:
 sed timete potius eum, qui corpus & animam potest
 perdere in gehennam.

Itaque, quemadmodum impiorum corpora, secundum
 hanc Domini sententiam, ad sustinendum communis
 reatus pœnam, cum animabus in resurrectione sociabuntur
 & tradentur in gehennam: ita & piorum corpora,
 gloriosa claritate reformabuntur, ad percipiendam
 cum animabus communem boni operis mercedem,
 quod Apostoli sententia confirmat. Saluatorem expectamus
 Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit
 corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori
 claritatis suæ, secundum operationem virtutis
 suæ: Qualem claritatem piorum corpora

*Etiã corporum re-
 surrectio-
 nem credimus
 Christiani.
 Job. 9.*

1. Cor. 15.

*Corpori
 & anime
 imminet
 per reu-
 neratio.
 Matt. 10.*

Phil. 3.

Matth. 22 corporibus in Euangelio Dominus promittens, ait. Et erunt sicut Angeli Dei.

Quærat aliquis, Quomodo corpora, vbi computruerunt, aut a vermibus exesa sunt, restituentur integra ad vitam? Deus faciet in operatione virtutis suæ: Qui pro sua omnipotentia condere potuit corpora, cū non essent, idem post corruptionem poterit in eadem substantia, meliore tamen qualitate, restituere ad immortalitatem eadem corpora, quæ fecit, cum non essent, idque eo modo, quem ipse nouit. Tu verò in creatore naturæ legem temerè requiris, in omnipotente stultè quæris alicuius rei possibilitatem, apud quem non est impossibile omne verbum. Attamen inquisitioni rationis humanæ ex abundantia satisfacit Apostolus. Inspiciens tu, quod seminas nõ viuificatur, nisi prius moriatur. Et quid seminas? Non corpus quod futurum est seminas, sed granum, puta tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult, & vnicuique seminum proprium corpus.

Luc. 1.

1. Cor. 15

1. Thes. 4

Tempus futuræ resurrectionis sibi soli cognitum, nobis verò incertum esse voluit Deus: Modum tamen resurrectionis, ad consolationem nobis ostendere per Apostolum dignatus, est, dicentem. Ipse Dominus in voce Archangeli, & in tuba Dei, descendet de cælo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus, hoc est, quòd viuos & mortuos ad iudicium sistendos credimus. Ad vocem enim Filij Dei procedent primò, qui in monumentis sunt, proferentes sua corpora, quæ super terram gestauerunt: iam tamen ex eis omni corruptibilitate & mortalitate deterfa, & hi mortui appellantur in Symbolo nostro. Erunt alij, quos hic dies Domini viuos deprehendet, qui non per languorem aut diutinum morbum morientur, neque sepelientur: sed subito corporibus eorum ad immortalitatem & incorruptionem translatis, in aëra subuehentur in occursum Domini, quos sub viuorum appellatione Symbolum designat.

Est

Est ergò fides recta & Catholica, vt credamus priorū pariter & impiorum corpora ad parem immortalitatem cum animabus resuscitanda, multum tamen impari conditione: Siquidem pro factorum suorum merito, aut æternis perfruentur delictis, iuxta Domini testimonium. Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei: & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem Iudicij, *Ioan. 5.* *Matth. 25.* Similiter & Apostolus testatur, pro meritorum qualitate vnūquenque mercedem recepturum ante tribunal Christi, *2. Cor. 5.* *Rom. 2. 14.* *Daniel. 12.*

Ioan. 5.

ET VITAM AETERNAM. Hoc facit ad refutandum quorundam errorem, qui alios mille annos post resurrectionem super terram tranfigendos somniabant. Nos secundum veram fidem, non terrenam: sed cœlestē vitam expectamus post hanc temporalem, in qua erit fœlicitas & beatitudo æterna, & vita in corpore simul & anima nõquam finienda. Tunc corpus ab omni corruptione & mortalitate liberum, non famem sentiet, non sitim, non æstum, non frigus, non morbum, aut vllum dolorem. Anima sine desiderijs molestis, sine mœrore viuet, & erunt homines planè vt Angeli, indigentia omnis expertes, & omnis fœlicitatis cõpotes, iuxta Apocalypsim. Qui sedet in throno (inquit) habitabit super illos. Nõ esuriēt, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque vilus æstus: quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad fontes aquarū, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Et mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, nec dolor erit vltra, quæ prima abierunt, *Apoc. 7. 21. 22.*

Vicissim autem impij viuunt quidem, & immortalitatem obtinebunt: Sed propter continuos cruciatus, & indefinētia supplicia, quæ sine respiratione sustinebunt, eorum misera viuacitas, & molesta immortalitas, non vita: sed mors, & mors secunda & æterna mors nõcupatur. Torquebuntur enim igne inextinguibili, & vermis mor-

Apoc. 21
Esa. 66.

sum

sum tolerabunt non morientis : ipsi miserabiliter mortui ad solos cruciatus & supplicia viuaces.

Vis articuli ultimi. Facit huius articuli fidelis & crebra meditatio, vt sollicitiùs à peccatis refugiamus, quorum reddendam rationem & sustinendam perpetuam pœnam scimus. Eccle. 7. Memorare nouissimam tuam, & in æternum non peccabis. Et promptiores nos facit ad benè operandum, memores, non iniustum esse Deum, qui obliuisci queat boni operis nostri : sed certam & abundantem & æternam nobis refundet mercedem. Lenit & consolatur mortis metum, quem nobis natura ingenerauit, vt nolimus expoliari. Expauescit enim natura, & multum dolet in amissione corporis sui : Quem mororem mitigat fides nostra, indubitata corporis restitutionem sub multò meliore conditione repromittens, qua fide erectus fidelis animus : Pellite corde metum (inquit) mea mēbra, & credite vosmet, cum Christo reditura Deo.

Sed & omnes, quantumuis graues, huius temporis ærumnas tolerabiliore reddat spes resurrectionis. Sicut Beatus Iob, extrema calamitate oppressus, hanc consolationem arripuit. Scio (inquit) quòd redemptor meus uiuit, & in nouissimo de terra surrecturus sum. Et Paulus Propter quod non deficiamus (& quæ sequuntur) temporales afflictiones spe resurrectionis cōsolandas inuenens, sine qua nos omnibus hominibus miserabiliores non dubitaret pronuntiare.

Finis Symboli.

De oratione

DOMINICA.

Beneficentiam suam multis modis in nos ostendit Deus, qui, cum nō essemus, fecit nos : cum ex culpa nostra periissemus, refecit & redemit nos, sanctificans & muniens nos Spiritu suo, cuius opitulatione in accepta salute firmi & stabiles perseueraremus.

Inter cætera autem salutaria monita, quibus nos ad salutem acquirendam ac tuendam instruere dignatus est, etiam orandi modum dedit (quia nos, quid utiliter oramus, plærunque ignoramus) Qui solus nouit bona donare dare petentibus se, idem, quid petere debeamus, nos erudire uoluit, vt sui beneficij totū esset, quod sumus & possumus : à quo non solum corpus & animam accepimus, sed quæcunque ad tuendam corporis & animæ salutem necessaria & utilia sunt, de eiusdem bonitatis fonte etiamnum quotidie haurimus : nihil non, quod salubriter postulamus, dum oratione Filij apud Patrem utimur, sine repulsa impetrantes.

Rectè autem fidem nostram ad Deum sequitur oratio. Credere enim nos oportet in eum, què rogare volumus, alioqui quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt ? Siquidem primus ad orationem nos incitans stimulus, est nostra in Deum fides, quam spes & charitas, indiuisæ veræ fidei comites, fulciunt : Vt sciamus, omnia bona ceu ex suo fonte à Deo petenda esse, simulque speremus, ea ipsa Dei bona in hoc ab eo parata esse, vt nostris utilitatibus inseruiant, sicque accensi charitate in Deū, cum fiducia accedentes ad thronum gratiæ eius, petamus nobis necessaria : scietes, nos diuitem & benignum habere

Rom. 8.

Rom. 10.

Fiducia mouet ad orandū.

INSTITVTIO CHRISTIANA

habere Dominum. Absque hac fiducia ad orandum pigri & inepti fumus. Nemo enim rogare vult eum, cui ad optulandum aut facultatem deesse, aut non adesse voluntatem, existimat,

Fiducia orandi ex promissione Dei capitur. Ioan. 16. Psal. 144.
 Addit autem nobis orandi fiduciam præceptum Domini: Petite (inquit) & accipietis. Nec solum verbis, sed exemplo orationem commendauit, ipse & crebro & prolixè orans. Et ne nos molestiæ pigeret, præmia exauditionis orantibus proposuit, quæ insignibus promissionibus confirmauit. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Amen dico vobis, quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis & euenient vobis. Cùm itaque in verbis suis fidelis sit & verax Dominus, vtique ritè orantibus nobis iam ex promissione sua existit debitor: & cùm ad præstandum, quod promissit, abundet, plenam vtique salutem orationis beneficio impetrare licet, vt fiat quod scriptum est. Omnis homo, quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

Oratio fiat cum fiducia & sedulitate

Luc. 19.
 Sed, vt fidelem & minimè hæsitantem: ita etiam sedulam & perseverantem oportet orationem esse. Proxima enim diffidentia est illa negligentia, qua semel aut iterum non accipientes quod poscimus, mox desides fimus, & ab orationis instantia frigidi resiliimus. Instare oportet in oratione & non deficere, vt orationis improbitas obtineat, quod meritum non valebat: instar illius viduæ, quæ iudicis duritiam, nec Deum nec homines verentis, tamen orationis instantia expugnauit.

Orantes patienter expectemus Dominum. Habac. 2.
 Et dilationes Domini patienter ferendæ sunt, nec motus illi nec tempus auxiliij, quod petimus præstituendum: quoniam tempus miserendi, & modum auxiliij sui, optumè nouit ipse. Si moram fecerit Dominus (inquit Propheta) expecta eum: quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso: iustus autem ex fide sua viuert.

Interim

DE ORATIONE DOMINICA. 57

Interim Dei voluntati nos totos permittentes, saluarem eius opem præstolemur in omni patientia: scientes, quia bonus est Dominus, qui etiam moram illam ad nostram conuertet vtilitatem. Quod agnoscens Propheta, nequaquam ad malum celsisse sibi asseuerat, quòd exauditus non sit. Clamaui per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi. Non ad insipientiam mihi, sed ad sapientiam potius & instructionem meam, vt ipsa repulsa admonitus, agnoscam ea, quæ postulo, aut profusus non accipere, aut nunc certè non accipere, magis mihi expedire. Est enim in eo non minus misericors & bonus Dominus, cum negat quòd postulamus, quoties male petimus. *Psal. 87.*

Interdum quod non inutiliter petitur, nouit tamen bonus Dominus in melius commutare. Itaque in omni oratione, si quod postulamus non accipimus, sufficiat nobis gratia Dei.

Interim tamen orandi nullam intermissionem faciamus: quæ perseverantia affectu magis & desiderijs animi, quam oris exercitio, & verborum prolatione, continuari potest. Indesinenter enim tunc oramus, dum vitam illam beatam à Deo, qui eam solus dare potest, semper animo & desiderijs expetimus, etiamsi lingua cesset. *Orandū sine intermissione. August.*

Quoties tamen curis vacuos, & à negocijs seculi expeditos esse contigerit, etiam lingua & verbis orare expedit, vt eo ipso magis incitemus, & admoneamus nos ipsos, ardentius intendere in hoc, quod semper desiderare debemus.

Sed caueamus in oratione odiosum Deo multiloquium, ne putemus Deum, vt hominem, verbis circumduci & flecti posse, qui intima cordis humani introspicens, non nisi sincero cordis affectu moueri potest. Est autem multiloquium censendum, quoties orationem, licet breuissimam, statim tamen intentio & affectus oran-

H tis

Multilo- tis deserunt. Aliò qui, si perseverans intentio & sedulus af-
quum in fectus vsque comitetur orationem, non est illa multilo-
oratione qua oratio censenda, etiam si in longas moras produca-
vitadum, tur, & verbis pluribus efferatur. Aliud est enim multum
quale. loqui, & aliud prolixius orare. Multum loquitur, qui ver-
 balicet pauca, tamen inania & sine affectu cordis profun-
 dit. Prolixius orat, qui diuturna animi intentione ad Deum
 clamare perseverat, non solum sermone oris, sed gemitu
 cordis: non tantum affatu, sed etiam affectu loquens cum
 Deo. Itaque multam locutionem auersatur Deus, non autem
 auersatur longam orationem, si feruens perseveret
 intentio. Sic enim Christus prolixius orasse legitur, sine
 dubio commodus & opportunus apud Deum orator. Sic
 David, longos admodum Psalmos contexuit. Sic alij sancti
 viri, dies noctibus, & noctes diebus, in oratione con-
 tinuauerunt.

Oratio Sed in primis necesse est, ut orantes in potestate nostra
prodeat cor nostrum habeamus, idque ex omni parte permunia-
ex corde. mus, ne ipsum cor effluat & effugiat à nobis, aut cogita-
 tiones superfluae, & ab orationis instituto alienae, in illud
 introeant. Si enim cor nostrum dereliquerit nos, castae e-
 runt apud Deum preces nostrae, quas sine corde, folijs la-
 bijs sonamus, iuxta illud. Hic populus labijs me honorat:
 Matt. 15. cor autem eorum longè est à me, frustra me colunt &c.
 Esa. 29.

Inter ora- Similiter si orantibus nobis vagae cogitationes obre-
dù exclu- pserint, orationem nostram inanem & Deo odiosam fa-
denda va- ciunt. Si enim cum homine loqui coeperis, & mox inter-
nae cogita- rupto sermone ad narrationem, ab instituto alienam, de-
tionem. flexeris: nimirum negabit ille te sanum esse, aut se deri-
 deri putabit. Sic iniuria Dei est, si mox ut orare coepi-
 mus, animum ad alienas & friuolas cogitationes dilabi
 patiemur, & eò erit maior iniuria, quò magis noxiae &
 peruersae, & Deo inimicae, cogitationes orationem inter-
 ruperint.

1. Paral. Oraturus ergò vtiliter, apprehende cor tuum, & custo-
 di

di illud diligenter, ut possis dicere. Quoniam inuenit ser-
 uus tuus cor suum, ut oraret ad te. Et vagos animi tui mo-
 tus cohibe, ne fortè ab eo, quod lingua tua loquitur, cor-
 dis intentio defleat. Aliò qui quomodo Deus orationem
 tuam audiat, quam tu ipse (auerfus ad alias cogita-
 tiones) non audis? Quomodo memor sit Deus petitionis
 tuae, cuius tu ipse inter orandum obliuisceris, non habens
 in corde, quod petis in ore? Odibilis Deo & iniuriosa ne-
 gligentia est, inter orandum alias cogitationes admitte-
 re, quasi aliquid sit, quod magis cogitare debeas, quam
 quod cum Deo loqueris. Quam negligentiam excludere
 volens Apostolus, ait. In hac orationi, vigilantes in
 ca. Eodem pertinet, quod Christus ait. Tu autem cum
 oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Pa-
 trem tuum in absconlito: cubiculi nomine significans
 penetralia cordis nostri, iuxta illud. Quae dicitis in cor-
 dibus vestris, & in cubilibus vestris, compungimini: in
 iis quaerendus & adorandus est Deus. Templum enim
 Dei sumus nos. Qui locum orationi idoneum & Deo
 gratum quaerit, intra semetipsum, & in corde suo adoret
 Deum.

Sed parum est intra cubiculum esse, nisi ostium claufe-
 ris, & omnes aditus obstruxeris, ne quae foris sunt cogi-
 tationes vanae, per aperta cordis ostia penetrantes, orationis
 quietem inturbent.

Super omnia curandum, ut cum oratione nostra
 etiam vitae actiones aut saltem propositum concordet.
 Itriso enim est, si Deum eodem tempore placare ver-
 bis nitimur, & factis ostendere non desinimus. Impuden-
 ter petimus, ut à Deo dimittantur delicta nostra, quae
 nec dum à nobis omittuntur. Cum multiplicaueritis
 preces, non exaudiam dicit Deus: quia manus vestrae san-
 guine plene sunt, Esa. 1. Nos iniqua egimus, & ad iracun-
 diam te prouocauimus, ideo inexorabilis es, Thren. 3.
 Et Paulus iubet manus puras in oratione attollere ad
 Deum, 1. Tim. 2.

Col. 4.
Matt. 6.

Psal. 4.

Vite pro
positum
concordet
cum ora-
tionem.

INSTITVTIO CHRISTIANA

E diuerso citissimè ascendunt preces ad Deum, quas sanctæ operationis merita euehunt, quas pia ieiunia & iuges eleemosinæ commendant. Exaudita est oratio tua (ait Angelus Cornelio) & eleemosinæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei. Et Deus per Esaiam promptam & celerem exauditionem promittit ei, cuius orationes veniunt piis misericordiæ operibus comitatæ. Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes: dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet te, Clamabis, & dicet, Ecce, assum, Esa. 58.

Nec tamen exauditionis spem in nostræ innocentie aut bonæ operationis reponamus fiducia, cùm nemo sit innocens, qui iustificari queat in conspectu Domini: Sed propriam agnoscamus indigentiam & imbecillitatem, & humiliter confitentes peccata nostra, Dei bonitatem & misericordiam imploremus: memores, Phariseum sua iactantem bona reprobatum, Publicanum verò agnoscentem & proferentem delicta sua, & Dei misericordiæ flebili prece implorantem, iustificatum descendisse de templo. Vnde & scriptura humilitatem orationis multis testimoniis commendat. Oratio humiliantis se, nubes penetrabit: & donec propinquet, non consolabitur: & non discedet, donec Altissimus aspiciat, Eccle. 35. Psal. 17. 33. 21. 101.

Hominem aliquem rogaturos sollicita nos cura torquet, quibusnam verbis utamur, quæ animus ipsius demulceant, & fauorem eius nobis concilient. Ad Deum nû alia magis amica & familiarior, nec auribus eius gratior excogitari potest oratio, quàm cùm eum verbis Filij rogamus. In omni itaque petitione formam nos tenere oportet, quam cœlestis Magister Dei Filias nos docuit: ne ab

DE ORATIONE DOMINICA. 59

ne ab ea discedentes, reprehendamur à scriptura dicente. Reiciitis mandata Dei, vt statuatis traditionem vestram. Et merito reprehensione digni erimus, si cùm Filij verba habeamus, iis omisis, ex nobis conficta ingeremus auribus Dei: Non quòd aliis verbis vt orantes non debeamus, quàm quæ in Domini oratione posita sunt: sed ne quid aliud à Deo petamus, quàm cuius petendi formam in oratione sua Christus nobis præbuit, qui quæcunque à Deo vtiliter, & debitè, & iustè, peti possunt, ad plenum omnia his septem petitionibus complexus est.

Sic ergò instituenda nobis omnis oratio, vt quibuscunque verbis Deum rogauerimus, semper Filium suum imitantes, & præscriptum eius obseruantes, agnoscat Pater. Nam si in Christi nomine petentes, iuxta eius promissionem, exaudièdi sumus: multò efficacius impetrebimus, si etiam Christi verbis petiuerimus.

Sic ergò vos orabitur, Matth. VI.

PATER

H iij

INSTITVTIO CHRISTIANA

PATER NOSTER, QVI
es in cœlis.

PATER, Statim nos benignitatis Dei admonet, & fiduciam nostram in Deum attollit Patris appellatio. Est autem communis omnium Pater Deus, qui cum non essimus, fecit & creauit nos, Deut. 3. Malach. 1. Qui curam Patris adimplet in nobis, & omnia parentis officia assatum exequitur, de cibo & potu & vestitu nostro sollicitudinem gerens, & Angelorum custodia vitam nostram mu-
*Pater ben-
euolen-
tiz no-
men.*
Mat. 10
niens, & vndique nos obseruans, vt ne capillus quidem de capite nostro desiliat in terram, sine eius voluntate. Nouerunt carnales parentes dilectionem impense exhibere filiis suis, quid nobis neget Deus, qui iam hoc ipsum dedit, vt sit Pater noster?

*Ephe. 2.
Tit. 3.* Sed longè amplior apparuit erga nos Christianos Dei benignitas, quòd cum infelicis Adæ filij & Dei inimici essemus, sicut & cæteri: Deus nos filios suos & hæredes fecit, regenerans & renouans nos lauacro aquæ in verbo vitæ per Spiritum suum, quem abundè in nos effudit per Iesum Christum, saluatorem nostrum, vt iustificati per gratiam eius, hæredes simus secundum spem æternæ vitæ.

*1. Pet. 1.
Deut. 33.* Cùm Deum cœpimus habere Patrem, vtique Diabolo renunciauimus & mundo. Sed & omnia, quæ mundus habet, animo & votis resignauimus, vt iam non vocemus nobis Patrem super terram, nec requiramus terrenam hæreditatem: memores, vnicum esse Patrem nostrum in cœlis, & hæreditatem nobis incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem conseruari in cœlis. Qui dixerit Patri suo & matri suæ, Nescio vos: & fratribus suis, Ignoro vos: & nescierunt filios suos, hi custodiunt eloquium tuum. Non tamen aut negandi aut relinquendi sunt terreni parentes, nisi cùm ad cœlestem Patrem properantes nos, impeditur volunt.

Meminisse

DE ORATIONE DOMINICA. 60

Meminisse debemus, cùm Deum Patrem dicimus, et amore. & honorem, & obedientiam, à nobis tanquam filiis deberi. Filius honorat Patrem, & seruus Dominum suum. Si ergo Pater ego sum (dicit Domitius) vbi est honor meus? Si Dominus ego sum, vbi est timor meus? Non est autem verus honor Patris sine obedientia, quod Paulus inuens, præceptum de honore parentum sic tradit: Filij obedite parentibus vestris.

Duplici autem vinculo ad obedientiam suam nos astrinxit Deus, qui creauit & redemit nos. Vnde ex creatione obedientiam ei debemus, vt filij Patris: ex redemptione, vt serui Domino. Non estis iuris vestri, redempti estis precio magno: glorificate & portate Deum in corpore vestro, 1. Cor. 6.

Admonemur etiam, castigationes Dei patienter sufferre. Quem enim diligit Dominus castigat, & quasi Pater in filio complacet sibi. Simul vt non deficiamus animo, si orantibus nobis non eueniunt, quæ volebamus, quæ vtique non negaret nobis Pater, nisi sciret ea nobis non expedire.

NOSTER, Præsumptio est, sed moderata. Est enim Deus Pater, sed communis omnium, non tuus solius, quæ prærogatiua solius Christi est, quem Deus genuit, nos verò creauit & redemit, Ille Filius est per naturam: nos per adoptionem & gratiam. Vnde Christus Pater meus dicit: Nos erudiuit, vt diceremus, Pater, noster.

Hac voce & Dei charitatis erga nos, & fraternæ dilectionis erga proximos nostros admonemur, & ad colendam pietatem & virtutem instruimur, Deus Pater noster est eorum quos gratuito beneficio adoptauit in filios, qui ex inspiratione Spiritus eius credimus in eum: quos & sanctificauit & iustificauit per eundem Spiritum, in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt essemus filij & hæredes, qui eramus inimici.

Sed qui tam gratuitam Dei benignitatem in nos experti sumus, vicissim viscera charitatis non claudamus

H iij fratribus

fratribus nostris, quos eodem adoptionis iure nobiscum sibi asciuit Deus. Si miserōs & afflictos non sustines habere fratres, iam non potes Deum habere Patrem. Prore Deum pter te non reuocabit Deus ius adoptionis à misellis istis, Patrem, quos vel precipuè agnoscit suos, gaudens appellari mihi pauperum lerorum Pater: Quorum si tu frater esse detrectas, iam Patres fastidit tris eorum cessas esse filius. Vnde à pernicioso fratrum dishabere contemptu nos dehortans Propheta, ait. Nunquid non fratres. Pater vnus omnium nostrum, quare ergò despicit vnus Malac. 2. quisq; nostrum fratrem suum? Et alius. Si videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Hanc fraternam dilectionem nobis commendare, & omnes discordias & inimicitias secludere volens pacis & vnitatis Magister Christus, talem orationis formam dedit, qua nihil ad priuatum vsum, sed omnia ad communem vtilitatem peteremus iubens sic nos orare. Pater noster: da nobis pacem nostrum: dimite nobis debita. Quo etiam humilitatis nos commonet, ne fastu terrenæ nobilitatis, diuitiarum, sciētiae, dignitatis, inflati, contempnamus inferiores. Siquidem par omnibus à Deo donata est dignitas, qui omnium se Patrem vocari dignatur, quem verè Patrem dicere nemo potest, nisi qui se aliis esse fratrem & similem agnoscit.

Omnibus debemus charitatem, maxime autem domesticis fidei

Talem dilectionem omnibus quidem hominibus, maxime autem domesticis fidei, hoc est, Christianis, & verè Catholicis debemus: Quos nò modo còmunis natura, sed eadem gratia, & idem nouæ regenerationis lauacrum, nobis fecit fratres, qui eundem Sacramentorum vsum tenent, & simili professione fidei cœlestem Patrem nobiscum colunt, quos Deus non in ista solum externorum commodorum participatione nobis pares facit: sed eodem adoptionis iure habet, & eadem hæreditate dignabitur in cœlis. Itaq; Deus noster, qui vnus moris habitare facit in domo, ad illam æternâ domum suam non recipiet, nec ad eam, quam vnâ habet, hæreditatem admittet quenquam: nisi eum, qui in terrena conuersatione vnitatem et ga fratres sollicitè custodiuit.

Ad virtutem autem accendimur, Deum Patrem vocan-

tes, qui summè bonus & sanctus est. Et nos igitur in omni conuersatione nostra, piis & sanctis operationibus incumbamus, vt Patris nostri imitationem in vita & moribus nostris homines conspiciant. Quasi filij obedientiæ (inquit Petrus) non configurati prioribus ignorantiae vestrae desiderijs: sed secundum eum, qui vocauit vos, sancti, vt & ipsi in omni conuersatione sancti sitis: quoniam scriptum est. Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Et iterum. Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam: vt in eo, quod detrectant de vobis, tanquàm de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum, Et. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant, opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.

Filii à probitate Patris nò degerent.

1. Pet. 2.

Mat. 5.

Gregor.

QUI ES IN COELIS, Deus vbiq; est. Intra omnia non inclusus, extra omnia non exclusus: infra omnia non depressus, supra omnia non eleuatus, Nec est locus in vniuerso, qui Deum includat, vt non sit simul in omnibus, quem cœli cœlorum non capiunt, 3. Reg. 8. Qui omnia in omnibus implet, Ephes. 1. In quo omnia constant, Col. 1. Ideò autem in cœlis esse Deum dicimus, quòd excellens eius Maiestas & immensa eius potentia, magis in cœlestibus relucent. Et simul corda nostra exhilarat Christus, animum eleuat, & fiduciam nostram suscitatur, & mirificè adauget: commemorans, Patrem nostrum esse in cœlis, vnde omnes nostras necessitates ex alto respicit, & videt quibus indigemus, E cœlis nobis imminet, quæcunq; maxime vel metuenda sunt vel exoptanda. Hinc frugum omnium prouentus, hinc corporum salubritas pendet: hinc sterilitas terræ, aëris pestilentia, & horrenda fulmina eueniunt. Sed in cœlis est Pater noster, qui omnia hæc in sua potestate habet. Cuius si morigeri, filij esse perseverauerimus, benigna manu à nobis auertet noxia omnia, & vtilia præbebit abundanter: sicut scriptum est. Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Et. Si in præceptis meis ambulaueritis, dabo vobis pluias temporibus suis &c. Leuit. 26. Deut. 28. Esa. 1. Hunc solum si metuerimus, à signis cœli & vniuersis

Deus cur in cœlis esse dicitur.

INSTITVTIO CHRISTIANA

sis calamitatibus, quæ vitam humanam affligere solent, nequaquam erit nobis metuendum.

Cùm cælos nominamus, in memoriam nobis redigimus vnde per culpam nostram deciderimus, & quò per gratiã Christi rursus sumus subleuãdi. In cælo erit perpetuum domicilium nostrum, in quo Deum, vti est, facie ad faciem aspicientes, gaudebimus gaudio inenarrabili, participes gloriæ eius: quem locum nullus luctus, nulla calamitas infestabit. Apoc. 7-

Col. 3.

Interim dũ in terra peregrinamur, recordantes Patrem nostrum in cælis esse, saltem animo & desideriis illic præfentes esse studeamus: semper quæ sursum sunt, cœlestia, non terrena, sapientes.

In omnibus etiam actibus nostris cogitemus, Deum in cælis esse, & ideò sub eius oculis fieri quæcunq; etiam in occulto gerimus: quem bonorum omnium benignum remuneratorẽ, & malorũ seuerum vindicem sentiemus.

SANCTIFICETVR NOMEN TVVM,
Sanctus est Deus noster, Leuit. 11. 19. 20. Ipse omnis sanctitatis origo & fons, deriuans sanctitatem in omne id quod sanctum vocari potest: nec tamen sanctitatis suæ aut detrimentum sustinens, aut capiens incrementum. Cuius nomen cùm sanctificari petimus, non hoc oramus vt sanctitati eius aliquid accedat, quæ augeri nõ potest nec minui, cùm sit ex se perfecta: sed desiderare nos inuimus, vt nomẽ eius, quod in seipso semper est sanctum etiam inter nos homines sanctum habeatur, ne nos aliquando vel verbo blasphememus, vel opere dehoneste- mus, aut contemnamus sanctum nomen Dei: id quod sollicitè cauere, non ipsi Deo, sed nobis prodest.

Sic etiam blasphematur & polluitur nomen Dei, nõ in seipso, sed in nobis, cùm peruersis moribus nostris offensi homines infideles, sinistrè de Deo sentiunt, cuius nos tales serui sumus. Redundat enim vtrunq; è nobis in Deum nostrum, vel ex bona cõuersatione nostra sanctificatio & gloria:

DE ORATIONE DOMINICA. 62

gloria: iuxta illud. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Et. Ex bonis operibus vos æstimantes, glorificent Deũ: Vel ex sceleratis moribus nostris contumelia, dicente scriptura. Polluerunt nomen sanctum meum, cum diceretur de eis. Populus Domini est iste. Et. Nomen Dei propter vos blasphematur inter gentes. Et. Ne nomen Domini & doctrina blasphemetur.

Matt. 5.

1. Pet. 2.

Exec. 36.

Rom. 2.

1. Tim. 6.

Petimus ergò per Dei gratiam sic dirigi cogitationes, verba, & actus nostros, ne quid inde cõtumeliæ in Deum resiliat: sed ita cor nostrum sanctis desideriis imbuat, linguam vtili & gratioso sermone, & omnem vitam nostram munda & sancta cõuersatione, instruat & muniat Deus per Spiritum suum, vt per nos cuncti omnino Deum glorificent.

Vis petitionis primæ.

Oramus Spiritus sancti gratiam à Deo omnium mentibus infundi, & omnes homines adduci ad agnitionem Dei, vt omnes verum Deum, & eum, quem misit, Iesum Christum, credentes, cultum Deo acceptabilem deserant vt fiat à Solis ortu vsq; ad occasum gloriosum & magnum nomen Dei inter gentes.

Oramus tolli hærefes, & obturari ora eorum, qui erroneas & blasphemias doctrinas inuehant in Ecclesiam: qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam Catholicam, faciunt, per dulces sermones & benedictiones corda innocentium seducentes. Vtq; omnino abscondantur, qui conturbant Ecclesiam, & per doctrinas erroris seductam plebem blasphemare faciunt.

Rom. 16.

Oramus auferri ex cordibus nostris omnem superstitionem, & quicquid obstaculo esse solet, quo minus plenam in Deo figamus fiduciam, paruificantes auxilium Dei, & opinionem Maiestatis eius imminuentes.

Oramus, vt cessent in populo Dei omnes blasphemias, quibus nomen Dei vanè & irreligiosè vsurpatur. Et, vt ora claudantur loquentium turpitudinem & scurrilitatem, & quæ

INSTITVTIO CHRISTIANA

Eph. 4. quæ ad rem non pertinent, quibus inhonoratur Deus, & corda offenduntur innocentium: sed vt decet sanctos, ex ore nostro nõ proferamus sermonem spurcum & malum, magis autem bonum ad ædificationem fidei: vt dei gratiam audientibus, ne contristemus Spiritum sanctum, quo sumus signati in die redemptionis. Et omnis prorsus sermo noster redundet in gloriam Dei, & ædificationem proximi.

Omniõ autem contendimus à Deo petere, vt sanctificationem, ex misericordia sua & Christi beneficio nobis concessam, sua virtute & gratia conferuet in nobis, ne vnquam relabamur in ea crimina, à quibus abluti & sanctificati & iustificati sumus, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri: Sed vitam nostram, dirigente eodem Spiritu, sic traducamus in hoc seculo, vt Patris nostri sanctitas in filiorum suorum moribus & vita relucent, & omnes homines, videntes synceram nostram in Christo conuerſationem, laudent & glorificent Deum in die visitationis.

ADVENIAT REGNUM TVVM.

Regnum Dei nec desiderio nostro accelerare, nec impedire fastidio possumus, quod, seu
R velimus seu nolimus, tamen veniet: ostendimus tamen desiderium nostrum, & oramus, vt nobis adueniat regnum Dei, & vt nos in illo recipi mereamur per ipsius gratiam. Optamus, vt in nobis sit potens & gloriosus Deus, vt quicquid est mundanæ potestatis, cesset in nobis, & deiecto Diaboli ac peccati regno, dominetur in nobis virtus Dei. Quoniam semel nos per Filium suum liberauit Deus, mundans nos Spiritu suo, & mala omnia in nobis mortificans, idem nos semper gubernare & regere dignetur, nec permittat, nos relabi in pristinam peccati ac Diaboli Tyrannidem: sed Spiritu suo nos fouens, & carnalia desideria comprimens, purificet & trāquillet conscientias nostras, vt duret in nobis hoc eius regnum, de quo scriptum est. Regnum

Oramus innocentiam vitam nostram.

DE ORATIONE DOMINICA. 63

gnum Dei est gaudium, iustitia, & pax, in Spiritu sancto. *Rom. 14.*

Nec minus sollicitam pro aliorum salute curam gerimus: desiderantes, vt totus mundus fiat regnum Dei, vt qui nondum submiserunt se regno Christi per obedientiam fidei, illi etiam Spiritu Dei illuminati, aduententur & coniungantur Ecclesie.

Oramus infidelium conuersionem.

Oramus, vt Ecclesiam, quæ est regnum Dei, à domesticis simul & externis hostibus tutam & securam præſtet: Vt omnes extinguatur hæreses, per quas Christi regnum Diabolus intus turbat & oppugnat: Vt comprimantur mundanorum Principum violentiæ aduersus Ecclesiam, eorum, qui consilia sua ad dissipandam pacem publicam, & potentie suæ vires ad Christiani nominis exitum intendunt. Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur. Piis autem Principibus & Magistratibus optamus, omnia prospera euenire, vt sub eorum tutela, Christi Ecclesia tranquillam & quietam agat in omni pietate & castitate.

Oramus tranquillitatem Ecclesie.

Psal. 36.

1. Tim. 2

Sed & regnum illud cæleste & æternum cogitamus in hac petitione, ostendentes, nos Dei filios ad illam æternam hereditatem destinatos, iam pigere peregrinationis huius & fluxarum rerum, quæ in mundo sunt: voluntatem autem bonam habere magis peregrinari ab hoc mundo, & præſentes esse ad Dominum. Atq; adeo mente & desiderio nunc sumus in illo regno: Corpore tamen disiuncti, auemus aliquando illuc transferri per Deum, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi.

2. Cor. 5.

FIAT VOLUNTAS TVA, SICVT
 in cælo, & in terra.

Omnipotens est Deus noster, & nemo potest resistere eius voluntati. Facit autem quæcunque vult in cælo & in terra. Sed nos de eius gratia oramus illam nobis obedientiam concedi, qua voluntatē eius perfectē faciamus.

mus.

mus in terra, quemadmodum faciunt in cœlis Angeli.

*Non ro-
gamus
Deum, vt
faciat
quod vult
sed vt nos
facere pos-
sim⁹, quæ
De⁹ vult.
Psal. 142
1. Pet. 5.*

Non ergò monemus Deum, vt faciat, quod vult: sed gratiam eius poscimus, vt nos faciamus, quod illi placet, & vt voluntatem nostram per omnia ipsius voluntati submittamus: vt odio habeamus, quæ odit Deus, & diligamus, quæ diligit, & quæ præcipit, impleamus. Doce nos facere voluntatem tuam Deus.

Diabolus, inimicus noster, circuit vt leo rugiens, quærens, quem deuoret, & cum vi non queat subruere innixos gratiæ Dei per Christum, malis suggestionibus tentat, nos supplantare. Contra huius insidias diuinâ opem imploramus, vt explodatur voluntas Diaboli, & vincat in nobis voluntas Dei.

Sed & concupiscentiam perpetimur in nobis aduersariam Spiritus, cuius desideris si consenserimus ad perficiendum ea, mortem nobis operamur, Roma. 8. Gala. 5. Quam optamus infirmari in nobis, vt carne pariter & mente inhæreamus legi Dei, ne aliquando ad desideria sua perficienda caro nos transuersos rapiat.

Iuxta hunc sensum non incongruenter verba huius petitionis accipiuntur. Homines enim duplici constamus substantia, carne & spiritu. Illam ex terra sumpsimus: hunc hausimus è supernis. Secundû hanc terreni: secundum illum cœlestes sumus. Petimus itaque in vtrâque no stri parte voluntatem Dei adimpleri, sicut in cœlo & in terra, hoc est, tam terrena quàm cœlesti nostri portione, vt quemadmodum Spiritus consentit legi Dei: sic & caro nostra Spiritui se submittat ad perfectam obedientiam Dei, vt tandem integer Spiritus noster, & anima, & corpus, sine querela in aduëtu Domini cõseruetur, 1. Thef. 5.

1. Thef. 4. Quæ sit voluntas Dei, Apostolus breuibus, sed intellectu latè patentibus, verbis explicat. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio nostra, sollicitam custodiâ vitæ & conuersationis nostræ, & plenam Dei obedientiam nobis

commen-

commendans. Qualis obedientia, cum non faciendo solùm, sed etiam patiendo præstetur: oramus æquanimitatem nobis & tolerantiam diuinitus dari, ne omnino deficiamus in tribulationibus, ne irremur aduersus Deum: sed patienter seruiamus correptiones eius, quoties suam voluntatem in nobis operatur: vt, cum mortalitatem immittit: cum à nobis aufert amicos, diuitias, dignitates, cum pluiam suspendit: abscondit solem: cum inopia & morbis nos affigit, scientes, omnes tales seculi huius ærumnas nobis ad probationem, non ad interitum immitti & æterno gloriæ pondere pensatum iri. Neque incusemus, velut minus æquam, voluntatem Dei, cum videmus huiusmodi momentaneis calamitatibus premi etiam iustos & innocentes homines: cum interim improbos & manifestè flagitiosos, omnia seculi huius commoda circumfluât. Etenim tam bonus est Deus, vt ne malos quidem à sua beneficentia velit esse alienos, & vt eos aut alliciat beneficiis suis ad meliorè frugem, aut obstinatos iustius puniat. Iustos verò exercet ærûnis, vt aut defectus eorum purget, aut gloriam remunerationis adaugeat.

*Cur bonis
male, &
malis be-
neesse, hic
permittat
Deus.*

Admonemur etiam sua quisque forte contenti esse, & omnem sufficientiam putare, quæcunque tandem mensura Deus bona huius seculi nobis admetiatur. Si non ad sunt nobis quæ concupiscimus: sunt tamen, quæ Deus dare voluit, qui, quæ nobis expedit, non ignorat. Et quæcunque tandem in hoc seculo nobis eueniunt, scimus iis non vt propriis incubandum, sed vt alienis, velut in transitu, vtendum, tanquàm non vtamur. Vt qui habent uxores, sint tanquàm non habentes: & qui sient, tanquàm non sientes: & qui gaudent, tanquàm non gaudentes: & qui emunt, tanquàm non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquàm non vtentes. Præterit enim figura huius mundi.

2. Cor. 7.

Demum, præsumptionem & temeritatem omnem ex animis nostris abiiciendam significamus, cum Dei voluntatem fieri petimus: orantes, hanc gratiam nobis diuinitus dari, ne quid nos temerè præsumamus, sed actio-

nes

nes & consilia nostra voluntati Dei submittamus, & ab eo dirigi postulemus. Nec euentus nostrorū negociorum deputemus nostris consiliis, sed Dei voluntati: Semper, si quid inchoaturi sumus, illam conditionem adiicientes. Si Dominus voluerit. Et si vixerimus, faciemus hoc aut illud, Iacob. 4. Et. Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat, 1. Machab. 3.

PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM da nobis hodie.

H Astenus frugi filiorum officio functi sumus, ante omnia quærentes honorem Patris nostri cœlestis. Cuius nomen sanctificari, id est, magnum, clarum, & gloriosum inter nos haberi, & regnum eius in nobis vigere, optauimus: Et gratiam nobis diuinitus dari concupiuius, qua sanctam voluntatem eius per omnia adimplere sufficiamus. Nunc tandem ad nos conuersi indigentiae nostræ subsidium de munificentia Patris nostri postulamus.

Panis, totum hominis victum significat.
PANEM, Ab excellenti parte totum significamus, panis nomine petentes quæcunque ad victum nostrum necessariò faciunt. Quem nobis à Deo præstari postulamus, per hoc consententes, escam nostram non sollicitudinis aut laboris nostri, sed diuini muneris esse secundum scripturam. Omnia à te expectant Domine, vt des illis escam in tempore. Aperierte te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Aperi tu manum tuam, & imple omne animal benedictione. Et de volucris cœli testatur Christus: Pater cœlestis præcitat illas.

Victum autem orantes, simul & media victus opportuna à Deo rogamus: Pacem publicam, vt culturæ terræ, & suo quisq; artificio & labori, insistere cõmodè valeamus: cœlum clemens, opportunas pluias & serenitates. Et, vt laboribus nostris continuo suam benedictionem admittens Deus, benignum præbeat incrementum.

Dum

Dum panem nos petere iubet Dominus, monet nos auaritiam amputare, tantum requirentes necessaria, quæ ad vitam sustentandam sufficiant, non quæ ad luxum abundant: Quomodo petebat Spiritu Dei plenus Sapiens. *Prover. 30* Diuitias & paupertatem ne dederis mihi: tantum victui meo tribue necessaria, ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam. Quis est Dominus?

NOSTRVM, Id est, valde nobis necessariū, sine quo vita nostra durare non valet: aut Nostrū, id est, iustis rationibus partum, ne vnquam deucti improba cupiditate, fraudibus, & dolis, & rapinis, diuitias quærere velimus. Filij mi, si te lastauerint peccatores, nõ acquiescas eis. Si dixerint, Veni nobiscum, insidiamur sanguini: omnem preciosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis: Filij mi, ne ambules cum eis. *Prover. 1*

Habet hæc vox etiam comonitionem fraternitatis communicationis, vt meminerimus, diuitias nobis à Deo dari tanquam dispensatoribus, vt eas cum fratribus habeamus communes, ne de Patris nostri bonis (quæ non singulorum propria, sed omnium communia esse voluit) nos solos impleamus, seclusis, defraudatis, & neglectis fratribus, ideoque non meum, sed nostrum panem dicis. Esurientium panis est, quem tu detines: nudorum est vestimentum, quod recludis. Famam suam frater, aut pudicitiam suam soror tua, redimeret hac pecunia, quam tu in terram defodis: qui nunc egestate compulsi, turpiter agunt, & famæ suæ pericula adeunt. *Liberalitas in proximos. Ambro.*

QVOTIDIANVM, Id est, facile parabilem, qualis sine magna cura, & anxia sollicitudine, parari potest: & qualis non ad splendorem luxus, sed ad quotidianum vitæ usum pertinet.

DA NOBIS, Ostendimus fiduciam nostram in Deum: Filij dum sub potestate Patris sunt, sine sollicitudine victus degunt, curam de alimentis Patri relinquunt, à quo & accipiunt vitæ necessaria: Si enos in te respiciamus

I

cius

cius cœlestis Pater, quem scimus de nobis curam gerere, nihil hæsitantes, quin NOBIS filiis tuis affatim præbiturus sis, quibus ad vitæ sustentatione indigemus.

Adimitur sollicitudo crastina. HODIE, Absurdum enim esset, nos in terrenis rebus curam nostram in longum tempus extendere, qui regnum illud cœleste quotidie optamus acceleratum iri. Stultum esset, affligi cura sequentis temporis, cum omnis vita nostra in incerto sit posita. Cur enim te cura torquet eius temporis, in quo te victurum esse nescis? Sic redarguitur diues ille, qui de victu & diuitiis in futurum ampliandis deliberabat, cui (tamen si nescienti) propinquus imminebat interitus. Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi: Sufficit diei malitia sua.

Luc. 1.
Matt. 6.

Panis spiritualis. Præter corporalem panem, est alius panis spiritualis, ad animæ vitam faciens, qui vt magis necessarius & salutaris est: ita ardentioribus votis à Deo est expectendus.

Matt. 4. Est panis spiritualis verus & Catholicus verbi Dei sensus, quo vegetatur & saginatur anima. Non in solo pane viuunt homo, sed in omni verbo, quod procedit ab ore Dei.

Hunc à Deo petimus, qui solus vtiliter eum dare nouit. Frustra enim concionatores verbum Dei infundunt auribus nostris, nisi intus vnctione sua, corda nostra præparans Deus, ipse instillet nobis sensum sanum verbi sui, ipsùmque fecundet. Alioquin, si desit vnctio Spiritus, panem illum vel ex libris vel ex auditu etiam sæpe deuorantes, nihilo tamen vegetiores erimus, nisi illum Deus spiritaliter edendum porrexerit.

Est panis spiritualis & animæ cibus, salutaris participatio Sacramentorū. Et in primis, qua carnem & sanguinem Christi sumimus, sacro sanctæ Eucharistiæ communicatio, sine qua vitam non habemus, permanentem in nobis. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberit is

beritis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Hic est Panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit, quem & ipsū à Deo nobis dari optamus: quoniam inutiliter sumitur ore, nisi pura mente capiendum eum Deus spiritaliter porrexerit. Quem nō im merito quotidianum vocamus, & hodie eum dari nobis petimus: quia periculum est, ne, si interuenientibus grauioribus delictis, à communionē eius nos longo tempore abstinerimus, à Christi corpore separemur. Si enim in æternum viuunt, qui illum panem edunt: periculum est, ne spiritali fame in anima moriātur, qui diu illum panem non accipiunt. Et quando ad fulciendam substantiam animæ valet panis iste, nosque multis infirmitatibus & tentationibus quotidie afflictemur: cur nō quotidie cœlestem medicinā sumimus? Si quotidianus est (ait Ambrosius) cur illi post annum sumis? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prodest. Sic viuere, vt quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annū accipere. Ergo tu audis, quod quotiescunque offertur sacrificium, mors Domini, Resurrectio Domini, eleuatio Domini significetur, & peccatorū remissio: & panem istum vitæ quotidie non assumis? Qui vulnus habet, medicinā requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus. Medicina est cœleste & venerabile Sacramentū. Hodie autem, id est, hoc tempore, est necessarius panis iste, non quidē ad huius temporis: sed ad futuram felicitatem assequendam.

Periculosum ab Eucharistia diu abstinere.

ET DIMITTE NOBIS DEBITA NO
stra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Est subsidium cibi, veniam delicti petimus, vtrique vitæ, & temporali & æternæ, à Deo consuli postulantes, ne dum vitam corporis à Deo expetita alimenta sustentant, animæ Cypri. vitam irremissa peccata interimant. Peccata autem debita appellamus: quia gratiā & vitutē spiritus sancti ad bene operandum accepimus. Quod si desides.

I ij facti,

Debitino facti, & gratiam Dei in vanum retinentes, non ferimus
mine, pec boni operis fructum: debitores domini pro accepta gra-
cata intel tia sumus. Tūc verò crescūt in immensum debita nostra,
liguntur. si repulsa gratia, ad peccata relabimur, peccata peccatis
 accumulantes: Sic sub figura debiti peccata Dominus
 designauit Matthæi 18.

Habet hæc petitio comonitionem infirmitatis nos-
 træ, qua miseriam nostram fatemur, & culpam agnosci-
 mus, & misericordia & gratia Dei nos indigere nō dissi-
 mulamus: petētes, dimitti nobis debita nostra. Nostra sūt
 debita: Nos deliquimus: Nobis ipsis causam malitiæ,
 quam perpetravimus, imputamus. Ne declines cor meū
 in verba malitiæ, ad excusandas, excusationes in pecca-
 tis. Vicissim autem bona spe fuit cor nostrum, remissio-
 nem peccatorum indubitata ostendens. Nequaquam
 enim Christus, consiliorum Dei Patris conficius, veniam
 delicti petere nos iussisset. nisi sciret, Patrem ad dandam
 eam semper promptum & paratum esse.

Misericordiam suam erga eos, qui peccauerunt, & ag-
 noscunt delicta sua, & ad remittendum promptitudi-
 nem, Deus luculentis promissionibus in scripturis pro-
 posuit, iucundis parabolis adumbravit, & confirmauit
 exemplis, Ezechielis 18. 33. Viuo ego, dicit Dominus, no-
 lo mortem impij sed vt conuertatur impius à via sua, &
 viuat. Quare morietur Domus Israël? Quia nolo mor-
 tem morientis, dicit Dominus. Reuertimini, & uiuite.
 Hieremias, Vulgò dicitur, Si dimiserit vir vxorē suam
 & recedens ab eo, duxerit virum alterum, nunquid re-
 uertetur ad eam vltra: nunquid non polluta & contami-
 nata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amato-
 ribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus. In
 Euangelio clamat Christus. Venite ad me omnes, qui la-
 boratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Et ne quis
 de peccato reuersus ad Deum, repulsam vereatur, para-
 bolam de filio post paternam substantiæ iinfamem dissi-
 pationem, ad patrem reuerso, & cum ingenti lætitia suc-
 cepto: Similiter de oue perdita & requisita, & de drach-

Psal. 140

Remisso peccatorum fundata in scripturis.

Hic. 3.

Matt. 11.

Luc. 15.

ma reiuuenta proponens. Sic erit gaudiū (inquit) in cœ-
 lo super vno peccatore pœnitentiam agente. Præstitit fi-
 delis Dominus quod promisit, & post multas impietates
 & Idololatrias Manassen, post alienæ vxoris, violationē,
 & murti cædē, Dauida recepit in gratiā. Et post vnā
 vocem compacti cordis indicem, Publicanum de tem-
 plo in domum suam miseratio Domini remisit iustifica-
 tum. Multa peccatricis mulieris peccata, intra moram v-
 nius conuiuij, omnia deseruit. Paulus ex blasphemo &
 persecutore Ecclesiæ, insignem Apostolum, & electum
 Euangelij præconem, effecit: in iis exemplum clementiæ
 suæ proponens, vt ad similem spem veniæ erudiret om-
 nes, qui credituri sunt in vitam æternam.

Sed misericordiam Dei Christus nobis sub conditio-
 ne petendam proposuit, vt tum demū postulemus à Deo
 nobis remitti peccata nostra, si nos etiam peccantibus in
 nos ex animo remiserimus. Sic orabitur (inquit) Dimittit
 nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus
 nostris. Quod nō ad æqualitatem, sed ad proportionem
 refertur, vt intelligamus, nobis omnia, & si plurima &
 grauissima crimina, à Deo remitti, si nos leuiora paucio-
 raque in nos peccantibus (omnia tamen) ex corde con-
 donaueimus.

Qui autem non ignoscit fratri, à Dei promissionibus
 sciat se prorsus esse alienum. Non enim, necesse habet
 Deus, quod spondit, etiam indignis præstare. Siqui-
 dem liberalitas est, non seruitus: donum, non debitum, sicut
 quid nobis benefacit. Deus vindicari vult (inquit scri-
 ptura) à Domino, inuenit vindictam, & peccata illius ser-
 uans seruabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc
 deprecanti tibi peccata soluetur. Homo homini reseruat
 iram, & à Deo querit medelam: In hominem similem
 sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis de-
 precatur; ipse cum sit caro, reseruat iram, & propiti-
 ationem petit à Deo. Quis exorabit pro delictis illius?
 Memento nouissimorum, & desine inimicari. Et Domi-
 nus in Euangelio. Si enim dimiseritis hominibus pecca-

2. Paral. 31.

2. Reg. 12. Luc. 18.

1. Timo. 1.

Remisso peccatorum, promissa sub conditione.

Eccl. 28.

Eccl. 28.

Matt. 6.

ta eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra: Si autem nō dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet peccata vestra.

Et qua fronte audeat aliquis à Deo grauissimorum & plurimorum criminum rogare veniam, qui fratri implacabilis, leuem offensam non condonat? An non meritò negandæ veniæ exemplum ab ipso defumit Deus, vt nō annuat ei magna petenti: cū ipse prior minima denegat fratri? Nonne meritò obiurgari potest? Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergò oportuit & te misereri conserui tui, sicut ego tui miserus sum?

Matth. 18

Deus gratias remittit: Nos cū lucro.

Quòd si etiam omnes offensas ex animo condonamus hominibus, nequaquam tamen cum Deo paria facimus. Siquidem Deus, cū ipse nihil delinquat, nec vilius indulgentia indigeat, tamen ad remittendum pronus est. Nos verò, qui vicissim debemus multa, non gratis remittimus: sed aliis leuia delicta remittentes, & inde grauiorum veniam consequentes, vberem vtique remissionis nostræ fructum capimus.

Contra pertinaciam inuidiam.

Si cuius cor inuidiæ tabes altius infedit, quàm vt eam abstergere de facili queat, sentiâtque se ex animo condonare non posse: hic saltem culpam suam agnoscat, & detestetur suum vitium, & pro hoc etiam peccato clamet ad Dominum: Dimitte nobis debita nostra. Humiliet in oratione animam suam, & Spiritû lenitatis & charitatis postulet à Domino: Interim tamen (quæ in potestate sua habet) linguam à detractione, & manum à pernicie fratris, quem exosum habet, contineat: ne aut illa famam eius, aut hæc corpus bonæ, violet.

Hæc autem debitorum dimissio, ad priuatos affectus coercendos pertinet, nec per illam pecuniæ repetitio, aut legitima Magistratuum vindicta, prohibetur. Tamen Christiana pietas satism onere debeat locupletiores, vt largiatur non habentibus, etiã nihil inde sperantes. Immanis est

est & Deo odibilis ista crudelitas diuitum, etiam in iustis debitis, cū nimis durè suos debitores vrgent: cū non habenti vnde soluat, omnem patientiam denegant: cū pro vili pecunia, consortem gratiæ obtorto collo in ne- *Inter* xum abducunt, aut miserum cum vxore & liberis ad fa- *Christi-* mem adigunt. Inter Christianos itaque ius repetendæ *nos quo-* pecuniæ lex charitatis moderetur, ne fraudatio credito- *modo exi-* re, de alieno luxurietur debitor: aut, ne vicissim locuple- *genda de-* tiorum auara & immiti exactione inopes, non habentes *bita pecu-* vnde soluant, crudelius affligantur, Non vt aliis sit remis- *nia.* sio, aliis verò tribulatio: sed ex æqualitate, vt diuitum abundantia, aliorum inopiam suppleat: vt & vicissim ex pauperum abundantia, aliquando fiat inopiæ diuitum *2. Cor. 8.* supplementum.

Nec Magistratum legitimi vindictæ hac conditione *Magistra-* inhihentur. Dei enim minister est Magistratus, ad dispen- *tus seuerè* sandam inter homines iustitiam, qui de alieno liberalis *punit no-* esse non debet: Deo enim & iustitiæ obligatur, qui deli- *centes.* quit. Vnde Magistratum in puniendo ignatum, & in remittendo debito non suo facilem, esse non oportet: sed seuerè vindicare læsam iustitiam. Clamat lex: Non parces, sed tolles malum de terra. Non iniusta iudicabis, nec *Leuit. 19* consideres personam pauperis. Et. Pauperis quoque non *Exod. 23,* misereberis in iudicio. Crudelis est enim misericordia, nocentium misereri. Siquidem affligit bonos, qui malis parcat: & multos lædit innocentes, qui impunitatem donat improbis.

ET NE NOS INDVCAS
in tentationem.

On hoc postulamus à Deo Patre nostro, ne *Iob. 7.* nos tentatio impugnet in hac vita, quæ tota est tentatio super terram: sed ne derelicti ab eo, tentationibus, aut cōsentiāmus decepti, aut cedamus afflicti. Nō vt nos nō incurset tentatio: sed ne nos vel intremus vel inducamur in ipsam tentationem. Multos enim inuasit tentatio, quos nō cepit, se de tatione incolumes & clariores euaserūt.

Ge. 39. Tentatus est Ioseph stupri illecebra, quam tamen euitauit. Tentata est Susanna, nec tamen in tentationem vel intrauit, vel induci potuit: Hoc est, nec propria voluptate allici, nec alienis minis vinci potuit, vt libidini consentiret. Sanctum Iob grauiter afflixit tentatio, nec tamē deiecit eum, quin in pietatis proposito firmus perstaret. Non ergo tentari malum, sed vinci perniciosum: ferendum à Deo, ne vllis nos tentationibus impugnari permittat, sed ne talibus, quas ferre non possumus.

Sed cum sint prosperarum & aduersarum rerum periculosa tentatione, minus frangi potest aduersarum molestia, qui prosperarum dilectione non potest capi.

Alter a Deo, & aliter a Diabolo tentamur
Sunt autem alia tentationes, quas Deus infert: & alia, quas permittente Deo, Diabolus immittit. Deus enim tentat, vt sanctet aut coronet. Diabolus tentat, vt decipiat, subruat & perdat. Quotiescunque enim à Deo temporales afflictiones inferuntur, si piis hominibus acciderint, in hoc profunt, vt aut defectus eorum expurgent, aut eos in eodem pietatis & humilitatis gradu contineant, ne forte extollantur securi, & ociosi incidant in peccatum: aut, vt Deo placitam patientiam eorum, cæteris in exemplam magis elucere faciant, & gloriam æternæ felicitatis auctiorem reddant. Propter quod non desicimus (inquit Apostolus) sed licet is, qui foris est, noster homo corrumptur: tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem. Id enim, quod in præsentem & momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Et Petrus. In quo exultabitis modicum nunc, si oportet contristari in variis tentationibus: vt probatio vestræ fidei preciosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur, in laudem & gloriam & honorem in reuelatione Iesu Christi. Et. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te. *2. Cor. 12* Et. Ne magnitudo reuelationum me extollat, datus est *Pro. 3.* mihi stimulus carnis. Et. Quos diligit Dominus, castigat, *Heb. 12.* & quasi pater in filiis complacet sibi,

Quod

Quod si peccatores Deus temporalibus penis affligi permiserit, hoc agit, vt æternæ pœnæ cruciatum aut mitiorem sentiant, aut ad cor reuerfi, & pœnitentiam super delictis facientes, prorsus euadant. Multos enim, quos Dei beneficia & magnæ prosperitates ad pœnitentiam reuocare non potuerunt, aduersitates traxerunt: Quales erant, de quibus scriptura dicit. Cum occideret eos, reuertebantur, & mane veniebant ad eum.

Malos cur finit affligi Deus?

Psal. 77.

Quæcunque verò ad perniciem hominis tendunt, tentationes non sunt à Deo (Deus enim non tentator malorum est) sed à Diabolo immittuntur: Quales sunt, quæ ad peccandum incendunt, aut quæ diffidentiam, desperationem, blasphemiam ingerunt: aut tristitiam, amaritudinem, terrores perniciosos inculcant.

Iacob. 1.

Nequaquam tamen hominem tentare potest Diabolus quantum vellet, sed quatenus illi Deus permiserit: qui quoties tentandi licentiam præbet, simul & metam ponit, quam in tentando Diabolus transgredi nequaquam audeat (Ecce in manu tua est ait Dominus ad Diabolum de Iob) vniuersa quæ habet, tantum in eum ne extendas manum tuam. Et. Ecce in manu tua est, veruntamen vitam illius serua) Alioqui, quæ est malitia præditus, & viribus præualens Diabolus, in momento ad internecionem perderet humanum genus.

Ideoque Deum rogamus, ne nos inducat in tentationes, non hoc sentientes, quasi Deus in perniciosas tentationes nos inducat: sed quod Diabolus, non nisi permittente Deo, nos inducere valeat: nec possit in damnū nostrum aliquid moliri, nisi Deus ipsum iustissimo iudicio suo, contra nos excitauerit. *3. Reg. 11.* Excitauit Dominus Satanam ipsi Salomoni, *Esa. 42.* Quis dedit in dæceptionem Iacob & Israël vastantibus? nonne Dominus ipse est, cui peccauimus?

Diabolus nihil potest, nisi permittente Deo.

Omnem ergo timorem, omnem deuotionem & obseruantiam, ad Deum dirigimus, cuius solius iustissimis

iustissimis iudiciis, omnia pericula vel incurrimus vel euitamus. Diabolum nihil formidamus, quem scimus sub potētī manu Dei vinctum teneri: ita, vt ne capillum quidem de capite nostro mouere queat, nisi vbi, velut carnis fex, ad exequendam Dei voluntatem in nos potestatem acceperit, vel ad pœnam nostram cum delinquimus, vel ad gloriam cum probamur.

Hac itaque petitione gratiam à Deo poscimus, qua Diaboli insidias vincamus: qua carnis cupiditates coercemus, ne vnquam decepti aut victi, ruamus in peccatum. Ne mundi huius aduersitates ad impatiētiam, iram, vindictam, nos incitent, ne prosperitates in superbiam nos eleuent, aut obliuionem pietatis nobis inducant: sed vt fidem Christi firmam in corde retinentes, & opitulante Spiritu eius, in omne opus bonum abundantes, in Dei voluntate perseueremus vsque in finem, & rectæ fidei ac sanctæ conuersationis fructum reportemus, salutem animarum nostrarum.

SED LIBERA NOS A MALO.

Eque hic tam petimus à Deo, ne quid in hoc mundo patiamur aduersi, quam ne ipsis aduersitatibus anima lædatur. Huc vsque varia vtriusque vitæ præsentis & futuræ subsidia, iubente & monente Christo, postula-

mus à Deo, quem vel ex hoc scimus corporis & animæ nostræ curam gerere, quod ab ipso, quæcunque ad perficiendam vtriusque salutem facere possunt, Filius eius nos petere admoneat, paternæ in nos benevolentia nequaquam ignarus: quam & alibi crebris testimoniis nobis contestatur. Amen amen dico vobis, quæcunque petieritis Patrē in nomine meo, dabit vobis. Et. Amen dico vobis, quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & eueniet vobis.

Sed cum tanta naturæ infirmitate circumdati, & in tanto vitæ

to vitæ humanæ lubrico incerta vestigia ducentes, ad tuendam corporis & animæ salutem multis admodum præfidiis diuinis indigemus, & nos plærunque quid oremus sicut oportet, nesciamus. Potens autem sit Dominus, omnia facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus: totos nos in eius tutelam tradētes rogamus, vt in vniuersum ab omni malo nos per gratiam suam liberare dignetur. Id quod ante nos pro nobis Dominus noster ad Patrem orauit: Vt serues eos (inquit) à malo.

Rom. 8.
Ephes. 3.

Ioan. 17.

Scimus mundum hunc totum in maligno positum, & nos vndique inter laqueos ad perniciem nostram dispositos ambulare: sed ab iis omnibus fidelis nobis tutela præstatur, cū ab iis nos Deus liberat. Nec remanet quicquam postulandum amplius, quam vt per Deum liberemur ab omni malo. Quid enim timeamus de mundo, si in mundo Deus nobis tutor assistet? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Interim tamen nō ignoramus, quim diu hanc mortalitatem circumferimus, ab omnibus aduersitatibus immunes nos esse non posse. Est enim vitæ humanæ agnata conditio, vt sit variis periculis obnoxia: nec postulamus à Deo, ne nos calamitatibus huius seculi exerceat, sed ne perdat & euerti, permittat. Molestiam autem earum patientia tantisper superamus, donec cœlesti Patri placuerit, omni mortalitatis huius onere exutos, ad perfectam, & nullis iam amplius molestiis obnoxiam, nos traducere beatitudinem.

Rom. 8.

A M E N.

Ad voce confirmamus & ostendimus fiduciam nostram, nihil nos hæsitare indicantes, quin, quæ iubente & erudiente Filio piè petimus, præstante Patre efficaciter consequamur.

DE

De Angelica sal- LVTATIONE.

Vt receptam Ecclesie consuetudinem, orationi Dominice succedit salutatio, qua Deus per Angelum salutare dignatus est Mariam Virginem, cum populi sui afflictionem miseratus, eam ipsam Virginem, selectam ex mulieribus purissimam, & aptissimam officinam consecrare destinaret, in qua Filius ipsius carnem pro nobis redimendis impendendam assumeret.

Hanc salutationem quidam, sinistra pietate induti, loco mouent, hoc cauentes (vt dicunt) ne veteris Ecclesie homines Virginis istius venerationem (quam ipsi cum omni sanctorum cultu suspectam & exosam habent) in occasionem vertamus. Idololatrie: Solliciti scilicet salutis nostrae prouisores, quasi ipsis demum Deus noua & prius ignorata religione imbuendum orbem commiserit. Quos tamen ista cura liberamus, & in hac parte metu vacuos esse iubemus: quippe qui iuxta sanam doctrinam in Ecclesia Catholica talem sanctorum cultum retinens, qui Christi gloriam non imminuat, sed augeat: non obscurerit, sed illustret. Atque vtinam isti in proficindendo sanctorum cultu, tam se ab impia & sacrilega temeritate continerent, quam in eo asserendo Catholicae Ecclesie homines ab omni idololatria alieni sumus.

In Maria
laudamus
diuina be-
neficia.

Nequaquam sine pia & iusti causa fit, quod in omnibus precibus orationi Dominice salutationem Angelicam iam inueterato & peruulgato more per Ecclesiam Catholicam subnectimus. Siquidem in laude istius Virginis diuina bonitas quam aptis, quam insignibus laudibus apornatur? Non orat, nihil petit, vt accipiat, hanc salutationem

DE ANGELICA SALVTATIONE. 71

tionem recitans. Atqui immensum illud redemptionis humanae opus sibi in memoriam reducens, ad reddendam Deo gratiarum actionem incitatur pro iis beneficiis, quae damnato mundo, huius ministerio Virginis Deus elargiri dignatus est. Et dum eximias Virginis & matris laudes recenset, quid aliud quam Dei bonitatem admiratur & extollit, qui per gratiam suam ex humili talem fecit, vt ad eam laudandam humanus sermo non sufficeret?

Non minus deest Christianos gratiarum delio quam oratio.

Quam multos Ecclesia Psalmos recitat, in quibus nihil sibi postulat dari: sed bonitatem, sapientiam, misericordiam Dei commemorat. Sic nos non minus ad pietatem Christianam pertinere arbitremur, pro acceptis beneficiis Deo laudem & gratiarum actionem deferre, quam subinde noua beneficia postulare. Aut quis non posterioris beneficii merito indignos nos existimare, quos priorum tam facile caperet obliuio? Merito repellitur, ne de nouo accipiat, qui prius acceptum beneficium vel obliuiscitur vel dissimulat.

Religiose itaque facimus homines Christiani, orationi Dominice salutationem Angelicam subiungentes: vt dum in oratione Dominica, quae ad conseruandam salutem nostram faciunt, noua beneficia a Deo postulamus, per salutationem Virginis matris, redemptionis Christi, quae salutis nostrae fons & origo, & beneficiorum Dei caput est, gratiam in nobis recordationem excitemus. Quoties enim hac salutatione Virginem Deo dilectam compellamus, nonne statim admonemur illius faustissimae horae, quae prima post infelicem Adae casum, laeta humano generi illuxit, qua Deus populi sui afflictionem miseratus, misso Angelo foeminam sibi delegit, per cuius ministerium mortem aboleret, quam per foeminam diabolus inuexerat?

Diabolus abusus mulieris fragilitate (quam inuenerat instabilem, & ad seducendum facilem) hominem a Creatore suo auertit, & cum sui iuris fecit, & in praeda possedit omnem decepti hominis stirpem, donec Deus rursus vindicare volens hominem, quem creauit, vicissim elegit

git fœminam (quã fide & obsequio inuenit promptã) per quam inimico talionem reddidit, victoriam extorsit, prædam eripuit. Sed pudet superbum inimicum, sub fœminæ pedibus stratum deuiſtumq; , se conspicere, id eodẽ; nouos Antidicomarianitas suscitatur, qui laudes, fortis huius & vi

Cur Dicatur *Stricis* fœminæ per inuidiam extenuent & obscurent: *bolus* *con-* non tamen cohibere potest ora priorũ uaser hostis à præconiis istius Virginis, nec efficere, vt recedat laus eius ab *des Virgi* hominibus, qui memores sunt virtutis Domini. Et cur *nis obfus-* non magnificentur in ista muliere Dominus, qui amissam per Eam humani generis salutem, per hanc Mariam restitueret dignatus est?

Quoties redemptionis nostræ beneficium commemoramus, & Deo gratias agimus: qui tam benignè & misericorditer perditos nos adiuuit per Christum Dominum nostrum, tunc nequaquã obliuisci possumus Virginis Mariæ, quæ in obsequio salutis nostræ animo & corpore paratissima, tam promptum Deo ad communem redemptionem obtulit ministerium. Ecce (inquit) ancilla Domini, fiat mihi secundum uerbum tuum.

Luc. 1.

Scimus autem, ista non esse ipsius Mariæ propria, sed in ea Dei beneficia agnoscimus. At non est pudendus author Deus, vt propterea Mariæ virtutem æstimemus uirgi obliorem, quia ei à Deo donata est. Si quid ei Dei benignitas contulit, cur malignitas humana aut inuidet, aut adimere contendit: Si à Deo accepisse contendis, ergo habere confiteris. Nos itaq; eodẽ confidentiũs laudamus hanc salutis nostræ officinam, quia Dominus cum ea fuit, & talem eam fecit, in cuius laude omnem linguam humanam deficere necesse sit.

Laudada *virgo ob-* *singularis* *gratiam* *deo concessam.*

Hæc purissima & sanctissima uirgo, de suis laudibus Spiritu sancto afflata præcinuit. Ecce (inquit) ex hoc beatam me dicent omnes generationes: Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. Non mentitur Spiritus ueritatis, sed in ea, quã ipse dirigit, Ecclesia, Virginis & matris Mariæ laudes finem non inuenient.

Luc. 1.

Et beata, & benedicta, & plena gratia, & mater Domini

mini audiet ab Ecclesiæ filiis, utcumq; quidam filij Belial uilibus nominibus; eam polluto ore gaudeant infamare. Reprehensionem autem Antidicomarianitarum non extimescimus, & risum eorum nõ curamus, dum eas laudes Virgini deferimus, quas non ex nobis confinximus, sed diuinitus accepimus: & in quibus Angelorũ & beatorum hominum imitatores inuenimur. Vtquẽ; cachinnum tolerant impij, dum audiunt nos, in Ecclesia Catholica morem à maioribus traditum retinentes, salutationem Angelicam publicè & priuatim crebrò recitare: tamẽ in ore nostro uoces à Spiritu sancto aspiratas agnoscere coguntur. Salutamus eam cum Angelo. Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum. Elizabet fœminam Deo plenam imitatur dicentes: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Vocem cum Euangelica muliere tollimus: Beatus uenter, qui te portauit: & uera, quæ suscipisti. Verè beatus uenter, qui salutis nostræ officina esse meruit, & de se mundo edidit Saluatorem. Verè beata uera, quæ de cælo plena Dei Filium lactauerunt. Hic uerus vitam nobis progenit. Hæc uera totius orbis salutem nutriuerunt.

Luc. 11.

Redundant ergo in authorem Deum ista huius uirginis præconia. Dum enim Mariam salutamus, & tanquam omnis gratiæ & salutis nostræ officinam laudamus, utiq; in ea Dei dona magnificamus. Dei Patris immensam bonitatem recolimus, qui uirginem istam per Angelum salutandò reconciliationis gratiam perditis & miseris hominibus annunciauit. Admonemur dilectionis Iesu Christi, qui pro nobis redimendis in uirginis utero descendere, & homo nasci, & mortalis fieri, non est dedignatus. Spiritus sancti gratiam admiramur, qui opificium salutis nostræ in utero huius uirginis admirabili uirtute & sapientia contexit. Breuiter, per istam uirginis salutationem, nobis in memoriam cum debita gratiarum actione reducimus omnia illa immensa beneficia, quæ ministerio huius uirginis, per Christi Filij sui humanitatem, nobis exhibere dignatus est, qui est diues in misericordia Deus, in secula benedictus.

In Decalogo- GVM.

H

Astenus Dei cognitionem, quid de eo credere, quid sentire debeamus, quantum in scripturis sanctis de se reuelare dignatus est, in explicatione Symboli compendio accepimus. Et quaecumque vel ad corporis vel ad

animæ salutem faciunt, ab ipso postulare in oratione Dominica didicimus. Nunc qualis vita, iuxta voluntatē Dei credentibus in eum traducenda sit, simili cura inquirendum. Siquidem hoc frugi filiorum est officium, non solum velle paternis frui beneficiis: sed voluntatem Patris cognoscere, & cognitam obnixè obseruare.

1. Pet. 4.

Per fidem & Baptismum in filios nos sibi adoptauit Deus, hæreditatem cæli repromittens, quam tamen adhuc in promissione & spe, nondum re ipsa obtinemus: sed ad eam possidendam, per omnem vitam, quasi ad patriam ambulando, pergimus. Sollicitè ergò nobis ad vigilandum est, ut iam non desideris hominum, sed Dei voluntati quod reliquum est in carne viuamus temporis, & ad promissionem Patris nostri per obseruantiam præceptorum eius festinemus: ne malitia nostra & peruersitate vitæ offensus, rursus nos hæreditate excutiat: quam utique non ex iure naturæ, sed ex munere gratiæ: non ex debito, sed ex dono obtinemus. Nequaquã enim opinari debemus, Deo, quod spondidit, etiã indignis debere, ne liberalitatem eius faciamus seruitutem. Amici mei estis (inquit) si tæceritis, quæ præcipio vobis. Et. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Et. Non omnis, qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui est in cælis, ipse est, qui intrabit in regnum cælorum. Quapropter magis satagite fratres (inquit Apostolus Petrus) ut per bona opera

Deus pro missiones suas non debet indignis.

Ioan. 15.

Mat. 9.

Mat. 17.

2. Pet. 1.

certam

certam vocationem & electionem vestram faciatis.

Magnam itaque Dei erga nos beneficium, qui verbum suum nobis annuncians, de voluntate sua perspicuè nos erudiuit, ne sine Deo religionè effingere volentes, ad impios cultus prolaberemur. Et iustitiam Dei ignorantes: ex nobis autem iustitiam constitire volentes à Dei iustitia excideremus. Nunc verò scripturas à Deo traditas scrutantibus nobis, semita infallibilis monstratur, quæ nos per obseruationem mandatorum eius, ad promissam hæreditatem sine errore perducit. Non fecit Deus taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.

Rom. 10.

Psa. 147.

Vilitas Decalogi

Sed, ne scientia ad salutem necessaria carerent hi, quibus ad peruestigandam totius scripturæ amplitudinem, ocium aut ingenij facultas non suppetit: in hoc etiam vtilitati hominum consulens Deus, verbum abbreviatum misit super terram. Decalogum proponens, in quem omnia ad perfectam iustitiam, quæ in scripturis fuscè lateq; traduntur, succincta & commoda breuitate contraxit. Vnde etiam Idiota, & tardi, aut alioqui occupatissimi homines, facili opera Dei voluntatem plenè addiscere queat, ut nihil iam sit, quod ad Deum aut ad homines, obseruare nos oporteat, cuius non in istis paucissimis rerum capitibus admonearur.

Acuti homines in seculo, latam, alioqui, & per multos Iurisperitorum libros dispersam, ciuilibus iustitiæ cognitionem tribus tamen summis incluserunt, quæ sunt. Ius suum vicuique tribuere. Neminem lædere. Et, Honestè viuere. Deus verò perfectam iustitiam duobus tantum mandatis complexus est. Diliges Dominum Deum tuum, & proximum sicut teipsum. Ad horum Duorum mandatorum explicationem, duæ Decalogi tabulæ deferuiunt. Prior tria continens præcepta, tradit eam, quæ Deo debemus: Altera septem præcepta comprehendit, quibus ad homines nos dirigit, erudiens in his, quæ debemus proximo. Harum tamè posterior à priori prorsus pendet, nec sequentia præcepta, sine obseruatione priorum, rectè adimpleri queunt. Tum enim verè diligitur proximus, cum

Omnis iustitia

duob. md

datis continetur.

Mat. 23.

K

propter

*Proxim^o
propter
Deum di
ligendus.*

propter Deum diligitur, hoc est, cum ob id diligitur, ut per charitatis officia ad colendum Deum inducatur. Com-
moda vero aut voluptates in proximo venari, sanctus amor nescit.

Rem. 10.

Diuinae promissiones non omnibus, quantumuis in dignis & ab omni pietate alienis: sed tantum credentibus in Deum, & eius mandata obseruantibus, debent passim sacrae literae testantur. Ideoque Decalogum, tanquam salutarem munus Dei, nos amplectari decet, qui semitam mandatorum Dei delineans, ex omni parte gressus nostros munit & dirigit, ostendens nobis, quomodo in via mandatorum Dei sine offensione ambulemus. Nam ne forte iuxta errorem gentium Dei iustitiam ignorantes, & nostram constituentes, Dei iustitiae praeuaricatores inueniamur. Decalogus de voluntate Dei nos certos facit, com-
monstrans sine dubio, quanam opera Deo grata, & quae ingrata sint: ad cuius praescriptum nos vitam nostram exigentes, statim deprehendimus, sicubi a Dei iustitia defleximus. Ex quo hunc fructum capimus, ut quaecumque Decalogus exegerit, velut indubitatae pietatis opera, & verè Deo grata, sciamus amplectenda, quae per Dei adiutorium facientes, vitam aeternam possideamus. Aut si facere illa omiserimus, tunc peccata nostra (Deo per Decalogum denunciante & arguente) agnoscentes, ad poenitentiae remedia confugiamus. Siquidem omne peccatum, quod contra Decalogum committitur, aut in hac vita poenitentiae remediis eluendum, aut in alia aeternis suppliciiis est dependendum.

*Vfus De-
calogi.*

*Lex diui-
ditur in
iudicialia
caeremo-
nialia
& mora-
lia. Ad
solum mo-
ralium*

Sciendum est, cum lex Moyse & caeremonias, & iudicia, & praecipua vitae, contineret: caeremonias, quae umbra erant futurorum, & in venturum Christum respiciebant, Christo apparente, antiquatas & abolitas esse, & ymbrae superuenienti veritati celsisse. Similiter & iudicia, per Moysen constituta, neminem obligant, extra unum populum Iudaicum: ad cuius statum formandum, pro opportunitate illius temporis, haec iudicia praecipue seruebant. Decalogus vero, qui eam legis partem complectitur, quae praecipua vitae tradit, quae hominum mores format, & ad colendam

colendam iustitiam erudit, omnes omnium temporum & obseruationem te-
locorum homines astringit: cuius obseruationi Christus nos obligatos esse voluit, cum dixit. Nolite putare, quia
veni soluere legem: non veni soluere, sed adimplere.

Mat. 5.

Haecenus quidem in libertatem suos asseruit Christus, non quatenus adimplenda sunt, quae lex iubet: sed quatenus ad faciendam homines imperio legis & poenarum metu adiguntur. Siquidem, qui in Christo renati sunt, charitatem Dei diffusam in cordibus habentes, per Spiritum sanctum, quem credentes acceperunt, iam sua sponte iustitiam colunt: & quae lex iubet, non timore poenae, sed amore iustitiae, exequuntur: eadem facturi etiam, si nulla lex iuberet, & si praeuaricantes nulla poena coerceret.

Rom. 5.

1. Tit. 1.

Talem libertatem Apostolus inueniens, ait. Non est iustis lex posita, sed malefactoribus: Non quod iusti legis obedientiam negligant, aut immunitatem sibi ab operibus legis vendicent, quasi liberum esset, quae lex postulat non praestare. Sed quod obedientiam legi ex charitate, non ex necessitate exhibeant: nec expectent, donec imperio legis adigantur, sed ad benefaciendum sua voluntate festinent: Ita, ut iustorum obedientia, secundum animi promptitudinem, & in rectè factis laetitia, vera libertas: secundum praecipua adimplerentem, pia seruitus rectè aestimetur. Atque haec est Evangelica libertas, quod ab aliis vix Imperium legis & poenarum metus extorquet, idem sua sponte praestare: alioqui indulgere cupiditatibus, & in flagitiis impune volutari, Diaboli perniciose seruitus, non Christi libertas est.

*Vera liber-
tas.*

*Decalo-
gus datus
non solu-
tū
ut pecca-
ta agno-
scamus:*

Hic etiam perniciosus error destruendus est, asserentium, praecipua Decalogi in hoc tantum data esse, ut eos sed ut vi-
denuncatione infirmetur & peccata nostra agno-
scamus, non ut faciamus quod iubet, dicere, id homini esse
impossibile: quod cum etiam de renatis asserere audet, gratiam
Christi insigni blasphemia afficiunt. Non potest naturae in-
firmas implere, quod lex exigit: sed in renatis non sic est
deprimenda carnis infirmitas, quam habent cum omnibus
preceptis

*Renati cum
gratia de-
possunt
seruare
precepta*

hominibus communem, vt simul etiam gratia Christi, qua imbuti sunt, quasi infirma & imbecillis incusetur. Insignis in Deum contumelia est (quoniam voluntas nostra per peccatum faucia, ad legis impletionem inualida est) eandem, vbi à Deo sanata est, nihilo fortiorem æstimare, sed adhuc pristinae infirmitatis condemnare.

Ioan. 3. Renati ex aqua & Spiritu, iam ipsi quoq; spirituales sunt & contra vitia non iam solis naturæ viribus: sed ope Spiritus sancti muniti depugnant, & quod non valet natura, in eis implet gratia Christi. Fide enim impetrant à Deo Spiritum sanctum. Spiritus sanctus in cordibus eorum diffundit charitatem: charitas adimplet legem: sanans voluntatem eorum, & infirmitatem corroborans, vt iam non modò possibilis, sed facilis & iucunda sit omnis obedientia mandatorum Dei. Hinc renatis concionatur Apostolus. Ergò, fratres, debitores sumus: non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis mori emini. Si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viueticis. Quicunq; enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Et. Dico autem in Christo, Spiritu ambulare, & desideria carnis non perficietis.

Iex postibilis per gratiam Dei.

Rom. 8. Ergò, fratres, debitores sumus: non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis mori emini. Si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viueticis. Quicunq; enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Et. Dico autem in Christo, Spiritu ambulare, & desideria carnis non perficietis.

Renati sunt aliquid supra homines. Quicunq; ergò in Christo renati sunt, non iam se suis viribus æstimant, & vbi arduum aliquid & difficile sibi in mandatorum effectibus experiuntur, confisi de gratia Christi, qua sunt imbuti, & de opitulatiõe Spūs, quæ credentes acceperunt, non despondeant animum: sed ad Deum adiuuantem confungiant, qui ideo dedit præceptum, vt excitaret petèdi desideriu, & petètibz præstaret auxiliu

Duplex hæresis destruitur confessio catholica. Sicut itaq; sana doctrina damnat eos, qui in iniuriam diuinæ gratiæ, hominem suis viribus mandata Dei implere, & propriis operibus æternam vitam mereri, posse contendunt: sic vicissim anathematizat etiam illos, qui repudiata gratia Dei, carnis infirmitati cedentes, vitiis habenas laxat, & malitiam suam imbecillitatis excusatione tegere nituntur, asserètes, peccatis resistere, & mandata Dei seruari homini esse impossibile: interim inter hominem nudum,

nudum, & hominem renatum, & Christi Spiritu imbutum discredim non ponentes, cum sit impudētissima humanæ imbecillitatis excusatio, vbi diuinæ gratiæ auxiliu fideliter promittitur, & petentibus efficaciter præstatur.

Renati impudenter excusant suam infirmitatem.

Hoc quoq; admonendi sunt homines, vt peccatum non ex suo sensu, sed ad præscriptum mandatorum Dei metiatur, & quicquid contra mandatū Dei vel agitur, vel cogitatur idinter peccata numeret, quātūuis leue & innoxium videatur. Rursus, quod Deus iubet, id tanquā opus bonū & preciosum amplectentur, quātūuis vile in opinione hominum appareat. Cum enim Deus bonus sit, si quid bono displicet, sine dubio, vt perniciosum deputandum est peccato: & quo se delectari ostendit Deus, qui bonus est, vt bonum & salutare sine cūctatione recipiendum, cum inter contraria hæere amicitia non possit. Proinde homines peccati rationem non aliudè, quā ex Dominicis præceptis, desumendam sciant. Deus enim iudex est, cui nos vitam nostram approbare oportet, & qui actiones, nostras non iuxta hominum opiniones: sed secundum præcepta sua examinabit.

Peccatum vn de effi mandm.

Malum sit oportet quod deo bono displicet.

Nec ea tantum peccato deputada sunt, quæ foris contra Dei præcepta corpus delinquit: sed etiam illa, quæ intus in animo contra Dei voluntatem, in præceptis manifestatam, cogitantur. Non enim inter corporis & animæ delicta discernet Deus, qui homini corpus & animam dedit, vt vtrunq; ad honorem, non ad offensionem Creatoris conuerteret. Et cum vtraq; res Dei sit vtriusq; delicta ex pari Deum offendunt, & à iusto iudice corporis animæq; actus parem boni prauiq; operis remunerationem reportabunt, in illo die, cum reddet vniciq; iuxta opera sua.

Peccata spiritua lia sine animi delicta.

Terrull. de penit.

Decalogum exorditur Deus à notitia sui, & insinuatione Maiestatis suæ: ostendens, quis & quantus sit, qui ad suam voluntatem obseruandam homines alligare audeat.

*tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de
domo seruitutis.*

I N hoc autem bonitatem suã declarat Deus qui à beneficiis inotescere hominibus maluit. Duo sunt, quæ authoritatem legi condiliant. Alterum, vt qui legem præfigit, potentia polleat, qua contemptum sui vindicare in præuaricatores possit. Alterum, vt bonitate & sapientia habeatur eximius, vnde ex obedientia legis utilitatem suam sperent, qui ei se subiiciunt.

*Dominus
nomen po-
tentia &
authorita-
tis.*

EGO SVM DOMINVS, Ad insinuandam potentiam suam, Dominum se vocat Legislator noster: ostendens, Imperium sibi in omnes competere, quum sit omnium Dominus. Dominus autem & creatione & gubernatione vniuersorum. Ipse enim solus est, qui hominem ex limo terræ, & ad hominis utilitatem ex nihilo fecit vniuersa, & cuius nutu perseverant & gubernantur omnes creaturæ,

*Dominii
hominis
imbecille.*

Sunt qui fastu tumidi appellari gaudeant, & sibi videantur domini, qui tamen aut pares aut superiores sepe inueniunt, & quos de inanis dominationis gradu, persæpe vna infœlix hora in extremas misérias præcipitat.

*Potentia
Domini.*

Hic Legislator vnus & solus est Dominus Dominantium, & Regum Rex, & extra eum non est alius. Cuius Imperium finem nescit, diuitias eius nulla calamitas exhaurit: potentiam eius nullæ vires aut auertere valent, aut sustinere sufficiunt. Illius est terra & plenitudo eius. Et in manu eius mors & vita, salus & perditio, posita sunt: ita, vt ad perdendum aut saluandum nos vnicus eius nutus sufficiat.

Hac Maiestatis & potentia eius consideratione admouemur, quàm durû sit homini & perniciosum, Dei voluntati reluctari, & mandatis eius nolle obedire, qui tanta
poten-

potentia præualeat, & cuius ira insubstitatibilis est super peccatores, qui ad vindictam transgressorum omnes eam creaturas excitare potest: Quod non solum commentante & denunciante scriptura, sed ex euentu persæpe comperimus, cum videmus aliquando aquarum inundationes, aliquando ignis incendia, pluuias, siccitates, bella & morbos in perniciem hominum, iubente Deo, desæuire. Et prorsus nullam creaturam esse, quæ non quasi telum aliquod ministret irato Deo, si quando peccata nostra punire decreuerit.

Sapient. 5.

Itaque ad singula præcepta Dei, homo in memoriam sibi redigat. En qui hoc præcipit, Dominus est, cuius mandatum contemnere sine meo periculo nõ possum. Quem ferio & solum timere debeo: quia si ipse mei tutelam susceperit, contra omnes aduersarios me tutum, & ab omnibus periculis securum præstabit. Si contra Dominum peccauero, ab ira eius nulla creatura me liberare poterit. Si in Deû peccauerit vir, quis pro eo orabit? 1. Reg. 2.

DEVS, Iam à bonitate sua fauorem hominum sibi consiliat Legislator, vt præceptis eius promptioribus animis pareamus, si bonitatem eius & promptum in nos amorem considerantes, cogitemus hæc mandata ad utilitatem & salutem nostram ab ipso proposita esse. Et ea vt sollicitè custodiamus, nõ ipsi (qui nullius rei indiget) sed nobis prodesse.

*Deus be-
neficentia
& bene-
uolentia
nomè est.*

Summam autem bonitatem vox illa exprimit, Deus. Siquidem consensu omnium gentium, velut opus peculiare Deo tribuitur, res hominum curare & adiuuare. Legislator ergo isto nomine summam in nos beneficentiam sibi vendicat, ostendens, quod ipse sit bonorum omnium fons & origo. Solus amator & Saluator hominum, & totius consolationis Deus: summè misericors, mitis, beneuolus, exorabilis, & velut communis omnium Parens & Conseruator, de salute omnium sollicitus. Qui cum nullam ipse indigentiam patiat, assistitis tamen & indigentibus. condolere nouit, & de

*Deº, quid
sit in opi-
nionè om-
nium Gen-
tium.*

diuitiis miserationis & bonitatis suæ, omnes omnium afflictiones consolari, & inopiam subleuare, promptissimus est. Ad eò munificus & natura bonus, vt ne malos quidem homines, & à quibus contemnitur, à beneficiis suis prorsus sinat esse alienos. Sed & irracionales bestias occulta quadam naturâ; vt ad bonitatem suam assuescit, vt petant & quærant à Deo escam sibi: ipse verò pro sua bonitate desideris bestiarum ad commiserationem inflexus, dat escam inuocantibus eum.

Psal. 103.

Psal. 146

Tantis beneficiis nonne obedientiam nostram meretur, vt ad voluntatem eius vitam nostram dirigentes, sollicitè caueamus, ne sic in nos affectum, & tam beneficium Dominum, peccatis nostris offendamus?

Imò etiam propriæ utilitatis respectu, velut malum & perniciosum deuitemus illud, à quo nos Deus arceat, & vt bonum & salutare amplexemur, ad quod inuitat. Non enim is qui bonus est, nisi malum prohibere, & bonum exigere potest.

QVI ED V XI *te de terra Aegypti, de domo seruitutis.* Potuit Deus aliis rebus, ad designandam gloriam & potentiam suam illustrioribus, signa sui cognoscendi dare, vt diceret. Ego sum ille Deus, qui omnem cœli militiam imperio & sapientia mea guberno: qui molem orbis terræ, nullis suffultam substerniculis, solo nuro continco immobilem: qui mundum diluio, quinque ciuitates igne de cœlo perdidit. Sed amari mauult, quàm timeri: & magis delectatur obedientia, quæ ex amore præstatur: ideoque commemoracione suæ beneficentiæ, homines ad obedientiam legis suæ inuitat.

Inter beneficia Dei, veteri populo exhibita, præcipuè erat, quòd Deus eos de dura seruitute, in qua sub fortium inimicorum manibus affligebantur, eduxit: hostibus eorum, qui impedire nitebantur, in mari submersis, & eductos per omne iter, adiuuit & fouit præsidii de cœlo missis, donec acciperent terram, omnibus bonis abundan-

bundantem. Quod ideo nunc reducit populo suo in memoriam, vt ex præteritis beneficiis, discant ipsi confidere, sibi que persuadeant, Dominum de salute eorum verè sollicitum esse, & sic de Deo sentientes, mādatis eius promptioribus animis obtemperent.

Propter præterita beneficia fidentium Deo.

Si ad Dei beneficia consideranda nos Christiani animus aduerterimus, quantis beneficiis erga nos diues & liberalis apparet Dominus? qui Solem suum pro incremento frugum impertit: qui pascit & vestit nos, & disposita Angelorum custodia, ab incurfu malorum spirituum vitam nostram munit & tuetur. Sed hæc diuinæ liberalitatis munera, cum cæteris gentibus obtinemus communia. Peculiare est (& quanti amoris indicium?) quòd Deus à durissima seruitute, non Aegypti, sed Diaboli, cui seruebamus in peccatis, non per Moysen, sed per Filium suum nos liberare dignatus est. Hic est Deus, qui nos, cum lonè gessimus, promissionis spem non habentes, aduocauit, per gratiam adducens, & sibi nos adiungens, & reconcilians per sanguinem Filij sui: vt simus nunc peculium suum, populus electus, omnes Filij promissionum, & hæredes æterni regni: & hanc benignitatem & charitatem erga nos exhibuit, nullis nostris meritis incitatus, sed secundum misericordiam & bonitatem suam, qua nos tunc etiam inimicos dilexit. Hæc expēditibus nobis, dulcescent mandata Dei, vt libenter nos submittamus voluntati tam boni & clementis & liberalis Domini, cuius super pristina beneficia, adhuc quotidie beneuolentiam experimur, & à quo in futurum expectamus beneficia, omnem sensum humanum excedentia, quæ reddet nobis is, qui in verbis suis fidelis & verax est, & ad præstandum diues in omnes, qui inuocant eum.

Quanta in nos extitit Dei beneficia.

PRÆCEPTVM I.

NGN HABEBIS DEOS ALIENOS

coram me. Non facies tibi sculptrile, neque omnem similitudinem, quæ in cælo est desuper, & quæ est in terra deorsum: Nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles.

Præcepta Decalogi negatiua.

P

Ræcepta Decalogi (duobus exceptis) omnia secundum literam negatiuè eunciantur: sed secundum spiritum, vehementem & seueram affirmatiuum includunt. Solet enim magis serua apparere iusio, quæ per negatiuum effertur: Vt qui famulo suo cõminatur, ne quoquàm è domo abeat, satis seriò præcepit, vt domi maneat. Sic Deus in prohibitione cuiuscũque mali, bonum, quod est ei malo contrarium, seriò iubet & exigit.

Habent hæc verba sensum affirmatiuum, cum Dominus alienos Deos coram se haberi, eosq; adorari aut coli vetat. Simul enim exigit, vt ipsum solum Deum verum habeamus, adoremus, colamus, ipsiq; soli seruiamus.

Dii.

Dij autem vocantur non natura, sed opinione & superstitione hominum, qui astutia Dæmonum delusi, relicto Deo vero, alios Deos sibi fingebãt tanta stultitia & vanitate, vt non solum Idola, quæ fecerant manus eorum: sed quidam etiam morbos, animalia, & herbas fœtidas, pro Diis colerent. Hanc stultam hominum impietatem, & impiam stultitiam, grauitè taxat Apostolus Rom. 1. & passim Prophetæ acerbè exagitant: Deos gentium iam Idola, iam opera manuum hominum, in ærdum (vt sunt) Dæmnoia, & ligna, & truncos, appellantes. Habent enim Dij gentium ridiculam & pudendam originem.

Stultitia gentium in colendis Diis.

Non

Non erant, & homo succidens arborem, & ex ea truncum exculpens, fecit Deum. Et inter fabricandum, si nodus in ligno occurreret, successum operis impediret, iratus maledixit Deo, quem fabricabat: Postquàm ab-soluit eum, curuatur ante eum, & dicit: Libera me: quia Deus meus es tu. O execrandam Diaboli imposturam, & ò cæcas hominum mentes, fiduciam in opere manuum suarum collocantium. Nõnne melior est artifex opere suo? Et homo melior est iis, quos colit? Ipse enim fecit eos. Et homo, etsi mortalis, ramen viuut, & loquitur, & mouetur. Dij, quos fecit, nunquam viuunt, oculis suis non vident, nec auribus audiunt, nec vllò sensuum officio funguntur: quorum cultoribus pro grandi malo imprecatur Psaltes, vt fiant Deorum suorum similes. Hæc crassa & externa Idololatria, maximè omnium abominabilis est, quæ non solum cor hominis auertit à Deo: sed externum etiam cultum & honorem Deo vero detrahit, & ad Creatoris ignominiam, honorem Creatori debitum, ad creaturas transfert.

Deorum
gentium.
Esa. 44.

Sap. 15.

Psal. 113.

Est alia interna & spiritualis Idololatria, qua homines sibi Deos faciunt, non manu, sed animo. Id enim Deum suum vnusquisque facit, in quod fiduciam collocat, quod in animo suo præfert Deo: Vt, cum homo aliquam creaturam (puta diuitias) parare sibi, aut partem sibi retinere, etiam cum iniuria & offensa Dei, non veretur: aut certè maiore desiderio afficitur ad eam rem, quàm ad ipsum Deum: & magis de illa re, quàm de Dei auxilio confidit. Quam habens, securus agit: non habens, quasi derelictus dolet, & tristatur, & animo angitur.

Idololatria Spiritus.

Totum itaque hominem, secundum corporis & animæ vires, hoc præcepto ad se rapit Deus, & ab aliis rebus omnibus abstrahit, tam eum, qui per corpus exhibetur, cultum, quàm internos animi affectus sibi soli obligans, ne quid in toto homine, aut in omni eius vita, à dilectione & cultu Dei ociosum maneat. Fidem, spem, & charitatem ia seipso solo vult figi, vt ipsum vnum, verum Deum credamus;

credamus, apud quem sit omne bonum, & extra quem nihil sit bonum: vt in eum omnē fiduciam colloce- mus, nec in animos nostros de vlla re, quàm de solo Deo, vel consolationem vel metum admittamus. Vnum diligamus Deum sic, vt cor nostrum ad nullius rei magis, quàm ad Dei dilectionem inclinetur: vt mens Deum solum cogitet, ei que omnes sensus nostri vacent: vt quicquid aliud diligendum in animos nostros inciderit, in Deum rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit. Solum Deum colamus, solum adoremus, soli omnē cultum deferamus, & velut vnico Domino, tam corporis quàm animi seruitutem integram dedicemus. Sic enim alibi hoc præceptū sacræ literæ affirmatiuè declarant. Dominum Deum tuū adorabis, & illi soli seruias. Et. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis, vt totum, quod es & va-

Deut. 6. les, in eum conferas, à quo totum habes, quod es & vales. Requirit ergo hoc præceptum animum soli Deo innixū, eo que solo contentū, qui extra Deum nihil requirat: qui Deum possidens, vltra eum nihil desideret, Deum retinens, aliarum rerum iactura non moueatur: qui vitam & quæcunque chara habentur, amittere: mortem autem, & quæcunque dura videntur, tolerare nō dubitet, vt Deum lucretur, Phil. 1.

Hæc meta est veri cultus Dei, & perfectæ dilectionis, quam plenè attingere, dum hac carne grauamur, non vale- mus: attingemus autem in patria, cum id, quod ex parte est, euacuabitur. Interim tamen eniti debemus, & gratiam à Domino postulare, vt ad perfectam magni huius & eximij mandati adimpletionem, quàm proximè per- tingamus, vt quod debemus ex præcepto Dei, per gratiam eius impleamus.

*Spiritu-
alis Idola-
latria
prohibe-
tur.
Delinq-
unt in*

NON HABEBIS Deo alienos coram me.
Hæc prima præcepti pars animi affectus corrigit, & Spiritualem Idololatriam prohibet, quæ aut in nobis ip- sis, aut extra nos in alijs rebus exercetur. Primi ergò de- linquunt in hoc præceptum, qui propria virtute tumidi, meritum

meritum æternæ vitæ, suæ iustitiæ tribuunt, & opus suarum virium non gratiæ diuinæ esse existimant, vt saluentur insigni contumelia afficientes misericordiam Dei, qua nos saluos fecit, non autem ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos. Tit. 3. Non quòd sit prorsus abiicenda boni operis fiducia, quasi fidelium opera mercede apud iustū ludicem caritura sint, qui nullius boni obliuiscetur, etiā pro aquæ frigida haustu oblato mercedem promittens: sed quòd omnis boni operis laus, non homini, sed Deo debeatur, qui in homine operatur & velle & perficere. Si- quidem omne opus bonum, non ex viribus nostris, sed ex Dei gratia prouenit, & Deus idem bonorum operum in nobis author existit per gratiam suam, & remunerator per misericordiam.

Similiter in hoc præceptum peccant, qui felices rerum suarum successus prudentiæ suæ tribuunt, & diuitias suas propriæ industriæ deputant: qui sapientiam, doctrinam, facultatem, cætera que dona, non in Deum, à quo ea acciperunt, conferunt, sed quasi propria ad aliorum æmulationem aut ad suam ipsorum gloriolam vsurpant: non cogitantes, etiam hæc dona, nisi fauor & benedictio Domini accesserit, inutilia esse. Perdam (inquit Dominus) sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium repro- babo. It. Maledictus, qui confidit in homine: Qui autem sibi ipsi placet & in se confidit, vtique confidit in homine.

Sic Idola ex seipsis fabricant, qui ocium, luxum, libidinem sectantur, & nimiam sui corporis curam non sine of- fa Dei exercent. Quorum Deus (inquit) venter est: hi enim Deum admonentem. Caute ne corda vestra grauentur crapula & ebrietate. Et. Fugite fornicationem &c. & in iis delinquentibus graues pœnas comminant: con- temnunt, dum ventri suo, & quæ circa eum sunt, turpiter indulgeant.

In iis, quæ extra nos sunt, Idololatria (sed occulta & spiritalis) committitur, quoties fiduciam nostram auer- sam

*hoc præ-
ceptum.*

*I.
Quærens
bonis ope-
ribus fidē
cum.*

*Heb. 6.
Matt. 10.
Phi. 2.*

II.

*Esa. 29.
Hier. 17*

III.

*Phil. 3.
Luc. 21.*

IIII.

Auari sam à Creatore, in rebus corporalibus reponimus: aut ho-
Idolola- norem, obedientiam, amorem, à Deo ad res creatas tran-
trae. ferimus. Sic diuitias (appetendo & amando, & iis confi-
 dendo) ad iniuriam veri Dei, Deum suum faciunt homi-
 nes, quarum amore multa sibi contra Dei voluntatem
 permittunt. Quibus affluentibus, felices sibi videntur: si-
 ne his, desperant miseri, quasi extra hunc pudendum
 Deum, non sit alius, cuius auxilio salui esse queant. Hæc
Mammæ execrabilis est Idololatria, Matth. 6. 1. Cor. 6. Ephes. 5.
pudendus

inuti- Sic Idololatriam committimus, quoties aut fauorem
lis Deum. hominum aucupantes, aut iram eorum cauentes, à Dei vo-
 luntate recedimus: Vt, si quis peccantem, metu, ne repre-
V. hensus parum amicus fiat, non redarguit. Tales sunt qui-
Adula- dam Aulici & ministri Principum, qui videntes animos
tores Ido- Principum ad iniustitiam procliuēs, non auertunt aut re-
lis serui- uocant salutaribus consiliis: sed pestifera adulatione ma-
ant. gis impellunt. Et vt apud eos gratiam ineanť, ærarium au-
 gendo, non cessant comminisci, quomodo misellam ple-
 bem expleat, grauius tributis opprimant, pupillos &
 viduas despicient. Et ne vsquam parum morigereri de fa-
 uore & grãtia Principum periclitentur, omnium iniuria-
 rum, libidinum, & quorumlibet flagitiorum, eis se mini-
 stros præbent.

VI. Iam Deus, bonorum omnium ipse fons & origo exi-
 stens, media tamen disponit, per quæ sua beneficia in
 nos transfundit. Impingunt autem in hoc præceptum,
 qui diuinæ gratiæ effectus, quos per res corporales,
 tanquam debita media, Deus operatur, ipsis mediis
 & rebus corporalibus tribuunt: quæ Idololatriæ species
 latè patet.

Labore manuum nostrarum & cultu terræ, escam & fru-
 ges largitur Deus: nihilominus tamen & alimenta nos-
 tra, & vberior frugum prouentus, diuinæ liberalitatis
 beneficia esse, existimanda sunt. Siquidem sine benedi-
 ctione Dei, inanis labor noster, & sterilis cultura omnis
 manet, Haba. 3. Psal. 84.

Medicinam

Medicinam ad retinendam reparandamue sanitatem *Eccle. 38.*
 corporum Altissimus de terra creauit, fidelis tamen, non
 tam de medicina, quam de Dei auxilio confidit: sentiēs,
 nisi Deus medicinam ad salutem hominis efficacem red-
 diderit, artem Medici, & malagmata, & herbas, nihil profu-
 turas: Sap. 16. Sic Afa Rex Iuda increpatur, quod in in-
 firmitate non quæsierit Dominum: sed in Medicorum arte
 confusus sit, 2. Par. 16.

Ad auertendos hostium incursus, nunquam armis bel-
 licis abstinendum, etiam pij Reges censuerunt. Qui ta-
 men spem victoriæ, non in curribus, & equis, & arcubus,
 & gladijs, sed in auxilio Domini reponebant: Idololatriæ
 vitio non carituri, si fiduciam in multitudine exercitus
 potius, quam in Deo collocassent.

De sale, aqua, & alijs rebus, quæ per Exorcismos
in vsum hominum præparantur.

Vetusta-
 tē Exor-

Ec falem, aquam, herbas, & res alias multas, cismorū
 Ecclesia in vsum hominum Exorcismis & huiusmo-
 orationibus præparat, vt sint ad arcendas diuide
 Dæmonum insidias, ad morbos pellendos, Tripar.
 & ad omnia incommoda, quæ hominum in-
 lib. 11.

columitati inimica sunt, auertenda: efficaces. Quarum cap. 8. In
 rrum abusus in Idololatriam vertitur, quoties effectus, Decretis
 ad quos res illæ per verbum Dei & orationem ordina-
 tæ & consecratæ sunt, ipsis rebus corporalibus tri-
 buuntur, & non virtuti diuinæ, quæ per fidem & ora-
 tionem nostram expetita, tales effectus sola operatur. Minaten
 Alioqui rerum illarum vsus nec inutilis, nec superfluitatem in-
 sem in-
 fus, aut à pietate Christiana alienus esse, putandus est. ratio. di
 Nemo enim ignorat, Christū Ecclesiæ suæ, quam in Apo-
 uii. 1. Pa-
 stolis fundauit, inter alia præsidia, quibus eam ab omni-
 ral. 17.
 bus incommodis tutam præstaret, etiam ad repuniendas Exorcis-
 Dæmonū insidias, & pellēdos morbos, fugandasq; infir-
 mitates, potestatem dedisse. Dedit illis (inquit) virtutem pturis sun
 & potestatem super omnia Dæmonia, & vt languores dati
 curarent;

Matt. 10. curarent: & misit illos prædicare regnum Dei, & sanare
Luc. 10. infirmos. Quæ potestas non modò Ecclesiæ istius tempo-
Beneficia ris peculiaris fuisse, sed toti Ecclesiæ, vsque ad consum-
Ecclesiæ mationem duraturæ, attributa esse, existimanda est: Si-
per Christi- cut cætera Christi beneficia (quæ talia sunt, vt semper ad
stum con- hominum incolumitatem & salutem tutandam, vtilia &
cessa sem- necessaria sunt) etiam nunc in Ecclesia durare & effica-
per durat cia esse, & ad finem vsque duratura, sine dubio creduntur.
in Eccle- Vt enim demus primæ & adhuc nascenti Ecclesiæ, ad
sia. rudimenta fidei stabilienda, quædam peculiaria dona esse
 concessa, quæ ad adultam Ecclesiam non transmigrã-
 runt, sed vnâ cum eius infantia ipsa quoque defierunt.
 Quale est donum linguarum, & miraculorum operatio,
 quibus iam robusta & confirmata fides non indiget: in iis
 tamen, quæ imbecillitas hominum semper requirit, nullo
 vnquam tempore Christi Ecclesia diminuta est, quin ei
 per virtutem suam semper assisteret, qui est pollicitus.
 Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.

1. Pet. 5.

Cùm autem nunquam cesset Diabolus in perniciem fidelium machinari, sed infensus obambulet sine intermissione, quærens quem deuoret, & cum nunquam non variis morbis humana imbecillitas degat obnoxia: vtique pius ac bonus Dominus, & custos noster Iesus Christus, cuius dona sine penitentia sunt, potestatem illam & virtutem, quam Ecclesiæ suæ, ad reprimendas inimici insidias, & pellendas ægritudines, concessit, nullo vnquam tempore vult esse ademptam Ecclesiæ, quam nouit ei omnibus momentis esse necessariam.

In operatione diuina virtutis res corporales adhibentur.

Iam quòd Ecclesia Christi hanc à sponso concessam potestatem, non solis verbis, sed rebus corporalibus adhibitis, exercet (quas ad huiusmodi effectus exorcismis, & oratione in fide facta, ordinat & consecrat) ne hoc quidem vt supersticiosum & vanum videri potest, nisi ab iis, qui in odium Ecclesiæ, perpetuum etiam sanctorum scripturarum morem explodendum damnandumque sibi sumpserint. Siquidem scripturarum testimonio patet, in operatione diuinæ virtutis res corporales plerumque adhibitas. Sic Moyse à Deo lignum demonstratum est, quod

in aquam mittens, amaritudinem aquæ dulcorauit. Et Heliseus sterilitatem aquæ salis immersione sanauit. Raphael incenso piscis iecinore, fugauit Dæmonium. Tobias de eisdem piscis felle liniens oculos patris, visum ei restituit. Sed & Christus ad sanctificationem nostram, Sacramenta excellentis efficaciæ in rebus corporalibus exhibuit. Et Apostoli hanc ipsam potestatem non modò verbis & oratione: sed crebrò etiam, adhibitis rebus corporalibus, exercuerunt. Quod Lucas in Actis Apostolicis luculento testimonio comprobat, à corpore Pauli sudariis & semicinctiis super languentes impositis, recessisse ab eis morbos, & spiritus nequam egressos, asseuerans. Et similia exempla, de Apostolis & aliis viris sanctis prodita & notissima, passim per Ecclesias leguntur. Vnde & in hodiernum diem Ecclesia Christi in exercenda potestate, quam ad cohibendam Demonum malitiam, aut alias noxias calamitates auertendas, accepit, sine omni superstitutione res corporales adhibere potest, quas verbo Dei & piarum orationum fiducia, cum sanctissimi nominis Dei inuocatione, ad illos effectus disponit.

In quo pia sacrosanctæ Ecclesiæ prudentia admiratione & laudè meretur, quòd ad hos vsus, non nisi res in hominum vsu valde necessarias & vtilis, & ad significandum maximè idoneas, delegit. Duo enim in istis rebus attendenda sunt. Vnum, Operatio, quam res illæ non ex natura sua, sed cælesti benedictione, & virtute diuina imbutæ, præstant. Alterum, Significatio, qua ad exercitium pietatis mirum in modum conducunt. Operationes earum (quod in Exorcismis est videre) in eum ferè finem diriguntur, quem Christus tradens, potestatem Apostolis indicauit, videlicet, vt Dæmonū præstigiæ, & morbi, & cætera calamitates noxiæ, à fidelibus arceantur. Significationes autem singulis sunt peculiare, quibus deuotionis affectus excitatur, fidei & charitatis feruor incenditur, & credentium mentes per vsum istarum admonitæ, tunc gaudio spiritali exuberant, hunc fiduciam concipiunt, & in fide quàm aptissimè confirmantur: Quod circa singulas considerare, nec inutile, nec fidelium cura

In rebus benedictis duo attendenda. Operatio & significatio.

indignum credi debet:

Ufus salis & aquæ benedictæ Salis & aquæ benedictæ (quorum vsus in Ecclesia creberrimus exhibetur) operatio huc dirigitur, vt per inuocationem sanctissimi nominis Dei, ad salubritatem humanorum corporum conferuandam, & omnem spiritalem immundiciem eluendam, omnemque Dæmonum potestatem comprimendam, effugādamq; , vim virtutemq; ex diuinæ gratiæ munere accipiant.

Significatio Salis & aquæ. Aqua, quid significet. Significationem autem pulcherrimam, & ad exercitium pietatis accommodatissimam, habent. Aqua regenerationis nostræ Symbolum est, cuius asperione commemoratur, ex eorum nos esse numero, qui Christo nomen per baptismum dedimus: qui veterem hominem in aqua submersimus, consepulti Christo Iesu secundum veterem hominem per aquam Baptismi, vt quemadmodum Christus à morte suscitatus est per gloriam Patris: sic nos post lauacrum aquæ, in vitæ nouitate ambulemus. Ecclesia itaque in exhibitione aquæ sanctificatæ, renunciationem seculi significare voluit, vt homo aqua se conspergens, cogitaret En, in aqua Diabolum, animæ tuæ hostem, per gratiam Dei aliquando suffocasti, ne rursus laqueis eius capiaris: veterem hominem demersisti in Baptismo, & vitis omnibus mortuus, & ab omni peccatorum forde ablutus mundus & purus aquam egressus es, ne iniquationibus seculi rursus impliceris.

Rom. 6.

Præterea aqua diuinæ gratiæ vberem copiam signat, qua semel gustata, homo amplius non sitit. Conspergens ergo corpus suum aqua consecrata, demonstrat spiritalem sitim suam: & suspirans ad Deum, intus animam sui potari illa aqua desiderat, quæ fiat in eo fons aquæ viuæ, salientis in vitam æternam.

Sal, quid significet. Similiter & sal res est Symbolica, ad pietatem efficaciter admonitione perurgens. Sal enim res vniuersas condit, factorem prohibet, & à corruptione præseruat: cuius gustu admonemur, vitam nostram sanctis operibus condi-

re, vt nemini simus offendiculo, ne nomen Dei fœtere faciamus inter incredulos: & vt ab omni forde & corruptione vitiorum, omnem vitam nostram, per Dei gratiam studeamus immunem conferuare.

Cineres humiliationis, compunctionis, & pœnitentiæ Symbolum habere, ex scripturis vulgatissimum est. Quorum insperione homines admonentur, vt post delicta ad pœnitentiam conuersi, pro peccatorum suorum remissione humiles & compuncti corde, Dei misericordiam implorent. Sic autem in benedictione & insperione cinerum, pro filiis suis ad Deum orat Ecclesia, Vt Deus, qui semper humiliatione flectitur, & pœnitentia placatur, istud humiliationis signum in capitibus seruatorum suorum conspiciens, cordibus eorum seriæ compunctionis affectum per gratiam suam inspirare: & peccatis eorum (quorum humilem confessionem in ipsa cinerum susceptione præ se ferunt) clementer misereri: & ipsis pœnitentibus promissa largiri, omniaque peccata eorum pietate & gratia Domini nostri Iesu Christi dissoluere atque indulgere, dignetur.

Palmarū ramis Ecclesia salutarem Christi triumphum recolit, quæ illi turbæ à Spiritu sancto inspiratæ, via virtutibus virgultis constrata, exhibuerunt, cū mox de morte & Diabolo triumphaturus, Hierosolymā ingrederetur. Postulat autē pro filiis Ecclesia in ramorum benedictione, Vt quemadmodum Christus Filius Dei pro nobis mortem oppetens, Diabolum, peccatum, & mortem, potenter deuicit: sic Deus omnes, qui in signum eius Triumphii ramos virentes constanti fide gestauerint, gratia sua & virtute Spiritus sui munire & confortare velit, vt & ipsi de Diabolo, morte, & peccato, triumphū referre valeant. Et vt ramos istos, victoriosissimæ passionis Christi indices, vbique gratia & virtus diuina consequatur, ne vnquam Diabolus audeat, vel ipsos, vel domos ac res ipsorum infestare: sed contremiscentes & gemens, aufugiat ab eis, qui ei obiecerint ramos consecratos in signum eius Triumphii, quo malignus se fractum deuictumque recordatur.

L ij Nec

Rami vi- **Nec tantum ad fiduciam nostram erigendam faciunt**
rentes, **benedicti rami: sed ad colendam pietatem nos incitant.**
quid si- **Siquidem oliuarum & palmarum rami, quibus turbæ viâ**
gnificent. **Domini adornabant, simul & virore suo victoriæ, & pin-**
guedine sua misericordiam, designant: vnde admonentur
fideles, vt virêtibz iustitiæ ramis viam Domino in seip-
sis præparent, & vt ad exemplum Domini, misericordiâ
exhibeant indigentibus: Vt ipsi quoque de vitis triumphare,
& Diabolum (quem nobis virtus Passionis Christi fractum infirmatumque reddidit) per gratiam Dei superare contendant.

De bened- **Herbas ad finem ætatis verbo Dei & oratione sancti-**
ictione **ficat Ecclesia, Exorcismo depellens ab eis Dæmonum**
herbarum **præstigijs, quos non ignorat, vbiq; incolunitati & salu-**
& frugum. **titate solum nouit auxiliatorem & tutorem: fideli oratione**
compellat, vt qui herbas ad diuersa medicamina, sua
bonitate & sapientia condidit efficaces, illas nunc repul-
sa omni Diabolica machinatione, ad hominum ac iumen-
torum necessitatem & incolunitatem, sua benedictione
salubres efficere dignetur, vt in quocunq; vsu fuerint assumptæ,
omnes ægritudines, omnemque infestationem Diabolicam, diuina virtute effugent.

Psal. 84. **Hoc quoque herbarum & ramorum consecratio nos**
monet, vt meminerimus, quæcunq; ad subsidium alimen-
torum nostrorum annus producit, ea non ex nostra pro-
uidentia: sed ex Domini liberalitate & benedictione pro-
uenire. Dabit Dominus (inquit) benignitatem, & terra no-
stra dabit fructum suum. Similiter & herbas non ex na-
tura sua, sed ex Domini iussu & benedictione eius, ad me-
Sap. 16. **dicinam corporum nostrorum salutare esse. Et enim, ne-**
que herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus Domine
sermo, qui sanat omnia.

Benedi- **Cereos in hunc effectum orationibus consecrat, &**
ctio can- **ordinat Ecclesia, vt quemadmodum sapientissimus rerum**
delarum. **conditor, ceræ vim ad depellendas tenebras, & præstan-**
dæ

dæ lucis vsus, per naturam indidit: sic nunc pijs Ecclesiæ
præcibus exoratus, sua benedictione & gratia vim illi &
efficaciam immittat, vt fulgore huius consecrati luminis
perstrictæ potestates tenebrarum, non valêtes ferre vir-
tutem tremendi nominis Dei, quod super his cereis in-
uocatum est, & signaculum victoriæ crucis (quo cerei
isti in verbo & oratione designati sunt) expauescant,
de locis fidelium trepidæ effugiant, nec amplius audeant
incolunitati eorum insidiari, quos viderint in fiducia for-
tissimi nominis Dei, ceræ sanctificatæ vsu præmuniri.

Iam verò ad excitandum sincere fidei & piæ deu-
otionis affectum, cereorum vsus significatione luminis
multis modis seruit. In scripturis sanctis varia admodum
spiritualis gratiæ dona, ignis & lucis symbolo designan-
tur, quæ omnia sollicita mater Ecclesia, externi luminis
vsu in memoriam nobis reducere tentat, per cereos con-
secratos nos commonens & instruens, vt à Deo peta-
mus omnibus istis spiritualis gratiæ donis muniri: quor-
um similitudinem ignis externus quodammodo adum-
brat. Ignis feruorem charitatis, & fidei calorem, signifi-
cat. Hinc cereos accensos manibus præferentes ipso ges-
tu, cordis nostri affectum designamus: desiderare nos
indicantes, vt Deus & Dominus noster corda nostra fidei
veritate illuminet, & amore suo inflammet. Et similes
multas significationes externi luminis, ad excitandam
pietatem, aptas & viles, orationes, quæ in consecratio-
ne cereorum adhibentur (illam veteris Ecclesiæ doctam
pietatem mirificè redolentes) ostendunt. Vt sancto igne
dulcissimæ charitatis tuæ succensi, in templo sancto glo-
riæ tuæ representari mereamur. Et. Vt sicut hæc lumina-
ria igne visibili succensa, nocturnas depellunt tenebras:
ita corda nostra inuisibili igne, id est, Spiritus sancti
splendore illustrata, omnium vitiorum cæcitate careant,
vt purgato mentis oculo, cernere possimus, quæ sunt tibi
placita, & nostræ salutis vitia. Quatenus post huius se-
culi caliginosa discrimina, ad lucem indeficientem per-
uenire mereamur. Et. Illumina Domine populum tuum,

Ignis seu
lumen,
quid signi-
ficer.

Oratio:
in benedi-
ctione ce-
reorum.

& splendore gratiæ tuæ corda eorum semper accende, vt Saluatorem suum promptè agnoscant, & veraciter apprehendant . Et . Omnipotens Deus, qui vnigenitum Filium tuum, lumen verum, ad depellendas humani generis tenebras, & ad incendendum lumen fidei & veritatis, in mundum misisti : da propitius, vt sicut externis corporali, sic interius luce spiritali irradiemur . Et . Vt sicut lumine Spiritus tui Simeon senior irradiatus, vnigenitum tuum in templo præsentatum agnouit: sic nos eiusdem Spiritus gratia illuminati, te veraciter agnoscamus, & synceriter diligamus . Et . Igne Spiritus sancti tui vitia nostra exure, cordaque nostra luce scientiæ tuæ illumina, & animas nostras fidei splendore clarifica . Et pulcherrima & pietatis plena oratione totius huius cæremoniæ mysterium explicatur, quam legentes veræ pietatis studiosi, & Ecclesiæ Maiestatem amantes, in nihilo grauati, huius operæ precium se facere arbitrabuntur . Deus mundi conditor, author luminis, siderum fabricator . Deus, qui iacentem mundum in tenebris, luce perspicua crexisti . Deus, per quem ineffabili potentia omnium claritas sumpsit exordium : Te in tuis operibus inuocantes, de tuis donis tuæ Maiestati suppliciter offerimus hunc ignem, non adipe carnis pollutum, non prophana vnctione vitiatum: sed cera atque stupa constructum, in tui nominis honore succensum, obsequio religiosæ deuotionis offerimus . Magnum igitur mysterium, & mirabile noctis eius Sacramentum, dignis necesse est laudibus emulari, in qua Dominicæ resurrectionis miraculo diem sibi introductum tenebræ inueteratæ senserunt, & mors, quæ olim fuerat æterna, nocte damnata, in fonte ueri fulgoris & luminis captiuam trahi sese Dominicis triumphis ostupuit . Ad huius ergo festiuitatis reuerentiam, seruo Spiritus descendentes, quantum deuotio humana exigit, tibi fulgore flammaram placita luminaria exhibemus: vt dū hæc fide integra persoluuntur, etiam creaturæ præconia extollantur . Flamme lux quippe dicanda est, per quam potestas Deitatis Moyfi apparere dignata est, quæ de terra exeunti populo, salutifero lumine ducatur præbuit. Quæ etiam tribus

*Pulchra
et pia
ratio.*

pueris,

pueris, in camino ignis sententia Tyranni depositis, vitam blandimentis mollioribus reseruauit . Nam vt præcedente huius gratia luminis, tenebrarum horror excluditur: ita Domine lucescente Imperio tuæ Maiestatis, peccatorum sarcinæ diluuntur . Cum igitur substantiæ huius miramur exordium, apud necesse est laudemus originem . Apes sunt frugales sumptibus, in procreatiõe castissimæ . A Edificat cellulas, cereo liquore fundatas: quibus humanæ peritiæ ars magistra non coarctatur . Legunt pedibus flores, & nullum in floribus damnum inuenitur, Partus non edunt, sed ore legentes, concepti fortus reddunt examina . Sicut exemplo mirabili Christus Dominus ore paterno processit . Fecunda est in his sine partu virginitas, quam utiq; Dominus sequi dignatus est, carnalem se matrem habere virginittatis amore constituit . Talia igitur, Domine, digna sacris altaribus tuis munera offeruntur, quibus telatari religio Christiana non ambigit .

Harum omnium rerum vsus, fidelibus salutaris esse sine omni superstitione creditur . Non enim Ecclesia Christi, res illas verbo & oratione consecrans, nugas agit, aut humanam adinventionem sequitur: sed legitimam potestatem exercet, quam illi Dominus contra Dæmonum malitiam, contra morbos, & alias noxias calamitates, concessit . Nec vana & inefficax esse putanda est talium rerum sanctificatio, quæ verbum Dei facit, & fidelis oratio imperrat à Domino, qui piarum petitionum semper exauditor est . Siquidè & Apostolus asseuerat, creaturas verbo Dei & orationibus sanctificari: id est, ad sanctos & salutare vsus aptas & efficaces fieri . Cum itaq; Christus talem potestatem Ecclesiæ suæ promittens, vanus promissor existimari non debeat, & cum Apostolus creaturas sanctificationis (quæ fit per verbum Dei & orationem) capaces asseueret, & cū oratione in fide facta Deus auersari, & optato effectu frustrari non velit: firmissime credendum est . Ecclesiæ, dū res illa verbo Dei & oratiõe cōsecrat, easq; diuina virtute sanctificari petit, exaudiri, & creaturas sic sanctificatas & cōsecratas, ad Dæmonum infestationem conhibendam, ad ægritudines fugandas, acris temperiem

Mat. 10.

Luc. 9.

1. Tim. 4.

L iiii

mitigandam

mitigandam, aliasq; noxias calamitates arcendas, efficaces esse, non iis quidem viribus, quas habent ex natura: sed quas ex virtute verbi Dei, & orationū efficacia, conceperunt, vt iam non ipsæ res operentur tales effectus, sed ipsis rebus assitens diuina virtus.

Credimus ergò rebus consecratis, cōcurrente fide & deuotione hominum, his rebus vtentium, morbos leniri: tempestates mitigari, pericula auerti, Dæmones fugari: omnes hos effectus non rebus corporalibus, sed gratiæ Dei & diuinæ virtuti tribuentes. Non quòd Diabolus saltem, aquam, herbas, horreat: sed quòd fortissimum nomen Dei, quòd super his rebus inuocatum est, sustinere non valens trepidus & contremiscens aufugiat.

Itaq; in harum rerum vsu effectus illos quærere, ad quos per verbum Dei, & orationem in fide factam, per Ecclesiam consecratæ & ordinatæ sunt, nec vanum est, nec superstitiosum.

Qui peccati in vsu rerum consecratarum. Delinquent tamen in hoc præceptum, & ab Idololatriæ vitio excusari non possunt, qui effectus huiusmodi ipsis rebus corporalibus tribuunt, quos sola virtus diuinæ, cōcurrente fide & deuotione hominum, operatur. Aut, qui rebus consecratis per superstitionem ad magicas artes, & alios impios vsus, abuti non verentur.

VII. Deinde in hoc præceptum peccant, qui Ariolos sciscitatur, qui res perditas aut furto ablatas, impostorum quorundam (confortio malorum Dæmonum vtentium) indicio requirunt. Qui incantationibus vulnera auertere, pecora à ferarum incurfu custodire, morbos ab infantibus fugare, se posse confidunt. Et qui magicas artes quoquo modo exercent.

Contra ad res magicas & superstitiones. Videmus tamen (inquiunt) euenire, quod illi pollicentur. Ita ne tantis beneficiis à Deo Creatore tuo cumulatus o homo, & precioso Filij Dei sanguine redemptus; tam parua mercede induci potes, vt relicto conditore & redemptore tuo, animæ tuæ insidiantem Dæmonem sequaris

ris: vt propter vilis pecuniolæ, quam amiferas, iudicium, contemnas Deum tuum, monentem & præcipientem. Ne scisciteris ab eis, & ne credas eis?

Vtiq; magnis viribus & multiplici sciētia pollent Dæmones, vnde & artes magicæ, quæ ministerio Dæmonum peraguntur, permittente Deo, interdum mirabiles effectus operantur. Et Dæmones per Ariolos & Impositores illos quoties volunt, & à Deo permittuntur, veritatem sine errore sciscitantibus respondere valent. Sed an, quia fiunt, etiam rectè fieri existimas? Fiunt adulteria & stupra: sed non impunè fiunt. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Dñs. Sic etiam ad magicas artes confugientes, & Ariolis sciscitantes (etiam si euentus non frustrantur) grauis tamen vindicta manet, non quia non fiunt quod de Ariolis sperant: sed quia periculose & contra Dei prohibitionem fiunt. Nouit enim Deus, Dæmones, nō vt vtilitatis nostris consulat, nobis aliquando inferuire: sed vt hoc præmio illectos, à Deo nos abducant & in eam impietatem nos adducant, vt spem & fiduciam nostrā non iā in Deo, sed in Dæmonibus collocemus: & ob id corporum aegritudinibus medentur, vt facilius seductorum animas interimant: ob id in amissione pecuniæ nos iuuant, vt æterna bona à nobis diripiant. Interdum in paruis rebus vera dicunt sciscitantibus, vt fidem sibi apud homines concilient. Deinde in rebus maximis, fallunt, & mendacium respondent, vt in perniciosos & maximos errores abducant iam à se persuasos, & ipsi fidem adhibentes. Hanc illorum malitiam non ignorans Deus, prohibet, ne eorum confortio villo vtamur. Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somniū se vidisse dicat, & prædixerit signum atq; portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi. Eamus & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis: non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris: quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eū an non. Propheta ille aut fictor somniorum interficietur: quia locutus est, vt auerteret vos à Domino Deo vestro, qui e-

Heb. 13.

Deut. 18.

duxit

duxit vos de terra Aegypti, & redemit vos de domo seruitutis &c.

Qui maleficos tempestates ciere, morbos hominibus & iumentis immittere, posse credunt: Deo potentiam adimenes, & timorem Deo debitum, in maleficos transfereutes, peccant in hoc præceptum, & Idololatriam committunt. Omnia quæ hominibus eueniat, seu bona seu mala, in solum Deum authorem referenda sunt. Si est malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit? Amos. 3. Et Ego Dominus faciens pacem, & creans malum, Esa. 45. Mala autem immittit Deus hominibus, aut ad pœnam cum deliquerunt, aut ad gloriam vt probentur. Et in aduersis plarunq; ministerio malorum Dæmonum viitur. Possunt itaq; malefici, Dæmonum ministerio adiuti, tempestates inducere, ventos & fulgura & grandines ciere, quibus segetes deteruntur, incenduntur, aut euertuntur ædificia: sed & in corpora hominum & iumentorum sæui re possunt, vlcera, morbos, & quandoq; necem inferre. Quod exempla cæsurum in Aegypto primogenitorum, afflicti Iob, & interfectorum septem generorum Raguelis, demonstrant.

Sed hæc omnia, nec malefici pro sua volûtate, nec Dæmones pro potestate sua, sed ad solum nutum & permissionem Dei facere possunt, voluntatem & vindictam Dei in homines, tanquam deputati ministri, exequentes: Vt euidenter scriptura demonstrat, quæ Diabolum à Deo accepta potestate sæuas calamitates in beatum Iob exercuisse, manifestè testatur, & easdem tamen calamitates à Deo venisse, non dissimulat. Ignis Dei (inquit) cecidit de cælo. Et Dominus dedit, Dominus abstulit: quanquam Diabolus Deo permittente abstulisset. Non enim vel capillum de capite nostro mouere, seu malefici seu Dæmones valent, nisi quantum nobis nocere Deus, illis permisit. Ideoq; omnis timor & fiducia, in Deum solum dirigenda: nec à minis aut incantationibus maleficorum sibi timere debent homines, ne quid mali patiatur, sed Deum solum timeant, sine cuius permissu, nec malefici nec Dæmones

Quatenus malefici tempestates inducere queant

Exod. 12.
Iob. 1. 2.
Iob. 6.

Iob. 1. 2.
Et spes et timor in solam Deum dirigitur.

mones in nos quicquam molliri possunt. Et si aliquando, permittente Deo, huiusmodi aliquid passi fuerint homines: non ad maleficorum remedia confugiant: sed licitis & concessis remediis contenti, totos se Dei volûtati permissant, qui vulnerat & medetur: qui percutit, & manus eius sanabunt, cuius enim flagella salutaria sunt, & nobis in bonum cooperantur. Disciplinam Domini, sibi mi, ne abiciat,

Offendunt in hoc præceptum hi, qui aut tristioris fortunæ metum lætioris fiduciam ex astris sumunt. Iuxta vias gentium (ait Propheta) nolite discere: & à signis cæli nolite metuere, quæ gentes timent. Salutaris quidem humanæ vitæ per multas admonitiones esse potest Astrologia, si fines debitos non transcenderit. Hinc nauæ astrorum contemplatione futuras tempestates præuidentes, pericula cuitant. Et agricolæ opportunitatem siderum obseruantes, vtiliorum sementem faciunt, & stirpes ad vberiore prouectum plantant. Vnde & Moyses astra ad ministerium & vtilitatem hominum à Deo creata asseuerat, Deut. 4. Sed mera est impietas, actuum humanorum causas in astra regerere, quasi homines non ex nostra voluntate: sed ex quadam astrorum inclinatione, per omnem vitam nos persequete, aut boni aut mali simus: quasi malitia nostra non nobis imputanda sit, sed dum ad astra refertur, in culpam Creatoris redundet. Cum contrâ, omnis mali pronitatem, non extra nos: sed ex nobis prouenire scriptura testetur, De corde exeunt, malæ cogitationes, homicidia, adulteria, furta. Et Vnusquisq; tentatur à concupiscentia sua. Sic & virtutis operationem in nobis nequaquam ex inclinatione astrorum, sed ex impulsu sancti Spiritus, & ex munere diuinæ gratiæ prouenire, certum est.

Nec minor est impietas, credere, prospera & aduersa hominibus non pro merito à Deo distribui, sed ex astrorum dispositione euenire. Sic enim affuscit homines non vereri peccata sua, nec timere Deum, tanquam mali operis vindicæ: nec sperare in Deo, aut amare eum, tanquam boni operis

Iob. 5.

Prouc. 3.

VIII

Hiere. 10

Vtilitas

Astrologia

Mat. 15.

Iac. 1.

operis remuneratorem. Auertendæ igitur sunt mentes humanum à vanitate Astrologiæ, & ad Deum dirigendæ, vt ab eo solo & aduersa metuant, & prospera sperent, qui actuum nostrorum iustus æstimator, aut delinquentes malis affiget, aut sibi adherentes cumulabit bonis, *Leuit. 26. Deut. 28. Esa. 1.*

NON FACIES tibi sculpsile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum: Nec curruis, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles. His verbis Deus contra externam illam & crassam

Externa Idololatriæ.

Idololatriam pugnât, quæ infœlices gentes Diabolus olim immani cæcitate dementauit, vt nõ solum internum animi affectum ad res alias à Deo deflecterét: sed in manifestam impietatem erumpentes, etiam externum cultum, & honorem vni Deo debitum, ad res creatas; cum summa Creatoris iniuria, conferrent. Mutauerunt (inquit Apostolus) gloriã incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum.

Rom. 1.

Gentium vanitas in cuncta Idololatriæ. Adorare, quod sit. Colere, quod sit.

Erigebant Idola, & variarum rerum effingebant similitudines, & adorabant ea: id est, corporis gestu quasi sentientibus adulabantur, procumbebant & curuabantur ante illa. Et colebant ea, id est, affectu seruibat Idolis, diuinitatē inesse illis existimantes, qua vota hominum præstarent, & qua præstare salutaria, & auertere noxia præualerent. Simili impietate alij Solem, Lunam, & reliquam cæli militiam pro Deo colebant, cum insigni iniuria Creatoris, qui astra hominibus ad ministerium condidit: vt nobis ea ministrarent, non vt iis nos, relicto & contempto Creatore, seruiremus.

Hanc Idololatriam Deus per Prophetas acerbissimè insectatus est, & tandem per Filium suum totam destruxit, & ex orbe prorsus profligauit.

Imagines Iudæis autè tanto seridò omnibus simulachris interdixit Deus, quòd gens esset per se prona ad Idololatriã, & tunc

tunc Idolorum cultus circumquaque vigeret: Vnde periculù erat, ne si habere imagines permitterentur, finitimarum gentium exemplo ad colendas eas & adorandas inuitarentur. Alioqui Deus imaginibus non offendetur, qui præcepit, vt in tabernaculo duo Cherubim fierent. Qui boum & leonum imagines sculpsiles in templo Salomonis, & in mitra summi Pontificis effigiem Lunæ, & in vestibus eius malorum punitorum simulachra tolerauit Sed eas tantùm imagines abominatur, quæ ad cultum prostant, & quæ post se affectus hominum trahunt, vt per eas à veri Dei cultu & amore auocentur. Non adorabis ea (inquit) neque coles.

Quas Imagines auersetur deus.

De bono vsu imaginum.

Vnc post profligatum Idolorum cultum, & confirmatam religionem, Imagines in Ecclesia nõ solum sine Idololatriæ metu: verù etiam cum deuotionis & pietatis emulamento, retinentur. Non enim proponuntur Imagines in Ecclesia, vt adoremus eas & colamus: sed vt per eas, quid orare, colere, venerari & imitari debeamus, admoneamur. Nec vsum aliũ ex Imaginibus, quàm ex Codicibus quærimus: Videlicet, vt qui literas nesciunt, rerũ gestarũ memoriã ex Imaginũ pictura addiscant. Atq; hac de causa, Imaginũ, sicut & literarum vsus, in Ecclesia ad excitandam & promouendam pietatem, valde vtilis est.

In Codice quis contemplatur has literas, *Iesus inter duos latrones crucifixus est.* Et statim recordatur immensam Iesu Saluatoris nostri in nos charitatem, qua pro redimendis nobis, acerbissima & turpissima morte condemnari sustinuit. Quid aliud aut discit aut recordatur, qui crucifixi domini Imaginem, inter duas latronũ effigies, mediam suspensam intuetur?

Codicem oculis perlustrans, cum ad venerabile & tremendum nomen I E S V deuenerit, caput aperit, inclinat, & supirans, in cælum oculos attollit: & od id omni

mi

ni reprehensione & Idololatriæ suspicionem caret. Siquidem non literas, quæ vili attramento pinguntur, sic honorat: sed cogitatione & veneratione mētis suæ, ad eum honorandum & adorandum, rapitur, cuius memoriam hæc literæ ei suggerunt. Cur ergo superstitionis aut Idololatriæ reus peragitur, qui ante Imaginem crucifixi Domini, caput aperit, aut procumbens adorat, cum nequaquam Imaginem putet adorandam: sed eum in corde veneretur & adoret, quem pro se natum, passum, aut à dextris Dei sedentem, per Imaginem recordatur? Atque hic est Imaginum vsus sine omni superstitione, & non sine pietatis fructu in ecclesia obseruatus,

Quod si fuerunt (quos maxime omnium rudes & plane stultos fuisse oportet) qui diuinitatem quandam in imaginibus latitare credentes, eas quadam in cata fiducia coluerint: hic priuatorum error fuit, à doctrina & obseruantia Ecclesiæ prorsus alienus: nec ob eum errorem, Ecclesia reprehendi meretur, quem nunquam aut docuit aut approbavit. Aliud est enim, quod docet Ecclesia faciendum: & aliud, quod tolerat in infirmis & rudibus, donec emendet. Nec communis Ecclesiæ disciplina ex infirmorum errore æstimanda est. Siquidem cum Ecclesia vix vlllo tempore tam feliciter est actum, vt in vsu rudium & infirmorum hominum non multa inuenirentur, quæ sana doctrina merito reprehederet. Ipsam autem Ecclesiæ doctrinam & obseruantiam, sanam, piam, vtilem, & ab omni Idololatriæ vitio immunem hæcenus fuisse, multa satis testimonia comprobant. Sic Decretum septimæ Synodi loquitur. Venerabiles Imagines Christiani non Deos appellant, neque seruiunt eis vt Diis, neque spem salutis ponunt in eis, neque ab eis sperant futurum iudicium: sed ad memoriam & recordationem primitiuorum venerantur eas. Et quia non omnes literas norunt (ait Damascenus) Patres nostri consenserunt, veluti quædam trophæa, hæc in imaginibus præsentare, ad promptam memoriam. Siquidem ob negligentiam frequenter cogitatione non tenentes passionem Christi, Imaginæ transfixionis Christi

Augusti.
contra
Faustum.

Decretum
Synodi
septimæ.

Damascenus.

viden-

videntes, in Saluatoris passionis memoriam redimus: & procedentes, adoramus non materiam, sed Imaginem re-
 præsentatum, Vt neque materiam, ex qua scriptum est Euangelium, sic neque crucis materiam adoramus: seu quod typo figuræ exprimitur. Similiter & sanctorum fortia facta (quæ per Imagines addiscimus) præparant nos ad fortitudinem & zelum, & imitationem virtutis illorum. Nec alium Imaginum vsum vsquam in Ecclesia aut obseruatum aut traditum à Patribus inuenies.

Vtilitas
Imaginū
ex Damas
ceno.

De veneratione Reliquiarum.

Reliquias etiam Sanctorum iam inde ab initio per totum orbem, Christiani religiosa pietate coluerunt, corpora eorum, velut olim promptuaria multiformis gratiæ Dei, & verissima membra Christi, & pura Spiritus sancti domicilia, syncerissimo affectu cum summa veneratione complectentes: non ignari verborum Domini per Spiritum sanctum, designantis corpora Sanctorum suorum, eaque in gratissima sibi habitacula consecratis. Inhabitabo in eis, & inambulabo inter illos, & ero illorum Deus. Et hæc consuetudo venerandi Reliquias, magnam vtique venerantibus vtilitatem confert. Nam in Reliquiis Sanctorum adhuc sanguinolentia notata, & vulnere pro fide Christi tolerantium vestigia cernentes, in fide Christi mirum in modum confirmantur: hinc reputantes, non esse inanem spem fidei nostræ, pro qua omnia dura pati tot Martyres in animum sibi induxerunt, quorum victrice fide, & constanti fortitudine admoniti, ipsi quoque ad similem pro fide Christi tolerantiam animantur.

In veneratione
Reliquiarum, quæ
vtilitas.

Et quoniam non pia quadam delectatione caperetur, & sancta voluptate perfunderetur fidelis animus, hos cineres atque hæc ossa conspiciens, quibus olim Spiritus sanctus, vt puro habitaculo suo, delectatus est, in quibus illam fidem & religionem excellenter viguisse recordatur, in qua ipse spes suas omnes habet repositas?

Seculi

Seculi hominibus permittitur in delitiis habere aut Imagines aut alias res eorum, quos in vita amauerunt, aut quorum imitatione sibi placent. Sic Alexander Magnus, Achillis Imagine delatbatur, & res gestas eius frequenter lectitabat, quibus ad bellicam virtutem incitabatur. Et cur non homines Christiani Sanctorum Reliquias veneremur, & ad sanctam imitationem propositas, frequenter contemplerur, ad excitandam & fulciendam fidem nostram. Vt quemadmodum per fidem ipsi regna vicerunt, & mundum sibi subiecerunt: sic nos per eandem fidem, de prosperis & aduersis huius seculi triumphare contendamus, eodem nos roborante & adiuuante, qui fidei suae virtute, ante nos, in tot Sanctorum milibus vicit.

Et hoc vel in primis Sanctorum Reliquias fidelibus populis & venerabiles & preciosas reddidit, quod viderunt ad memorias Sanctorum, virtute diuina, Dæmones ab obsessis corporibus pelli, mortuos suscitari, & in diuersis morborum generibus sanitates conferri, Deo per miracula Sanctorum fidem Christi confirmante, pro qua illi sanguinem sub Tyrannorum manibus fuderunt, aut diuturniore Martyrio in animo certauerunt: omnem propter fidem Christi, voluptatem seculi abdicantes, & in melotis circumeuntcs, & in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti, quibus mundus non erat dignus.

Heb. 11.

De peregrinationibus, religionis causa susceptis.

In eia veteris Ecclesiae consuetudo emanauit, vt ad templa memoriis Martyrum dedicata, saepe etiam per longiora itinera commearent, vt ex ipsorum locorum admonitione, ad imitandam Sanctorum virtutem, vehementiore affectu excitarentur: & vt maiore deuotione se meritis Sanctorum sociari, & precibus eorum adiuuari postulerent. Deinde, quod apud ipsas Sanctorum Reliquias, ab omni corporis & animae molestia se Domini

pictate

pietate leuari posse, considerent. Cum enim Dominum olim è dura rupe potum corporibus humanis salutarem produxisse meminissent, non vanè credebant, cum quoque de Sanctorum ossibus, vt purissimis inhabitantis diuinæ virtutis domiciliis, medicinam pellendis ægritudinibus efficacem dare posse & velle: præsertim fide & deuotione ægotantium diuinam virtutem proliciente, & Dei misericordiâ iateruentu Martyrum, fideliter postulâre. Salutares nobis fontes Dominator Christus præbuit (ait Damascenus) Sanctorum Reliquias multis modis beneficiis scaturientes. Ossa enim Sanctorum (Chrisostomus inquit) hanc habent potestatem, Dæmones sistunt & torquent, & victos ab illis soluunt sæuissimis vinculis. Et cinis, & ossa, & fauilla, inuisibiles illas potestates dilaniât. Et vis dona Dei agnoscere? Vestimenta Pauli Dæmonibus terrori erant. Itaque talem Reliquiarum venerationem, & hoc proposito susceptas ad memorias ipsorum peregrinationes, & factas ibi sanitates, nemo irriserit: nisi qui fidei efficaciam, & Dei virtutem, aut ignorat aut contemnit. Monendi tamen sunt homines, vt in vsu Reliquiarum non tam miracula Sanctorum admirari, quàm fidem & virtutem illorum imitari consuescant. Sanctorum corpora (inquit Augustinus) & præcipuè Beatorum Martyrum Reliquias, ac si Christi membra, syncretissimè honoranda, & Basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca sancta diuino cultui mancipata, affectu purissimo & deuotione fidelissima adeundas credimus. Si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus, sed Eunomianus, & Vigilantianus, creditur.

Chrysof.

de Eccle. 37. 37. 37.

Veteris tamen Ecclesiae in obseruatione Reliquiarum prudens & pia moderatio retinenda est, qua non nisi certas & probatas Reliquias haberi concessit. Nouas verò inuenire & colere, aut omnino vllas Reliquias venales haberi, aut ad quæstum proponi, prorsus vetuit.

de Reliquis ven. Sæc. 1. 2.

M De

De veneratione Sanctorum.

Hic etiam de honore, qui Sanctis impenditur, inuestigandum, intra quos fines contineri debeat, ne ad ignominiam Dei redundet, & Idololatriæ nos reos faciat. Honor ergo Sanctorum in Ecclesiis magno consensu receptus,

& perseveranti deuotione retentus est: sed talis, qui infra diuinum honorem, & vni Deo debitum cultum longè subsisteret, & qui gloriam Dei (quam se alteri daturum negauit) nequaquam obscuraret. Deum enim vnum adoramus in Ecclesia Christi: Deum vnum votis placamus: Vni Deo supplicamus, velut omnis boni & totius salutis & felicitatis vnico auctori, ex quo, ceu omnis boni fonte, quicquid vsquam auxiliij, quicquid est boni & perfecti muneris in nos dimanat. Sanctos verò eo societatis & dilectionis cultu colimus, quo in hac vita coluntur sancti homines. Eò tamen maiore deuotione Sanctos iam corpore exutos, & ad illam patriam (in qua tuta est, & sine defectionis metu permansura felicitas) receptos, veneramus, quò securiùs laudari potest virtus eius, quem post victoriã iam coronatũ: quàm eius, quem adhuc sub incerto euentu in stadio pugnãtem, videmus. Sic honoramus Sanctos Martyres, vt eũ, cuius sunt Martyres, adoremus. Sic alios Christi seruos honoramus, vt in Dominum eorum redundet honos, qui dixit. *Qui vos suscipit, me suscipit: & qui vos spernit, me spernit.*

Honorem verò Latriæ (quæ est propriè diuinitati debita seruitus) nec Sanctis deferimus, nec delatum ipsi suscipiunt: sed à se, tanquàm vni Deo debitum, reiciunt. Adorationem repulit Angelus in Apocalypsi, dicens adoratori suo. Vide ne feceris: conseruus tuus sum, & fratrum tuorum, habetium testimonium Iesu. Deum adora. Oblationes sibi fieri, confiscis vestibus Apostoli indignabundi prohibuerunt. Viri quid hæc facitis. Et nos mortales sumus, similes vobis homines. Sed ne hoc qui-

dem homines de se suspicari permittebant Apostoli, eum in nomine Iesu sanitates operabantur, quasi ipsi sua virtute hoc præstarent: sed docebant eos, Deum tanquàm omnis salutis & sanitatis auctorem agnoscere, & in eum solum, velut potètem auxiliatorem, & vnicum in tribulatione adiutorem, sperare: ipsos autem Apostolos nihil aliud, quàm diuinæ virtutis & operationis organa, æstimare. Viri Israëlità (inquit Petrus) quid admiramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus Patrum nostrum, glorificauit Filium suum Iesum. Et in fide nominis eius, hunc quem vos vidistis & nostis, confirmauit nomen eius: & fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. Hi loci nos admonent, quatenus Sanctorum cultus extendi debeat, ne in Dei iniuriam incurrat, & gloriam vni Deo debitam obfuscet.

Cæterum cultum Sanctorum retineri in Ecclesiis, & memoriam eorum reuerenter coli, ob multas causas expedit: Vel, vt Dei magnalia in illis prædicemus, & virtutem Dei admiremur, qua illi, cum nostri similes & esse imbecilles essent, tales euaserunt: Vel, vt misericordiam Dei agnoscamus, & firma spe adimpleamur: videntes, Dei promissionem, de saluandis hominibus, iam in fratribus nostris adimpletam: Vel, vt retundatur Diaboli impudentia, qui animas seductorum falsam peccati excusationem insinuat, per hæreticos persuadens. Virtutem esse difficilem, & hominem in tanta imbecillitate non posse non peccare. Cuius mendacium tot Sanctorum exempla coarguunt, qui pietatem coluerunt, & mundum cum desideriis suis calcauerunt. Non ipsi quidem per se fortes & victores, sed virtute Dei roborati, & adiuti Spiritu Dei, quem credentes acceperunt: ad cuius opem si nos quoque confugerimus, eam vitæ sanctitatem, virtutem, & sinceritatem, quam in sanctis admiramus, nos etiam præstabimus, eodem nos confortante & robore, in quo illi omnia potuerunt.

Act. 3.

Vilitas venerationis Sanctorum.

Exempla Sanctorum nos animant ad virtutes capeffendas, ex deo terrent & vitius.

Esa. 42.

Iacob. 1.

Augusti. contra Faustum. lib. 20. cap. 21. Hiero. contra Vigilant. Luc. 10.

Apoc. 19. 22.

Act. 14.

Chrysof. Atque hæc colendi Sanctos causa præcipua, & valde utilis est, vt memoriam eorum recolentes, ad imitandam fidem eorum, cæterasque virtutes incitemur, vt dum Sanctorum merita admiramur, mirabiles ipsi vitæ sanctitate euadere studeamus: Nā & nos fieri possumus quod sunt, si per gratiam Dei fecerimus, quod ipsi fecerunt. Ad hos vsus Sanctorum exempla copioso numero in scripturis proponuntur, Eccle. 4 4. Heb. 11.

Nemo itaque Sanctorum cultum pellere ex Ecclesiis, aut memoriam eorum impedire, conatur, nisi qui aut in homines inuidus, aut in Sanctos impiè superbus, existit. Nam cur Sanctorum exempla, ad excitandam pietatem tam apta, tam efficacia, relinquamus? Aut cur non honorem corporis nostri (quo cum Christo compingimur) sanctissima & nobilissima membra: eos, qui iam omnem infirmitatem, & quicquid vllius mali metum aut suspitionem habet, forsus exuerunt. Quorum virtus in tuto, sine defectiois ampliori periculo, collocata est. Quos Deus Pater, vt charissimos filios: Christus, vt fratres & coheredes: Spiritus sanctus, vt purissima & gratissima Domicilia sua, libenter agnoscit. Quos Christus coram Patre & Angelis cõfiteatur, laudat & honorat: quoniã ipsi in terris eum confiteri, laudare, & honorare, non erubuerunt. Qui me confessus fuerit (inquit) coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Et. Quicum que honorificauerit me, glorificabo eum.

Matt. 10. 1. Reg. 3.

De Sanctorum inuocatione.

Ed maior feruet contentio circa Sanctorum inuocationem, quam quidam vt illicitam, & parum piam, & cum quadam Christi iniuria coniunctam, abiciunt: quem vnicum inter Deum & homines esse mediatorem ex Apo-

1. Tim. 2 soli testimonio verè asseuerant. Catholica autem Ecclesia, mediatoris officium, quod vni Christo competere nunquam ignorauit, ab intercessionis officio, quod à

Sanctis

Sanctis postulat, aptè & debitè discernens, sic inuocatione Sanctorum vtitur, vt Christi gloriam in nullo lædat, aut obscuret. Nec honorem aut officium mediatoris, vni Christi debitum, ad Sanctos traducit. Siquidem scripturas Sanctas consideranti, & quærenti, quomodo, aut in quo se, homo Iesus Christus, inter Deum & homines mediatorem interposuerit, facilè apparet, ad tale mediatoris officium nullam creaturam idoneam esse posse.

Propter vnus hominis peccatum, sub iusta damnatione vniuersa eius hominis posteritas detinebatur. Eramus *Christus* & nos (inquit Apostolus) filij iræ, sicuti & cæteri. Huic *quod uel mediator dei* iræ Dei cum omnes homines obnoxij nascerentur propter *et hominum.* Originale peccatum, tantò grauius inde damnabantur, quantò ex corrupta natura, & ad peccandū prona, peccatis peccata magis accumulabant. Nec erat in hominibus, qui homines iuaret: quoniam omnes homines de vnus peccatoris stirpe propagati, eodem peccati debito tenebatur. Necessarius itaque erat mediator, hoc est, reconciliator, qui irā Dei, singularis sacrificij (cuius omnia legis sacrificia umbra fuerant) oblatione placaret. Hic vnus Dei Filius, vt perditos homines iuaret, cum Deus esset, carnem sibi induit, infirmitatibus nostris per omnia obnoxiam, expertè tamen peccati: quoniam eam sine viri admixtione de castissimis intemeratæ Virginis visceribus assumpsit. Et in eadem carne seipsum *Heb. 2.* in ara crucis, propter generis humani peccata Deo Patri obtulit, cuius purissimæ & preciosissimæ hostiæ nidore placatus, Pater cœlestis iram remisit, & mundum prius peccatis immersum, impurum, & iniustum, nunc Filij sui precioso sanguine ablutum & iustificatum, sibi reconciliauit. Quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum *1. Cor. 5.* sibi reconcilians.

Vnus itaque redemptionis nostræ mediator est, vnus salutis nostræ opifex, vnus reconciliator inter Deum & homines, homo Iesus Christus. Qui, quo aptior mediator esset inter Deum & homines, seruans Deitatem, quam habebat, mortalitatem assumpsit, quam non habebat, vt

M iij haberet

haberet aliquid vtrique Deo & homini simile, ne solus Deus existens, longè esset ab hominibus: aut solus homo longè esset à Deo, ideoque mediator non esset. Diuinam autem sublimitatè suam vsque ad humilitatem humanam demisit, vt humilitatem humanam vsque ad sublimitatem diuinam eueheret, apprensus iustus cum Deo, & mortalis cum hominibus: peccata nostra in corpore suo tulit, & pœnam, peccatis nostris debitam, ipse pertulit & dissoluit: & sanguinem suum pro nobis fundens, deleuit, quod contra nos erat chirographum. Hic vnus innocentissimæ mortis merito, viam (quam peccata nostra occluserant) patefecit nobis ad thronum gratiæ Dei, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno.

Esa. 53.

1. Pet. 2.

Col. 2.

Heb. 4.

Ephe. 2.

Ioan. 3.

Et hi quoque, qui hodie nascuntur, de præuaricatoris Adæ progenie venientes, culpam Originalis peccati secum trahunt, & iræ Dei sunt obnoxij, & non nisi in fide, & sanguine mediatoris Iesu Christi, cum Deo reconciliari possunt. Qui enim non credit (ait Christus) non habet vitam æternam: sed ira Dei manet super eum. Non dicit. Ira Dei venit super non credentem, sed manebit. Quippe cum hac omnis homo nascitur, quæ manet super natum, & damnationis reum facit, donec fide & sanguine mediatoris liberetur ab ira. Tale reconciliationis & mediationis officium, soli Christo peculiare esse nunquam ignorauit Ecclesia Catholica, nec in vlla vnquam creatura redemptionis fiduciam collocauit, aut per vllam creaturam reconciliari Deo, sine mediatore Christo, tentauit.

Quid à Sanctis petatur.

Sed dum Sanctos inuocat Ecclesia, non redemptionis, sed intercessionis officium ab eis flagitat. Non hoc petimus, vt Sancti salutem virtute sua nobis largiantur: sed vt orationibus suis apud Deum nos adiuuent, & opem nobis diuinam impetrent. Nec viam ad Deum extra Christum quærimus, quando per Sanctos, velut verissima Christi membra, comendari Deo postulamus. Imò dum Sanctos nobis comprecatores & intercessores in orationibus

adiun-

adiungimus, tum verò vehemementer in Christi nomine petimus. Siquidem non ob aliam fiduciam, ad Sanctorum orationes confugimus, quàm quòd eos ob fidem & religionem Christi (quam synceriter coluerunt) apud Deum magni meriti esse, & multam beneuolentiam obtinere, non dubitamus. Spes meriti Christi est, quæ ad Sanctorum preces expetendas nos trahit: neque enim ob aliud orationibus Sanctorum nos iuari posse confidimus, nisi quòd in solo Christi nomine (cuius amici sunt Sancti) orationem nostram Deo gratam & exaudibilem, & solo Christi respectu nos ab omnibus malis liberandos, & bonis omnibus cumulandos, esse scimus.

Non desciscit à mediatore Christo, qui ob hoc ipsum Sanctos obseruandos censet: quia membra sunt Christi. Et nequaquam fiduciam in Christum abiicit, qui ob hoc ipsum precibus Sanctorum se iuari posse confidit, quòd eos Deus diligat, quoniam ipsi Christum dilexerunt & crediderunt: quoniam à Deo exiuit.

Ioan. 14.

Iam si qui contendunt, Quoniam vnus est mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus, ideo Sanctorum intercessionem velut inanem & superuacaneam excludi: decipiuntur miseri, inuidia cæcati, non videntes, eadem ratione etiam viuorum pro inuicem intercessionem tolli, quam tamen (quantumuis sint audaces & impij) negare non audent. Siquidem cum dicunt, Vnus est mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus: cur ergo mediatores vobis asciscitis Sanctos: totidem verbis regeritur. Vnus est mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus: cur ergo mediatores vobis asciscitis homines? Si vos dum homines vobis comprecatores adiungitis, ob id tamen à Christo mediatore non receditis: eadem ratione nec Ecclesia, Sanctos sibi comprecatores adiungens, ob id à Christo mediatore desciscit. Siquidem Ecclesia non redemptionis mediatores Sanctos facit, sed qua ratione viuorum precibus mutuo se iuari expetunt, eadè ratione Ecclesia ad orationes Sanctorum confugit: non vt Sancti nos sua virtute iuuent, sed vt Deum pro

M iij nobis

nobis rogent & implorent. Non fiduciam in Sanctis ponimus, nec Sanctis nostram salutem committimus: sed à Deo auxilium per Sanctorum intercessionem ambientes, rogamus, vt Sanctorum meritis & precibus in omnibus diuinæ protectionis muniamur auxilio, per Christum Dominum nostrum.

Itaque non recedit à mediatore Christo, nec statim intercessionem Christi aspernatur & negligit, qui aliorum (siue Sanctorum iam corpore exutorum, siue piorum hominum adhuc in carne viuentium) precibus se apud Deum adiuuari postulat. Paulus Sanctorum adhuc viuentium orationibus se enixè commendans, à Christo mediatore nullo modo desciuisse putandus est, dum ait. Obsecro vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum. Et. Speramus in Deo, quoniam adhuc me eripiet, adiuuantibus vobis in oratione pro nobis: vt ex multarum personis facierum, eius quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis. Et mutuæ orationis officium (quod dispensandæ charitatis aptam mensuram habet) Spiritus sanctus per Apostolum Christi nobis insinuauit. Orate pro inuicem, vt saluemini. Et similibus testimoniis omnes scripturarum sanctarum paginæ replentur, quæ alios aliorum orationibus per sæpe subleuatos indicant.

Contra Vigilant. Hanc verò quorundam delirationem, insanix proximam, & impudentiæ plenam, ante annos mille potenti spiritu Diuus Hieronymus confutauit, dicentium, mutuæ orationis commercium inter solos superstites prodesse. *Sancti viuunt.* Dum viuimus (inquiunt) pro inuicem orare possumus. Recte quidem: Sed Sanctos viuere negare, demens est blasphemiam, cum etiam corpore mortui, tamen spiritu viuant. *Matt. 22* Deus non est mortuorum Deus, sed viuorum. An ideo minus viuunt, quia vitam viuunt, nulla amplius morte arumpendam? aut quia quod morti est obnoxium, semel exuerunt? An nostra miseria, quam viuimus, præ illorum beatitudine vita est dicenda, quæ à calamitatibus nul-

lo momento vacat, & quæ sub incertæ mortis rætu anxia, finem suum ad omnem oculi ictum expectat? vt nos ipsos inter viuos superbè efferamus, & ob id orationes nostras reputemus dignas, quæ pro aliis exaudiantur: Sanctos verò iam exutos corpore, velut mortuos, ab orationis consortio secludamus.

Aut magnæ imbecillitatis & indignitatis est, pro alio orantem exaudiri (& sic tutius nos non piorum, sed iniquissimorum & improbissimorum hominum orationibus commendaremus) aut certè virtutis & probitatis est indicium, & preces eius apud Deum efficacissimæ sunt, & pro aliis facilius exaudiuntur, vt quisque fidei puritate & sinceritate vitæ Deo gratissimus existit: sicut semper iustorum orationes pro aliis fuisse efficaces, legimus. Et nos, qui toti in malo sumus positi orationes nostras Sanctorum orationibus audemus anteferre? An te, omnibus vitiis impurum, audiat Deus pro aliis deprecantem: Sanctos ob omni criminum sorde depuratos, auersetur? An putamus Sanctos iam apud Deum meriti & gratiæ minoris esse, quàm fuerunt, dum adhuc vitam istam viuerent, multis infirmitatibus subiacentem, & si ab omni crimine, certè non ab omni prorsus peccato liberam & immunem? Ad Pauli preces, dum adhuc corporis infirmitate circumdatus oraret, Deus ducentas septuaginta sex animas in naui seruabat: nunc idem cum Christo viuens gloriosus, intercessione sua neminem seruare, aut quicquam opis cuiquam adferre posse, putandus est? Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti (ait Hieronymus) possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti: quanto magis post coronas & victorias & Triumphos?

Et qui in corpore constituti, cum ipsi adhuc variis necessitatibus exercerentur, omnium tamen curam in se suscipiebant, omnium necessitatibus inservire cupiebant cum infirmis infirmabantur: satagebant, orabant pro omnibus, eorum charitas in alia vita nequaquam imminuta aut debilitata esse censenda est. Et nunc de se securi nequaquam

num, si scipos inter viuos: Sanctos inter mortuos, reputent.

Ve quisque iustior est, sic pro aliis orans. citius exauditur.

Act. 27

Heb. 11. quaquàm nostram curam abiiciunt, sed salutem nostram, vt eiusdem corporis membra, & sine nobis non consummandi auidè expetunt, & solliciti promouent.

Sanctorū sollicitudo Qualem in Sanctis, iam in alia vita constitutis, affectum erga superstites & adhuc in terra degentes, remanere sacræ literæ non dissimulant, 2. Mach. 15. Vidit Iudas Oniam, manus ad Deum protendentem, & orantem pro populo. Deinde alium senem, de quo audiebat. Hic est fratrum amator, & populi Israël: hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa ciuitate sancta Hieremias Propheta Dei. Et Zach. 1. Angelus orasse legitur pro ciuitate Hierusalem. Et Baruch. 3. scriptum est. Domine Deus, audi nunc orationem mortuorum Israël.

Luc. 15. Angeli, qui conditionis nostræ nunquàm fuerunt, tamen de nobis solliciti, malis nostris dolent, & salute nostra lætantur. Sanctissimi Martyres, qui nostras miseras in seipsis experti sunt: quippe, qui nobiscum eiusdem naturæ fuerunt, quomodo calamitates nostras non miserarentur?.

Aut qui olim ignea succensi charitate, pro incolumitate Ecclesiæ corpus ad tormenta offerre, & variis mortibus subiicere, non dubitarunt: quomodo nunc nostri curam penitus relinquerent?

Sancti an sciāt quæ hic aguntur? Neque hoc timendum est, ne fortè Sancti, velut absentes, de rebus nostris ignorent, aut suffragia sua postulantes, non audiant. Possunt enim ea, quæ Deus eos scire vult, aut Angelis, qui rebus nostris interfunt, denuntiantibus, aut Spiritu Dei reuelante, cognoscere, aut certè alia via rescire, quam ad id idoneam delegit, cui subiecta sunt vniuersa.

Nec est absurdum, credere ipsos defunctorum Spiritus rebus viuentium interesse posse, per diuinam potentiam, quod exemplo Helix & Moyfi patet. Et quis diuinæ potentix leges ponere audeat? aut Sanctorum Spiritus, ne rebus

rebus nostris interfunt, cohibebitur: cum Dominus dixerit. Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Et de spiritibus Sanctorum scriptura asseuerat. Sequuntur agnum quocumque ierit. Cum ergo Dominus per omnia infusus, nusquàm non addit: vtique & ministri, secundum voluntatem Domini, & operationem virtutis eius, vbique aderunt. Et si agnus vbique: ergo & hi, qui cum semper sequuntur, vbique esse credendi sunt. Aut cur de Sanctorum Spiritibus mirum & incredibile videatur, quod in Dæmonibus creditur, qui per totum orbem diuagantur, & nimia celeritate vbique præsentibus sunt.

Apoc. 15.
Hieron.

Conuersionem peccatoris non solus Deus, sed volente & disponente Deo, tota cœli familia agnoscit: quomodo orationes nostras, eodem Deo volente & disponente, non audiret & sciret cœlestis illa familia?

Luc. 15.

His rationibus subnixus est totius Ecclesiæ vniuersalis, de Sanctis inuocandis, & petenda eorum intercessionem, consensus. Qui etiam sine vllis rationibus, aduersus hæreticorum noxias nouitates, sufficere, & maximæ ac solidæ authoritatis esse debeat, ne quis Sanctorum intercessionem ad hæreticorum sugillationem putaret damnandam, & abiiciendam: quam vt piam & vtilem, tota per orbem Christi Ecclesia vnanimi consensu semper & passim docuit, tenuit, & approbavit.

Iam quòd quidam Sanctos interpellant, non solum vt orent pro eis, sed vt adiuuent eos, opem ferant: ne hoc quidem intolerabile & impium iudicari debet, si desit superstitiosus affectus, & impius sensus. Hac enim loquendi forma, ne sanctissimi quidem, & fidelissimi, & doctissimi homines, in Ecclesia abstinerunt. Gregorius Nazianzenus ad Basil. in Monodia. Tu mihi in te speranti, hanc gratiam redde. Tu obiter è cœlo nos respice, & datam mihi renem debilitatem, & articulorum dolorem, vel iube discedere, vel adiuua: & hortare me, æquo animo ferre &c. Et scriptura quoque non veretur operationes, quas in Sanctis diuina virtus effecit, quadam

Cum à Sanctis petimus, vt nos iuuet quo sensu accipendum.

dam loquendi forma ipsis Sanctis tribuere, de Helifro ait. In vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est. Et de Paulo, cum intrasset ad Publij patrem, febribus & dysenteria laborantem, saluauit eum, inquit. Sed in talibus sana & Catholica doctrina auxilium, quod à Sanctis petitur, aut per ipsos præstari asseritur, pro intercessione accipit, cum non sit dubium, Deum vnum & solum esse auxiliatorem, & adiutorè nostrum, qui de suæ bonitatis & miseracionis thesauro, omnia boni solus largitur. Sancti verò per solam nos iuuant intercessionem, sola auxiliantur oratione. Non ipsi virtute sua largiuntur, sed à Deo nobis opem impetrant.

Et quemadmodum, de miraculis Sanctorum, quæ adhuc in corporibus constituti gesserunt, dicimus Petrū A Enæ paralytico membrorum vsum restituisse, & Tabitham ad preces viduarum suscitasse, & claudum crexisse. Paulum à febribus Publij patrem saluasse: nemo tamen sic intelligit quasi propria virtute, aut pietate, & non potius in verbo Domini & orationum suffragio, hæc effecerint. Sic cum ab iis iam corpore solutis petitur, vt faciant, quod in terris degentes facere consueuerunt, videlicet, vt morbis medeantur, & necessitatibus viuentium subueniant: non utiq; is affectus est in animis petentium, quasi Sancti sua virtute & propria potestate talia ipsis beneficia præstare aut possint aut debeant, sed vt à Deo sanitatem, cæteraq; beneficia, hominibus salutaria, impetrent: quia in carne viuentes, nihil non virtute fidei, & orationum suarum suffragio, impetrabāt. Talem autem Sanctorum interpellationem, nec impiam esse, nec inanem, tot consecuta miracula comprobauerunt.

Et quid tale commississent Sancti, cur Deus nunc eos, vt operationum suarum organa, fastidiret, per quos adhuc carnis infirmitate circumdatos, potentia suæ opera libenter & crebrò edebat

Aut quid perdidissent, cur nunc ciues cæli & domestici omnipotentis Dei, & Angelorum consortes effecti, post coronas

coronas, victorias, & triumphos, non idem valerent apud Deum, quod in corpore valuerunt!

Sic itaq; secundum sanam doctrinam, Sanctorum inuocatione vitur Catholica Ecclesia, vt admoncat homines, vnum Deum & solum adorare, in eum solum omnem collocare fiduciam, & ad eum, velut omnis boni authorem & largitorem, preces porrigere. Sanctos verò, vt amicos Dei & (propter fidem Christi, quam synceriter coluerūt) iam multi apud Deum fauoris & meriti, intercessores & comprecatores adiungere, vt adunatis in vnum multorum precibus, quasi impetu factò, apud Deum, cui vis hæc grata est, faciliùs impetretur. Nec sic intepellandos esse Sanctos, vt interim nos desides facti, ab oratione cessemus: sed vt vna cum illis oremus Deum, qui nò tam alios pro nobis rogantes, quàm nos ipsos exaudire paratus est.

Tertul.

Chrysof.

EGO ENIM SVM DOMINVS DEVS tuus, Deus fortis, & zelotes: visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, his qui oderunt me, & faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, & seruantibus præcepta mea.

Anc comminationem Deus primo præcepto vclut excellenti, & omnium maxime H Eximio, adtexuit: cum nullum peccatum sit Idolatria grauius: nec sit opus aliud preciosius aut melius, quàm de Deo rectè sentire, debitam in Deum fidem, dilectionem, & honorem conferuare.

Debet tamen homo circa singula præcepta in memoriam sibi redigere, hanc denunciationem Domini, qua se omnis transgressionis seuerum vindicem, & ius, qui mandatis eius obediunt, benignum remuneratorem pollicetur: ne quis impunitatem sibi promittat, si contra Dei mandata

Spes præmi, & metus: pœna, homines ad re- & faciendum im- pellunt. mandata deliquerit: aut boni operis desperet mercedem, si iubenti Domino obtemperauerit. Vtrunq; enim homines, ad peccandum procliuēs, & pigros ad bene operandum facit, & contemptum & præuāricationem legibus inducit, si aut præuāricantes pœnam, aut obediētes præmia, non sentiunt.

Cū autem non sit amor ardentior, aut societas inter homines perfectior & coniunctior, quā coniugum inter se: Deus, vt ostendat, quā nos impensē diligit, seq; vicissim à nobis diligi & obseruari postulet, crebrō in scripturis sanctis, sponso se aut marito, populum suum sponsæ aut vxori, dilectionem, fidem, & obedientiam: qua homines Deo astringuntur, amoris & fidei coniugali comparat, peccatum appellans fornicationem: animam autem præuāricantem, adulteram aut meretricem vocans. Hæc. 1. Hierc. 3. Ofc. 1. 2. 4. Ezech. 1. 3. 11. 2. Cor. 1. Hic se fortem & zelotem appellat, ne quis Deo aut vires aut voluntatem, ad puniendā hominum delicta, deesse existimet.

Vir Zelotypus, quantō ardentius in vxorem suam deperit, tantō grauius eius delictis commouetur & irascitur. Quod si illa maritum suū minus curās, post aliū virū cor suum inclinauerit, si alienum blandius intueatur, si præ illo alium laudauerit, aut obserauerit: tum verō vritur animo maritus, & dolore cordis non comprimens, vindictam accelerat. Sic Deus Zelotes sustinere non valet, si fiduciam, si dilectionem, si cultum vni vero Deo debitum ad Idola, aut quascunq; creaturas, trastrulerimus. Se vnum à nobis diligi & coli vult, qui vnus nos fecit: in se vnum fiduciam nostram reponi, qui vnus omnis boni dator & author est.

Et quō magis à cōtemptu sui, & mandatorum eius neglectu, animos nostros seueritate pœnarū auocaret, addit VISITANS iniquitatem patrum in filiis, vsq; in tertiam & quartam generationem, his qui oderunt me. Vbi eos tantūmodo filios patrum delicta luituros designat, qui paternæ malitiæ imitatores, & similis in Deum odij & contemptus

contemptus confortes, esse perrexerint. Alioqui non est iniustus Deus, vt peccatum patris supplicio innocentis filij punire sustineat. Non portabit (ait Dominus) iniquitatem patris filius: nec pater iniquitatem filij portabit. Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur: iustitia iusti super eum erit, & impietas Impij super eum. *Exec. 18.*

Iustus quidem Deus, & in pœnas delinquentium seuerus vindex: multo tamen prior ad reddendam misericordiam, & abundantem mercedem his, qui diligunt illum, & mandata eius custodiunt. Quippe iniquitates patrum in filiis vlciscitur, persequens vsq; in generationem tertiam & quartam: sic tamen, si per vestigia parentum incedentes filij, iustam Dei iram propriis etiam flagitiis contra se concitauerint. Quod si ab iniusti patris imitatione defleatens filius, timuerit Deum, & iustitiam fecerit, nequaquam paternæ præuāricationis pœnam sustinebit: sed recti operis sui mercedem à iusto iudice recipiet, Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit Deum, & non fecerit simile eis &c. *Exech. 18.*

Misericordiam autem suam in his, qui diligunt eum, in multa milia protendit, ob merita parentum, non solum iis filiis, qui paternam virtutem æmulantur: verum etiam prauis & degeneribus benefaciens, & delinquentibus. *Psal. 38.* pæsepe patrum respectu, propitiatur & ignoscit. Si dereliquerint filij eius legem meā, & in iustitiis meis nō ambulauerint. Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Et. Protégam ciuitatem istam, vt saluem eam propter me, & propter Dauid seruum meum. Hæc reputantes ad promptiorem Dei seruitutem, incitari debemus: memores, nobis, si contra Deum peccauerimus, seueram vindictam: aut, si morigeros nos illi filios exhibuerimus, liberalem remunerationem apud ipsum esse repositam. *Isa. 37.*

PRÆCEPTVM II.

NON ASSVMES NOMEN DOMINI

Dei tui in vanum; nec enim habebit infontem Dominus eum, qui assumserit nomen Domini Dei sui frustra.

Ria sunt præcepta primæ tabulæ, quæ Latrarium, id est, seruitutē, & cultum vni Deo debitum, docent, sed diuersis rationibus. Primum enim cor nostrum ad Dei cultum erudit, commonstrans, quid sentire de Deo, &

T

Verus dei cultus, affectu cordis, & conscientiam, requirit. Rom. 10. quid ab illo sperare, debeamus. Secundum instruit linguam, vt propinquam cordis interpretem: docens nos, quod de Deo verè credimus corde, vt idem reuerèter ore proferamus. In his enim duobus, verus Dei cultus expletur & perficitur, affectu cordis, & linguæ confessione: nec est plenus honos, nec gratus Deo, si in altero deficiat. Corde (inquit Apostolus) creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

Mat. 10.
Luc. 12.

Qui corde verè credens Deum, tamen, aut illectus blandimentis hominum: aut minis absteritus, Deum ore confiteri erubescit, velut Dei desertor abiicitur. Qui ne erubuerit & sermones meos, hunc Filius hominis erubescit, cum venerit in Maiestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum.

Es. 4. 29.
Mat. 7.

Rursus, qui plenā Dei laudem labiis sonuerit, affectum cordis habens Dei immemorem, aut à veri Dei cultu & dilectione alienū, huius vana est religio. Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me, frustra me colunt. Et. Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum &c.

Tunc verò Deus à nobis perfectè cõlitur, cum in eius laude, & affectus cordis, & oris confessio, consentiunt.

Hoc

Hoc præcepto Deus sancti nominis sui abusus prohibens, simul verū eius vsum & honorificum à nobis exigit. NON ASSVMES (inquit) *nomen Dei tui in vanum*, Id est, non adhibebis ad quemcunq; vsum nomen Dei vanè, aut leuiter, aut ridiculè, aut fraudulenter: sed reuenter tantum, & honorificè vsurpabis.

Vanè assumitur nomen Dei, cum frustra adhibetur: ita vt nullum inde redundet commodum vel in facientem, vel in eum, propter quem fit, immò potius vterq; inde aut alteruter damno afficiantur. Sic delinquent, qui in rebus leuissimis Dei nomen admiscentes, per talem vsum tremendi nominis Dei Maiestatem euilescere faciunt.

Expedit quidem, in ore fidelium crebrum esse nomen Dei, iuxta præceptum Apostoli iubentis, vt quæcum que facimus, in nomine Dei faciamus, si tales essent sermones nostri, quales Sanctorum esse debent, sancta seueritate cõditi, & puri ab omni turpiloquio & scurrilitate. Nunc de rebus vanissimis, nonnunquam etiam turpissimis garrientes, nomen Dei admiscemus in qualibus sermonibus nomen suum coinquinari, ne homo quidem paulo seuerior æquo animo sustineret. 1. Cor. 10

Et magis delinquent hi, qui de Deo rebusq; diuinis per iocum temerè & scurriliter loquuntur, & sanctæ religionis nostræ seria, ad iocos viles & plærunq; imptos detorqueunt.

Cum autem prohibeat Deus, vanè, & nulla subsistente causa, assumi nomen suum, ne inani vsurpatione Maiestas eius euilescat: quanto grauius peccatum existimandum est, si quando ad iniuriā Dei aut proximi, nomē Dei assumitur? Grauiusimum itaq; crimen est blasphemiae, quæ sanī homines, Deum viuentem, velut hominem mortalem, conuitiis incescere, aut gloriæ eius voce sacrilega detrudere, aut Maiestati eius & potenti irridere, nõ venter: quales blasphemiae leguntur Leuit. 24. 1. Reg. 17. 4. Reg. 17. Luc. 22.

Blasphemia.

N

Blasphemia

Blasphemi sunt, qui Sacramenta Christi impiis vocibus irridentes, contemnerant, quædam ordine mouent & abiciunt, aliorum vsum pro sua libidine inuertunt.

Et qui Ecclesiam Dei conturbant, & fideles & Orthodoxos in veritate Catholicæ doctrinæ, & recepto ac vero Sacramentorum vsu, persequerantes: affligunt.

Blasphemi sunt, qui verbum Dei adulterantes, multos in errorem mittunt, & animas simplicium, importunissima & vanissima verbi Domini iactantia, seducendo subuertunt & perdunt.

Immanis est blasphemia, cum sanctum nomen Dei, & virtus Dei, & salutatis Christi passio, & adoranda vulnera, & deuotus pro salute hominum sanguis eius, & reuerenda Christi Sacramenta, & si quid vnquam, providente & disponente misericorde Deo, ad salutem nostram efficacit fuit: ad execrationes & maledictiones assumitur. Cuius blasphemiam, Magistratus, & parentes, & patres familiaris, negligentia sua seruos faciunt, & pari cum facientibus culpæ se alligant: dum pro istis blasphemis in suis subditos non vindicant.

Qui hominis famam, in dignitate constituti, verbulo violat, læsæ Maiestatis reus acerbis suppliciis affligitur: summa Maiestas Dei, inter homines sine videri violatur.

Dan. 3. Nabuchodonosor Rex gentilis, circa tres pueros Dei potentiam, & beneficentiã videns, statim ad tantum Dei honorem asserendum, Imperij sui vires conuertendas existimans, edictum proposuit, Vt quæcūq; lingua cõtra Deum Israël blasphemiam prolucuta fuerit, dispereat, & domus eius vastetur. En sc̃uit Rex alienigena, ne blasphemetur Deus Israël, & lentè agunt Magistratus Christiani, cum Christus blasphematur, & tota salutis nostræ officina execrabilibus & sacrilegis vocibus exufflatur. O malignos seruos, qui proprium honorem de conferuis seuerè vindicant, honorem Domini sui (cuius gladium gestant, à quo

In negligentibus Magistratus.

& istam sublimitatè temporalem acceperunt, & æternam salutem sperant) negligunt.

Graviter delinquant in hoc præceptum, qui pro rebus leuibus, nulla cogente causa: sed perniciofa consuetudine ducti, aut etiam ex iracundia aut temulentia, per nomen Dei iurant.

Gravius peccant, qui, adhibito Dei nomine, deierant: hoc est, nimis serio, & sanctè, & vehementer iurant, imprecantes sibi mala, & se sub testimonio tremendi nominis Dei deuotentes.

Sed grauisimè omnium peccant, qui per Deum sanctum & verum iurant scienter falsum, vt sub nomine Dei (quod sciunt apud pios & probos homines in precio & reuerentia esse) dolos tegant, imposturas faciant, & de damno aliorum, quos diuini nominis reuerentia deceperunt, emolumentum suum faciant. Hi magna Dei offensam se onerant: suam enim contumeliam arbitratur Deus, cum per nomen ipsius proximus læditur. Et cum fraudis omnis vindex esse velit Dominus, duplici supplicio punit fraudem, quæ cum ignominia sui nominis necitur. Hanc diuini nominis violationem, excludere volens Christus, ab omni iuratione abstinere iussit suos. Ego (inquit) dico vobis omninò non iurare &c. Sit autem sermo vester, Est, Est, Non, Non: Quod autem his abundantius est, à malo est. Non quòd verum pro rebus necessariis & vtilibus, iurare per Dei nomen peccatum sit: sed quòd leuiter aut falso iurare, immane sit peccatum. A periurio autem homines se continere facilius possent, qui omnem profusum iurandi consuetudinem omitterent.

De non iurando.

Omnis iuratio ex malo.
 T certè omnis Iuratio, quantumuis vera, & quantumuis iusta, & vtili causa fiat, non tamen inter bona appetenda, sed inter necessaria ponenda est: Ideoq; inter perfectos & verè Christianos superflua est, quibus simplex negatio aut affirmatio pro iuramento est. Vt quid

enim Iuramentum exigetur ab iis, qui ab omni fraude, dolo & mendacio alieni viuunt? Quod autem in hominum sermonibus, vltra simplicem negationem aut affirmationem, vel exigitur vel præstatur, à malo est, id est, malo infirmitatis & imperfectionis, vel exigitur vel præstatur. Est enim infirmi & imperfecti animi, non velle nisi iuranti fidem adhibere.

Sed cum non solum hic communis mundus, verum etiã Christi Ecclesia, multos & imperfectos, bonis intermixtos, contineat: Iuramentum in commercio hominum, propter imperfectos, vt necessarium quiddam, retinendum est, quod ad hominum imperfectorum vtilitatem, vel priuatim admonente charitate, vel publicè exigente Magistratu, præstetur. Hæ enim duæ causæ, Iuramentum licitum faciunt: Vtilitas proximi, quam charitas intendit: & necessitas, quam ad Magistratus requisitionem obedientia docet obseruandam. Et tamen sic quoq; Iuramentum à malo est, id est, propter malum infirmitatis & imperfectionis adhibetur.

Iurare quatenus licet sine peccato.

Iuramentum ex charitate

Ex charitate Iuramentum ritè suscipitur, si proximo tuo rem vtilem persuadere volens, infirmum cum videris & imperfectum, & simplici sermone non crediturum. Quæ iuratio, tamen si per se bona non sit, est tamen necessaria, & qua tu bene vteris, vt proximo tuo persuadeas, quod in eius euidenter vtilitatem persuadetur: ex malo tamen est quod iurare cogis, non quidem ex malo iurantis, sed ex malo eius, qui propter infirmitatem, non nisi iurato credere in animum inducit.

Iuramentum propter necessitatem.

Ex necessitate Iuramentum præstatur, quod Magistrati exigenti præstatur, cui nihil voluit ademptum Christus per hæc præcepta, quæ suis modò discipulis, vt priuatim, dedit: interim gubernationem ciuilem consuetis vtilibus permisit, suis parere Magistrati iussis.

Mat. 22. Sicut ergo Christus occidere prohibens, priuatam tantummodo vindictam coercuit, potestati ius gladii non ademit

ademit: & concupiscentiam mulieris vitari iubens, illegitimas tantum libidines refrenauit, coniugalem affectum non damnauit. Sic omni profusus iuratione suis interdicens, perniciosam iurandi consuetudinem compescere voluit, ne vnquam proprio proposito, aut curiositate & voluntate sua, iurarent Christiani, ne assiduitate iurandi ad periurium per consuetudinem dilaberentur. Valde enim est difficile nunquam temerè facere, quod aliquando ex causa facere sibi homines permittunt. Ne ergo periurio se contaminarent Christiani, omnem iurandi consuetudinem ab eis, voluit sublatam Dominus, vt essent à periurij scelere remotiores, qui omnem profusus iuramenti usum vitare consueuissent.

Ab hac tam arcta Iuramenti abstinentia, Christiani licet recedunt, & sine omni peccato iurant, quoties ad iurandum, aut imperio Magistratum, aut proximi vtilitate inuitati, verum iurant: immò proximi charitatè læderent, & inobedienciæ se reos constituerent, si, cum proximi famam aut re tueri, aut veritatem, alioqui periclitantem, constabile iuramento possunt, iurare detrectarè.

Sicut qui propriæ vindictæ cupiditate occidit, peccat. At qui ad opprimendos latrones, aut auertendos hostes, gladium, iubente Magistratu, acceperit, nisi feriat pro virili & occidat, similiter peccat. Et qui alienæ mulieris concupiscentia inardescit, peccat: Maritus verò, nisi mulierem suam amauerit, fouerit, & intimo de siderate complexus fuerit, similiter peccat. Sic qui sua voluntate per consuetudinem iurat, nulla causa, cogente, peccat. Et qui pro vtilitate proximi, aut iubente Magistratu, iurare noluerit, sine dubio non minus delinquit.

Hanc doctrinam diui Pauli exempla confirmant, qui in Licet iura multis rebus Deum testem adhibens, vtiq; iurauit, sola re exemptus vtilitate proximi, vt Iuramento interposito, facilius persuderet, quod sciebat se, cum magna illorum, ad quos scribebat, vtilitate, suadere. Quæ autem scribo vobis (inquit) ecce coram Deo: quia non mentior. Et iterum 2. Cor. 11

Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in secula, scit: quia non mentior. Et. Testis est mihi Deus, cui serui in spiritu meo &c. Et. Quotidiè morior per vestram gloriam, quam habeo in Christo Iesu. Et. Ego autem testem Deum iauoco in animam meam quòd parcens vobis &c.

Rem. 1.

2. Cor. 1.

Atq; hæc Apostoli iuramenta, Christi sententiam, de iurando alioqui obscuriorem, dilucidè explicant, vt sine vlla ambiguitate intelligamus, Christum propensam ad iurandum consuetudinem inhibere voluisse: licere tamen Christianis, quoties vtilitas aut necessitas id exigat, iurandum sine peccato & accipere & præstare: quoniam Apostolus iurauerit, qui & ipse Christi Spiritum habuit. Nec est vlla fidelior, aut certior obscuriorum scripturarum interpretatio, quàm si ad cas Sæctorum exempla adhibentes, considerauerimus, quid in talibus egerint aut obseruauerint Sæcti homines, quos Spiritu Dei actos fuisse non ambigimus.

Tutissima obscurarum scripturarum interpretatio.

Id modò sollicitè custodiant Christiani, vt iurent (sicut Propheta docet) Viuit Dominus in veritate, & in iudicio, & in iustitia: Id est, vt solo asserendæ veritatis studio, non ex leuitate aut consuetudine iurent: vt non temerè, sed cum iudicio, nec pro re quauis iurare in animum inducant: sed id modò, quod iustum, æquum, vtile, & honestum est, iureiurando confirment.

Hier. 4.

De Votis.

Imiliter peccant in hoc secundum præceptum, qui Vota pro rebus piis, vtilibus, & honestis, sub nominis Deo testimonio legitimè emissa, violant & dirumpunt. Votis enim rerū vtiliū, piarū, & honestarū, delectari Deum; & rursus his, qui, quæ ritè vouerint, non præstitit, grauitè irasci, sacræ literæ passim testantur. Si voto vel spontè (inquit Dominus) quispiam obtulerit hostiam. Et. Lætatus est populus, cum vota spontè promitterent. In quibus locis manifestè ostenditur, Deum his etiam donis & operibus hominum delectari, ad quæ se Voti nuncupatione astrinxerint.

Leuit. 7.
2. Par. 19

Tamet si enim coacta seruitia Domino minus placeât, 2. Cor. 8. sed hilarem datorem & liberum amet Deus: tamen non minus libertate sua vtuntur homines, etiam in iis rebus, quas ex Voto præstant. Ex propensa enim & libera animi voluntate, Votum, super re alioqui non debita, promiserunt, & prorsus fuerunt in vouendo liberi: licet post emissum Votum, iam ad præstandum necessitate teneantur, Domino exigente. Quod semel est egressum ex labiis tuis, obseruabis, & facies, sicut promissisti Deo tuo. Et. Si quid vouisti Deo, nõ tardabis reddere: quia dominus requiret illud. Et. Si quid vouisti Deo ne moreris reddere: displicet enim illi infidelis & stulta promissio. Sed quodcumque voueris, redde: multo que melius est, non voveres, quàm post Votum promissa non reddere.

Eccle. 5.

Hæc autem præstandi necessitas, nequaquam inuita coactio videri potest, ad cuius promissionem, nulla videtur libera animi voluntate deuenerunt. Fœlix necessitas, quæ ad meliora compellit, per quam id modò non licet, quod cum detrimento licuisset.

August. ad armeniarum.

Tria autem præcipuè Vota in Ecclesia celebrantur. *Tria* Quæ, quoniam pro rebus optimis & Deo gratissimis *Vota.* concipiuntur, bona esse, & Deo placere, nemo pius ambigit. Primum est perpetuæ castitatis Votum, cuius laudem Apostolus, vt rei piæ & optimæ & Deo gratæ, multis præconiis celebrat. Bonum est homini (inquit) mulierem non tangere. Et. Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam: benefacit. Et. Qui matrimonio iungit virginem suam, benefacit: qui non iungit, melius.

Votum castitatis. 1. Cor. 7.

Et Christus talem castitatem laudibus vehit, in qua homines immutabili animi proposito se confirmauerunt, vt ab ea resiliere iam non liceat. Tria enim Eunuchorum genera commemorans, hos solos laudat, qui propter regnum Dei, voluntate sua se castrauerunt: Quos (quod

Matt. 19

N iij ad

ad perpetuitatem continentiae attinet) similes facit iis, qui per naturam, aut per violentiam hominum, Eunuchi facti sunt. Vt quemadmodum his naturae vitium, aut hominum violentia, gignendi facultate in perpetuum ademit: sic illi sibi sua voluntate & animi proposito, gignendi facultatem amputauerint, & nuptiarum spem in perpetuum intercluserint: qualis vitique castitas, non nisi cum Voti nuncupatione inuenitur. Non enim perpetuus est Eunuchus in suae voluntatis proposito, qui nuptiarum spem nondum a se abdicauit.

Luc. 7.

Tali Voto se teneri virgo Maria ostendit, ab Angelo partum ei nunciante sciscitans. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Id est, quoniam castitatis propositum, Voto inuolabili firmatum, mente gero? Alio qui non fuisset mirum, virgini adolescentulae promitti partum, tamen si virum nondum cognouisset: potuisset enim mox viro iungi, & ad partum fecundari, nisi spem nuptiarum prorsus abiecisset, & viri commercium inuolabili Voto sibi denegasset.

Ad hanc tantae excellentiae virtutem, non quidem procepto adigit homines Christus, quod ad apprehendendam eam non omnes sint idonei: sed eos, qui capaces esse possunt, speciosis promissionibus & praecclaris laudibus inuitat. Qui potest (inquit) capere, capiat. Proponit praemium (inquit Hieronymus) inuitat ad cursum, tenet in manu virginittatis brauium, ostendit purissimum fontem, & clamat. Qui sitit, veniat, & bibat. Qui potest capere, capiat. Non dicit. Velitis, nolitis, bibendum est vobis, atque currendum: sed qui voluerit, & qui potuerit currere atque portare, ille vincet, ille satiabitur.

Hiero.
contra Iu-
niana.
lib. 1.

Esa. 56.

Talibus Eunuchis per prophetam Dominus nomen melius a filiis & filiabus, & nomen sempiternum pollicetur. Et in Apocalypsi hac prerogatiua insignes sunt, ut agni Dei praesentia perpetua perfruantur. Hi sunt (ait scriptura) qui cum mulieribus non sunt coniugati: virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocunque ierit.

Apoc. 15

Simi-

Similem in scripturis sanctis commendationem habet Votum obedientiae, quod est propriae voluntatis propter Deum vltro abnegatio: & Votum paupertatis, quod est possidendarum in seculo diuitiarum spontanea abdicatio. Omnimodam diuitiarum abdicacionem nusquam scriptura praecipiendo exigit. Vnde, qui rebus suis moderate vtuntur, & ab alienis abstinent, & fructus possessionum suarum paulatim pauperibus diuidunt, & reliqua sine vllius iniuria sibi seruant, & sine aliorum damno augere student: ob id culpari non merentur. Sed multo excellentiorem Euangelicae perfectionis gradum arripuerunt, qui semel omnibus abdicatis, Christum nudi & expediti sequuntur. Bonum est, facultates cum dispensatione pauperibus erogare. Melius est, pro intentione sequendi Dominum, in simul donare, & absolutum sollicitudine cum Christo egere. Ad tantae perfectionis gradum, post mandatorum omnium completionem, inuitauit Christus adolescentem Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quae habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo, & veni sequere me.

Secundū
Votū pau-
peritatis.

Et in Actibus Apostolicis Lucas satis ostendit, inter ipsa Ecclesiae nascentis exordia, talem paupertatem in usu fuisse inter eos, qui Christo credidissent, ut aliqui, vltra communem credentium morem, talem paupertatem, ad quam se Voti nuncupatione astrinxissent, amplecterentur. Conuersis enim ad fidem Christi, sua retinere sine reprehensione licebat, si nihil vltro promississent. Quod si perfectioribus annumerari voluissent, & abdicacione diuitiarum vltro essent polliciti, iam nihil sine graui crimine de rebus propriis reseruare poterant.

Act. 5.

Quod vtrunque in reprehensione Ananiae comprobatur. Permissam fuisse retinendi propria libertate his, qui nihil vltra communem credentium morem promississent, haec Petri verba indicant. Nonne manens tibi manebat, & venundatum erat in tua potestate? Post Voti vero nuncupationem, de abdicandis diuitiis, iam non sine crimine propria retineri potuisse, idem Petrus arguit.

Quare

Quare (inquit) mentitus es Spiritui sancto: Id est, quare quod sub nominis Dei testimonio professus es, fecisti: Alioqui si nihil promississet, non potuisset mentiri Deo: sed sine reprehensione de precio agri sui pro sua voluntate constituere potuisset, & totum aut partem, vt cunq; illi colluisset, donare, aut simul omnia retinere.

Tertium Sed & obedientiæ virtutem Christus in seipso exhibuit, & multis testimoniis adornauit, quæ homini ad sui abnegationem seruit, quam Dominus exigens, ait. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & sequatur me. Et Propheta obedientiam sacrificiis omnibus præfert, quod in sacrificiis aliena caro: in obedientia caro propria, ad obsequium Domini mactatur.

Votum
obediētia.

1. Reg. 15.
Eccles. 4.

Hæc itaque vota non ex hominum inuentione, sed ex salutaribus Christi hortamentis defluerunt, quæ ad perfectionem Euangelicam multum expeditos reddunt, in iis debite persistentes. In concipiendis tamen Votis, admonendi sunt homines, ne quid voueant, quod sine detrimento præstari non queat, & vt in iis, quæ ritè vouentur, magnam cautionem & maturam deliberationem adhibeant: quoniam melius est, etiam ad rem vtilem Voto se non astringere, quàm à promissione, quam Domino feceris, temerè resilire, Eccles. 5.

In hoc præceptum etiam hi delinquant, qui sanctum & venerabile nomen Dei, ad magicas artes, & prohibitas incantationes, adhibent.

Et quicumque tandem Dei nomen aliter, quàm ad honorem eius, aut proximi euidentem vtilitatem, vsurpant: quos omnes ob sui nominis irreuerentiam, non insontes habebit Dominus. His modis in sermone hominum diuini nominis reuerentia violatur. Est alia ex operibus nostris in Dei nomen redundans contumelia, quoties propter sceleratam vitam nostram, Christi nomen & doctri-
na inter incredulos vituperatur.

Rom. 2.
1. Tim. 6

P R A E -

P R A E C E P T V M III.
M E M E N T O, V T D I E M S A B B A T I
sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia
opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini
Dei tui est. Non facies omne opus in eo, tu
& filius tuus, & filia tua: seruus tuus,
& ancilla tua: iumentum tuum, &
aduena, qui est intra portas tuas.
Sex enim diebus fecit Deus cœ-
lū & terram, & mare, &
omnia quæ in eis sunt, &
requieuit die septimo. Idcirco benedixit
Dominus diei Sabbati, & san-
ctificauit eum.

Ngens illud nostræ creationis beneficiū à nobis exigit, vt in honorem Conditoris nostri conferamus totum, quod sumus & valemus, à quo totū, quod sumus & valemus, accepimus.

Cum autem Deus ex duplicis substantiæ connexu hominem confecerit, ex carne eum & spiritu compingens: ad perfectum Creatoris cultum pertinebat, vt vnde constaret homo, inde Creatorem suum coleret, vt spiritu pariter & corpore, ad venerationem Dei & Conditoris sui, intenderetur. Ieoque ad præcedentia præcepta, quæ cor nostrum simul & linguam (vt eorum, quæ in corde versantur, indicem) ad verum Dei cultum erudierunt, hoc tertium de requie diei Sabbati adiicitur, quo ipsa etiam operis exhibitione colere Deum instruimur, vt sic plenum Patriæ cultum, Deo & Conditori nostro in affectu cordis, in oris confessione, & in exhibitione operis, persoluamus.

Neque

Ocium
Sabbati
ad quid
conducatur.

Neque hic corporalis cultus in eo solo perficitur, si manus nostræ ab omni opere seruili vacent in die Sabbati (neque enim ocium per se placet Deo) Sed si ideo prophanas occupationes seponimus, vt ipsum etiam corpus nostrum in his, quæ suæ functionis esse possunt, pietatis exercitium arripiat, & à negociis seculi quietum in Dei veneratione & cultu defudet: aut certè si ob id externo labore occupari nolumus in corpore, ne mens nostra ab iis, quæ pietatis sunt, distrahatur, & à meditatione legis diuinæ, tota quæ illa diuinorum contemplatione (quæ præcipuè Sabbatum verum facit) impediatur.

Verum,
Sabbati.

Vanam illam Iudæorum superstitionem, ex animis nostris Christianæ veritatis lux abegit, ne iam credamus, ocio, aut elegantiore vestitu, aut exquisitoribus epulis: sed sanctis exercitiis grati Deo Sabbatum consummari.

Sabbatum itaque, quatenus morale est, etiam Christianos obligat, vt nunc non minus in Ecclesia, quam olim in Synagoga, Sabbati obseruantia diuini iuris esse censenda sit.

Præcepti autem huius vis præcipua de Sabbato, ad fidem & dilectionem erga Deum exercendam dirigitur, & cultum Dei in nobis promouet: seruales operas, & corporales occupationes, omnino prohibens, vt liberiùs, quæ pietatis sunt, exequamur, & feriat à negociis seculi, totos nos Dei seruitio mancipemus.

Existimamus autem, ob id nobis certo die labores merito non permitti, ne quis excusare posset per occupationes seruales, ocium sibi non dari, animum ad ea conuertendi, quæ pietatis sunt, & quæ fidem & charitatem Dei in nobis excitant, augent, & conseruant.

Et cum ambo simul, corporalis videlicet exercitatio, & rerum diuinarum contemplatio, à nobis rectè suscipi & perfectè geri non queant: dignum est, vt corporale exercitium ad tempus prorsus suspendatur, quò maiore con-

riatu homines feriat ab externis laboribus, ad obseruantiam diuini cultus ferantur: & soluti curis aliis, ad contemplationem diuinarum rerum mentem liberiùs eleuet.

Tamet si decebat Christianos, in omni occupatione corporali, semper animo in laude Dei, & diuinorum beneficiorum recordatione versari, iuxta Apostoli commo-
1. Cor. 10
nitionem. Siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud fa-
citis: omnia in gloriam Dei facite. Tamen, qua sumus ani-
mi imbecillitate præditi, ad duas curas raro eodem tem-
pore sufficimus, & in diuersa distractus humanus animus,
in nullo satis valet. Ideoque corporalem laborem Deus
Gen. 3.
iubet in Sabbato seponere, non vt laborem condemnet,
quem alibi præcepit, aut ocium approbet, quod multis
locis scriptura, tanquam omnis mali sementem, execra-
tione: Sed vt bonus labor, exercitio pietatis cedat, velut me-
liciori, ne per operationem corporalem mentes hominum
debilitentur & distrahantur, & minus attentè quærant
iustitiam regni Dei. Aut certè ex hac causa iustissimè om-
nes prophanæ occupationes prohibentur in Sabbato, ne
Eccl. 33.
forte homines operandi libertate permissa, quæstum ante
pietatem ponerent, & ad conuentus fidelium, pro diuino
cultu & exercitiis spiritualibus institutos, intenti suis arti-
ficiis, adire omitterent.

Totum ergò Sabbatum externum, quod in quiete cor-
poris & vacatione operum seruilium consistit, spiritua-
li Sabbato subferuit, & hominem foris ociosum ad inter-
na spiritalia & mentis exercitia remittit, quæ sunt: Dei lau-
di & rerum cælestium contemplationi vacare: animas no-
stras cibo spiritali satiari, hoc est, auditione verbi, aut
scripturarum lectione, & commemoratione diuinorum
beneficiorum, reficere, aliisque spiritalibus charismati-
bus fouere: in orationibus vigilantes, in gratiarum actio-
ne, & diuinorum Mysteriorum contemplatione, & cele-
bratione diuinorum officiorum, seruidos perficere: men-
tem à temporariis rebus auocare, nec quicquam iam pro
humano affectu agere: sed Deo, vt in nobis pro sua bona
voluntate cuncta operetur, nos totos submittere. Hoc
enim

Spiritua-
le Sabba-
tum.

enim est, sanctum & laudabile ocium, hoc Deo gratum Sabbatum, cum, opitulante Dei Spiritu, malas in nobis cupiditates supprimimus, & à desideriis carnis & ab operibus eius cessamus: cum nulla possidendarum opum cupiditate iactamur: cum iniuriis affecti, cor ab inuidia, & manum à vindicta continemus: cum in vniuersum nostrā abdicantes voluntatem, Dei nos arbitrio permittimus, vt iam non nostro, sed Dei Spiritu duci & gubernari velimus. Ad qualem vacationem Psaltes nos inuitat. Vacate (inquit) & videte: quoniam suavis est Dominus. Et sicva cantibus speciosam mercedem repromittens, ait. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Et Christus quoque negotiosæ sedulitati suæ hospitis, ocium fororis prætulit, quæ omnis domesticæ curæ ministeriis, quieta desidebat ad pedes Domini, audiens verbum illius. Et Dominus apud Ezechielem externæ vacationis vsus, spirituali Sabbato subseruientem, inducit: genti Iudaicæ ob id concessa Sabbata subindicans, vt vacui ab externis occupationibus, Dominum intus operantem, & ipsos sanctificantem, melius reciperent. Insuper & Sabbata mea dedi eis, vt essent signa inter me & eos: & sciant, quòd ego Dominus sanctificans eos. Huc respexit lex. **MEMENTO (inquit) VT DIEM SABBATI SANCTIFICES**, Id est, vt neglectis rerum prophanarum curis, in sanctis exercitiis totum hunc diē expendas. Et. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Tua sunt opera, quæ ad tuam & proximi tui subleuandam necessitatem seruiunt, quibus transigendis, reliqui sex dies destinantur. Dies autem septimus, Sabbatum est Domini Dei tui, quem immunem à tuis operibus totum noueris sanctis vsibus, & his, quæ sunt Domini tui, operibus dedicandum.

Sabbatū etiam ad proximi charitatē seruit. Non autem propter solam nominis sui uenerationem instituit Dominus diem quietis & vacationis à seruilibus operibus, sed simul ad dilectionem, proximo exhibendam, respexit: Quemadmodum vbique in præceptis suis honorem suum cum utilitate hominum partitur bonus & mitis Dominus. In primo præcepto amorem sui

sic

sic à nobis exigit, vt tamen amari nec velit nec possit ab his, qui proximum charitate mutua non complectuntur. In secundo, dum nomen suum vanè vsurpari vetat, pari cura prohibere intendit, ne quis Deum contumelia afficiat, & ne fratrem suū sub nominis diuini testimonio decipiat. Sic dum in hoc præcepto corporales occupationes omitti iubet, quò liberius cultui suo vacent homines, simul laxamentū à laboribus præstari vult seruis & iumentis, quibus aliò qui Dominorū inclemētia requiē nō concederet, nisi ad id præcepto adigerentur. Quam humanitatis & clementiæ causam, in præcepto Sabbati exprimit Dominus in Deuteronomio. Vt requiescat (inquit) seruus tuus, & ancilla tua, sicut & tu. Memento quòd & ipse seruiueris in Aegypto, & eduxerit te inde Dominus.

Deus ubi que cum suo cultu charitatē proximi cōiungit.

Deus.

Spirituale itaque Sabbatum, quod in cultu, & dilectione Dei & proximi, perficitur, Ecclesia Christi per hoc præceptum suscepit celebrandum, non ipsam legis cærimoniam, nisi quatenus illa ad commodiorem spiritualis Sabbati executionem subseruit, hoc est, quatenus externum ocium in hoc conducit, vt Ecclesiæ in obseruatione diuini cultus sua constet disciplina, ne cæterus Ecclesiastici, in quibus fideles ad auditionem verbi, ad preces, & ad diuinorum officiorū celebrationē, conuenire solent: propter prophanas occupationes deserātur, ne diuinæ legis meditatio, cæteraque pietatis exercitia, impediantur: Sed vt pròptius homines ad diuina officia conuolent, & quæ pietatis & charitatis sunt, liberius exequantur, dum à seruilibus negociis & cōsuetis artificijs, per eum diem abstinere præcepto compelluntur. Aliò qui ad ipsam ocium (in quo solo perfectam Sabbati obseruantiam Iudæi superstitiosè collocabant) adeo non alligat Ecclesia, vt quoties nos ad laborē proximi utilitas inuitauerit, aut magna necessitas impulerit, iam sine vlla reprehensione liceat Sabbati quietē abruptere, & necessariis & vtilibus negocijs operam dare. Sic Christus discipulos, Sabbato spicas velentes & manducantes, contra Iudæorum calumniam excusauit, non dissimulans, secundum voluntatem Dei fieri, quoties præceptum Sabbati cedit salutē hominum &

Sabbati obseruantia cedere debet charitati.

Mat. 12.

charitati

charitati proximi: quæ duæ res in omnibus externis cæ-
remoniis licitam dispensandi facultatem præstant. Si sci-
Mar . 2. retis (inquit) quid est, misericordiam volo, & non sacrifi-
cium: nunquam condemnassetis innocentes. Et. Sabbatum
De feriis. propter hominem factum est, non homo propter Sabba-
c. licet. tum. Sed & Canones Ecclesiæ permittunt rei aliò qui
perituræ, etiam Dominicis diebus & aliis festis, præter-
quam in maioribus anni solennitatibus, subuenire.

Nec ista superstitione animi Christianorum tenentur,
qua Iudæi Sabbatum certo diei alligabant: existimantes,
hunc diem præ cæteris religione & sanctitate pollere.
Christiani non ignoramus, dies omnes ex se æquales esse,
& eum solum diem præ cæteris sanctificari, quem san-
ctioribus exercitiis applicamus. Scimus non ex die in o-
pera hominum, sed ex operibus nostris in ipsum diem,
sanctificationem redundare. Agnoscimus tamen, diuini
iuris esse, vt aliquo saltem certo tempore, sepositis nego-
ciis secularibus, diuino cultui deseruiamus: & iis exerci-
tiis, quæ fidem & charitatem nostram in Deum excitât,
incumbamus, ideoque diem Dominicum, aliosque certos
dies, Ecclesia communi consensu separauit Domino: in
hoc multitudini consulens, vt disciplina conferuetur, &
viteretur confusio, & vt fiat ordine, quod communiter om-
nibus est faciendum: sciantque homines, quando ad au-
diendum verbum, reliquaque sacra peragenda, conueni-
re debeant. Quemadmodum iudicia secularia locis &
temporibus destinatis agi receptum est, cæteraque homi-
num commertia non nisi certo temporum & locorum or-
dine rectè transigi posse, nemo prudens non videt.

Vt autem appareret in nouo Sabbatismo, non supersti-
tionem diei, sed rei gerendæ aptum ordinem attendi: Pri-
mitiuæ Ecclesiæ Patres, Sabbatum de die septimo in se-
quentem, hoc est, octauum transtulerunt. Cui etiam ex
hoc noui Sabbatismi festiuitas attributa est: quia in illo
die Christus resurgens, perfectam illam, & nullo amplius
labore aut luctu interrumpendam, quietè inchoauit, qua
Sanctorum animæ, receptis corporibus, perfruuntur.
Habet

Habent enim Sanctorum animæ etiam ante corporum
resurrectionem requiem, sed non illam actionē, qua cor-
pora vegetantur: qualis actio in Domini resurrectione & *August.*
& designata & inchoata est. Siquidem in capite Ecclesiæ *ad Ianna-*
præcessit, quod corpus speraret in fine. Ideoque dies octa- *rii de ri-*
uus, qui idem & primus est: quoniam ad illam sempiternâ *bis Ec-*
& perfectissimam quietem per Domini resurrectionem, *clesia.*
qui factus est primitiæ resurgentium, aditum nobis pa-
refecit: in religiosam venerationem nobis celsit, vt segre-
garetur & sanctificaretur Domino, in quo ab occupatio-
nibus corporalibus vacantes, illam beatam requiem ani-
mis meditaremur. Fæque festiuitas diei octauo, id est, Do-
minico iam inde ab Apostolorum tempore accreuit. Fui
in spiritu (inquit Ioannes) in die Dominica.

Diei itaque Dominico, & omnibus aliis festis diebus,
quos Christi Ecclesia (nullum quidem diem præ cæteris
superstitiosè obseruans, certo tamen iudicio ex numero
dierum anni seligens) communi consensu Domino segre
gauit, eam venerationem Christiani debemus, quam Iu-
dæi debebant diei septimo.

Præuaricantur ergo hoc præceptum, quicumque ali-
quid externi laboris citra necessitatem, aut euidenter
proximi vtilitatem faciunt, qui turpi auaritia capti, spiri-
tualium diuitiarum immemores, & terrenis opibus cumu-
landis inhiantes, fidelium cœtus adire die festo omittunt:
sacras actiones negligunt, diuina officia & publicas pre-
ces fastidiunt: cæterosque ritus Ecclesiæ religiosos & vti-
les contemnunt. Nec minus hi delinquant, qui non citra
grauissimam multorum offensionem, reliquas omnes Ec-
clesiæ solennitates, extra vnam Dominicam, prophanant
& exhibit: quas per vniuersam Christi Ecclesiam iâ inde
ab exordio celebres fuisse, Ignatij, Tertulliani, Athana-
sij, multorumque aliorum testimonio liquet: quas in hunc
vsum recepit Ecclesia, vt in istis admiranda Dei opera,
per Virginem matrem reliquosque Sanctos exhibita,
recolat, & felices Martyrum exitus celebret, fortissimaf-
que eorum pugnas, pro fide Christi susceptas, ad excitân-
dam

*Opera
sanctifi-
cæ: diem,
nō cōtra.*

1. Cor. 14

*Sabbatū
cur diei
Dominico
attribu-
tum,*

Apo. 1.

*Qui delin-
quant in
tertium
præceptū*

*Festiuita-
tes ab Ec-
clesia re-
ceptas
abulentes,
peccant.*

dam fidem, & imitationem fidelis populi, commemoret. Sed illos Nouatores, rebelli & superbo spiritu repletos, nec matris Ecclesiæ reuerentia, nec proximorum charitas, ab impia temeritate cohibere potest: quos nimirum grauis vindicta Dei manet, nec mitior olim pœna apprehendet, quàm qualem, sub totius multitudinis manibus, iussu Domini, ille Sabbati contemerator sustinuisse legitur Numc. 15.

Similiter & hi peccant in hoc præceptum, qui diebus festis cessant quidem à seruilibus negociis: sed interim totos hos dies inutili ocio traducunt, & horas, à prophanis occupationibus liberas, sanctis exercitiis tamen non impendunt.

Obabulantes & confabulantes in semplis, violant. Sabbatū.

Qui conuentus populi Christiani deserunt, sacra adire omittunt: aut in Ecclesiam venientes, prophanis deambulationibus Deum irrident, & piorum animos, diuino cultui & meditationi rerum sanctarum intentos, turbant & offendunt, & orationes aliorum, strepitu vanarum confabulationum, impediunt. Quos procul dubio zelus Domini pro domo sua zelantis, debitis afflictos supplicii, deuorabit & perdet.

Cultior vestitur, quare Sabbato induendus.

Qui die festo elegantiorē vestitum induendum, & lautiorē cibum sumendum existimant, in hoc decipiuntur, si credunt cultum corporis per se facere ad religionem: & si putant, Christum ac Sanctos, quos colere intendunt, eo delectari, quos meminerunt Deo ieiuniis seruiasse, & humilitatem exemplo & doctrina nobis prodidisse.

Alioqui reprehendus non est, qui mundiorem vestitum pro honore Ecclesiæ induerit, vt corporis mundiciem, velut internæ alacritatis indicem, alius in alio conspicientes, ex mutuo aspectu yberiore lætitia perfundantur. Sic qui victum exquisitorē in Sabbato, non ad proprias delicias explendas, sed ad designandam & augendam diei festiuitatem, censuerit adhibendum: non peccat. Dies sanctificatus est Domino (inquit Nehemias) no

Nehc. 8.

lite

lite lugere. Ite, comedite pingua, & bibite mulsum.

Grauius delinquent, qui diem sanctificationi destinatum, ad res turpes conuertunt, ocium, omnibus sceleribus repletum agentes, & totos dies ebrietatibus, comessationibus, variisque flagitiis absumentes. Atque hic abusus Ecclesiæ Christi perniciosissimus & grauisissimus incurrit: adeo, vt quis peruersitatem nostri Sabbatissimi attentius considerans, merito putet, nos non id conari diebus festis, vt obsequioso cultu Deum nobis promereamur: sed in id potius dedita opera incumbere, vt iustam Dei iram omni scelerum & flagitiorum genere contra nos irriteamus. Sic cauponæ per hos dies comessantium clamoribus & obscœnis cantilenis perstrepunt: sic lupinaria impudicorum turba replentur: sic fora tumultibus & cædibus feruent.

Perniciosus abusus Sabbati.

De suo Sabbato Iudæi gloriabantur, Dæmones sanctitate diei absterritos, Sabbato hominum cœtus refugere, & in abstrusis montium speluncis occultari. Apud nos, si quando per reliquos hebdomadæ dies cedere coguntur Dæmones (quippe hominibus labori intentis, & frugalitatem ex quadam necessitate seruantibus) festis diebus, credibile est, eos adunato grege ad cœtus nostros alacres reuolare: adeo homines, repulsa omni honestate, Deo ac pietati renunciantes, & ad Diaboli voluntatem sese componentes, secundum suas cupiditates eunt in die Sabbati, & in omnia flagitia laxatis habitis irruunt. Quid mirum, si vindictam Dominus, quam olim violatoribus Sabbati comminatus est, in nos profuderit. Et dispergam (inquit) super vultum vestrum stercus solennitatum vestrorum, & assumet vos secum. Nec iustam Dei vindictam Magistratus subterfugient, qui tantam Sabbati prophanationem videntes, legibus & pœnis non comprimunt.

Malach.

Sabbatum prophanant hi quoque, qui omisso rerum sacrarum exercitio, spectaculis, aleæ, choreis, aliisque rebus, mentem à cœlestium contemplatione auocantibus, & ad illicitas & noxias cupiditates prolicientibus, intendunt.

O ij Verè

Qui verè Sabbatū obseruēt. Verè autem Sabbatum sanctificant, & gratum Deo ocium agunt, qui sic à seruilibus operibus abstinent, vt simul ab omnibus etiam peccatis vacent, & totos dies, ad hoc ab Ecclesia destinatos, laudi Dei, & animarum suarū salutī, aut charitati proximorum, impendunt. *Qui sedentes ad pedes Domini, verbum eius quieti & attenta aure hauriunt, & haustum in Ecclesia, domi secum repetunt & reuoluunt, & summa diligentia conseruant, ne Diabolus illud de cordibus eorum auferat, & fructum verbi impediāt.* *Qui animas suas beneficiorum diuinorum recordatione, cæterisque charismatibus spiritus reficiunt & saginant.*

Luc. 8.

Qui diuina officia feruenti affectu ausculantes, in orationes & gratiarum actiones se totos profundunt. Qui si quam peccati labem contraxerunt, diebus festis eluere & Deo reconciliari student. Qui prauas & noxias cupiditates ex animo repellentes, & suam voluntatem prorsus abnegantes, Deo se dedunt, vt pro sua voluntate in ipsa cuncta operetur.

Esd. 1.

Bene feriantur, qui ab ira, inuidia, avaritia, libidine, cor suum mundum conseruant. Auferte (inquit Dominus) malum cogitationum uestrarum ab oculis meis. Bene oiciantur in die Sabbati, qui læsi talionem reddere omittunt: ad beneficiendum autem aliis, etiam nihil tale de se promeritis, vltro festinant.

Acceptabilem Domino festiuitatem celebrant, qui elemosynis & aliis misericordiae operibus insistant, & subleuandis proximorum necessitatibus, se totos impendunt. Gratum enim Deo sacrificium exhibuit, qui pauperem esurientem, nudum vestiuit, aut in quacunque necessitate periclitantem fratrem miseratus subleuauit. Misericordiam volo (dicit Dominus) non sacrificium. Et Misericordiam & miserationes facite vnusquisque cum fratre suo. Et Christus hominem, in Dei seruitio occupatum, remittit ad fraternam reconciliationem: ostendens, Deo delectari hac iactura sui cultus, qua charitas hominum ad

Matt. 9.
Zach. 7.
Matt. 5.

inuicem

inuicem instauratur. Si obtuleris munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersus te: relinque ibi munus tuum, & vade, prius reconciliari fratri tuo, & sic veniens offers munus tuum. Et Nehemias inuitabat suos, vt festiuitatem Domino miserationibus indigentium facerent commendabilem. Ite, comedite pingua vestra, & bibite mulsum, & mittite his partes, qui non præparauerunt sibi: quia sanctus dies Domini est. Ingratum est Deo omne seruitium nostrum, quamdiu retēta in animis nostris crudelitas in proximos, illud commaculat. Ecce, in die ieiunij vestri, inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Nunquid non hoc est magis ieiunium, quod elegi? Dissolue colligationes impietatis, & solue fasciculos deprimentes: Dimitte eos, qui contracti sunt, liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & vagos egenosq; induc in domum tuam. Si videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet. Clamabis, & dicit. Ecce, assum: quia misericors sum Dominus Deus tuus. Quo loco, pleno testimonio confirmat Dominus, & nullis se hominum seruitiis oblectari, nec orationibus aut precibus placari posse, quæ non elemosynis & miserationibus indigentium condiantur.

Neh. 8.

Esd. 38.

Denique ad Domini solennitates gratissimus cultor aduenit, qui ita se ad Sabbatissimum componit, vt de tremenda Domini mensa, sacrosanctam Eucharistiam, salutarem animæ suæ cibū, & crebrò, & dignè, percipiat. Vix enim erunt excusabiles apud Deum, qui de carnis cura solliciti, alendis corporibus epulas lautiores instruant in die Sabbati, & interim cæleste prandium negligunt, & animæ suæ medicinam fastidiunt.

Ambro. sermo. 1.

P R A E C E

O iij

PRÆCEPTVM IIII.

HONORA PATREM TVVM,

Et matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

Summa
præcepto-
rum primi
mæ tabu-
la.

P

Rima tabula tribus præceptis ad plenum Dei cultum, tam interiorem quàm exteriorem, nos instruxit. Quorum primo circa dilectionem, & debitam venerationem Dei, cor nostrum erudiuit: In altero linguam ad diuini nominis reuerentiã correxit, docens nos in sermonibus nostris sanctũ Dei nomen honorificare. In tertio vocationem corporis per certos dies ad Dei gloriã exegit, vt cessantes à prophanis occupationibus, id omne tempus diuinis laudibus, & exercitiis Deo placitis, applicemus.

Secunda
tabula, do-
cet chri-
stianæ pro-
ximi.

Atque hic est preciosissimus pietatis cultus, qui rectã in Dei gloriam intendit, sicut grauisima sunt delicta hominum, quæ in Dei iniuriam impingunt. Nec minus tamen gratum Deo cultum exhibent, qui Deum in hominibus reuerentur, & timent, & colunt, & diligunt: sicut vicissim non leuius delinquit, qui mutua charitatis officia, erga proximum aut omittentes aut violantes, Deum in hominibus lædunt & offendunt. Ideoque non minore cura, quàm qua de suo honore præcepit, sequentibus præceptis, plenã dilectionis ad hominem officia explicat. Inter homines autem primum locum optimo iure parentes sibi vendicant, quibus, ante omnes alios homines, prima maximaque omnia dilectionis & honoris officia debemus. Quoniam ipsi suis beneficiis, non solum aliorum hominum in nos merita: sed vitæ etiam nostræ initia præuenerunt, nobis nondum hominibus, nondum inchoatis famulantes: de quorum munere hoc ipsum quod homines sumus, & aliorum hominum beneficia sentire possumus, accepimus. Ad horum debitam reuerentiam, Deus nos erudire volens, non solum prohibet, ne contumelia eos

afficiamus

afficiamus (hoc enim esset scelestæ ingratiitudinis & extrêmæ crudelitatis) sed vt honoremus eos imperat, & ne quis æquissimum & iustissimum hoc imperiũ detrectet, etiam præmio proposito ad parentum honorem nos inuitat. HONORA (inquit) PATREM tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram. Si ingratus es, tamen seueritatem Dei præcipientis time: si pius es, liberalitatem pollicentis amplectere: omninò, autem honora parentes tuos, honora homines, per quos homo esse cœpisti. Qui corpus, & membra, & hunc nobilem rationis vsus, tibi præbuerunt: qui infirmam ætatem tuam, per multa impendia, & grauissimas molestias, indefessa beneuolentia & pertinaci cura aluerunt: qui banc, quam in Deum habes fidem, agnitionem & charitatem, in te suis monitis excitauerunt, vt post Deum totum sit muneris ipsorum, quod & præsentis vitæ bonis perfrui, & futuræ beatitudinis præmia sperare, potes.

Parenti-
bus debe-
mus, &
corpore
alia, & spi-
ritualia
bona.

Honoris autem vocabulum, honorificentiam simul & beneficentiam complectitur, vt non solum honore parentes præueniamus: sed vt beneficiis eos sustentemus.

Ad honorificentiam pertinet, vt parentes intimo amore, & summa animi beneuolentia, prosequamur: plenum eis honorem, non solum verbis & gestu corporis, sed syn-
cero animi affectu deferentes. Deinde, vt de parentibus nostris magnificè sentiamus, nec sint alij aut chariores nobis, aut preciosiores in oculis nostris, inter omnes homines.

Honor pa-
rentibus
debitus,
quid signi-
ficet.

Hunc affectum in parentes, subministrabit nobis & diuinæ voluntatis, & ipsorum in nos beneficentiæ consyderatio.

Honorifi-
centia er-
ga paren-
tes.

In parentibus nostris videmus ortus nostri originem, & vitæ nostræ officinam, de quibus Deo placuit nos tales, quales sumus, effingere. Cur opus aut odit aut contemnit officinam suam? Cur de illis te pudeat esse natum, qui Deo placuerunt, vt ex illis te hominẽ produceret? Honora (inquit) patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliuiscaris. Eccl. 7.

O iiii Memento,

Parentū ignominia redundat in liberos Eccl. 3.
 Memento, quòd nisi per illos natus non fuisses, & retribuere illis quomodo illi tibi. In te redudat cōtumelia, quam sustinent hi homines, ex quibus tuus homo desumptus & formatus est. Non solùm propinqua, sed tua conditio contemnitur in parentibus, testante & commoneute scriptura. Ne glories in contumelia patris tui. Non enim est tibi gloria, sed confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filij pater sine honore.

tem tuum in vita illius, Eccles. 3.

Amorem parentum consequi debet prompta obedientia, in omnibus quæcunq; (saltem non contra Dei voluntatem) iusserint. Atrocis criminis se reum facit, qui in re etiam leuis momenti, parentum Imperium exequi contempserit. Nam vt hoc ipsum Deus non iusserit, quod parentes exigunt, tamen vt parentibus obedias iussit. De itaq; mādatum præuaricatur, qui in aliquo negotio, quantumuis leui, parentum voluntatem negligit. Rechabitis, non Dōminus, sed pater eorum Benadab iusserat vinum non gustare, & domos non ædificare. In hac autem re, quæ præceptum Domini per se non habebat, ingenti fauore Dominus filiorum erga patrem obedientiam amplexus est: nimirum ostendens, in omnibus parentum, etiam leuis momenti, mandatis, seriam tamen eius voluntatem esse at tendendam, qui nos obedire parētibus iussit.

Obedientia debetur parentibus.

Hiere. 35.

Filiorum in parentes obedientiam multiplicibus præmiis remunerandam: inobedientiam diris suppliciiis vincendam, scriptura contestatur. Audi filij mi (inquit) disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: vt addatur gratia capiti tuo: & torques aureus collo tuo. Et filium contumacem, & parentibus immorigerum, lex multitudini lapidandum obiici mandat, Deut. 21.

Prover. 1.

His vestigiis incedēs sanctus Isaac, ad obedientiam parentum viam strauit, qui post triginta vitæ suæ annos, iam robusto corpore, patri infirmo seni ad sacrificium se ligandum præbuit, vsq; ad cædem suam paritūrus, nisi triste patris ministerium Angelus Domini interrupisset. Et Christus vnigenitus Dei, non tantū cælesti Patri vsq; ad mortem obediuit: sed Iosepho & Mariæ se subiecit, vt Magister virtutis obedientiam, velut omnium virtutum apicem, exemplo suo nobis commendaret.

Honor etiam benevolentiam significat, filij,

Tab. 3. Eccl. 7.
 Huic voluntati Dei adde parentum tuorum in te colata beneficia. Matris in gestando diturnos labores, & multiplices infirmitates: in pariendo acerbos cruciatus: in educando anxiam sollicitudinem. Hæc sua viscera exhausti, vt tua pasceret, vt te saturaret: famem perpessa est, cibo abstinuit, quem volebat: sumpsit, quæ noluit, vt tuum cibum ex sese tibi conseruaret innoxium: pro te crebris exercita est vigiliis, afflicta curis, fatigata laboribus. Tibi anxius pater quæsiuit, & suum defraudans genium, tibi seruiturum comparfit censum. Et pro te sollicitus, non modò corpus suum laboribus præsentibus, sed animum curis, de futuro præsumptis, afflixit: ædificans, quod tu possideres: plantans, vnde tu fructus decerperes. Hi, cum teneram ætatem tuam multis curis nec minoribus impendiis domi aluissent, insuper adulto sumptus ad magistrōs suggererunt: nihil sibi relinquentes, quò vitam tuam necessariis munirent præsidij, vt ferarum immanitatem longè superes, si sic de te promeritos non intimo affectu redamaueris. Ad harum rerum recordationem scriptura inhortatur. Honorē habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Memor esse enim debes, quæ & quanta pericula passa sit, propter te in utero suo. Et. Retribue illis, quomodo illi tibi.

Et cum animum tuum in amore parentum tantorum meritōrum memoria obfirmaueris, etiam externam reuerentiam illis exhibere non omittes: honorificè & comiter eos appellabis, assurges, cedes loco, & velut anguem vitabis seu verbum, seu gestum, quo parentum tuorum animos exulcerari posse senseris. Non contristes parentem

sti, aut alio casu suis nudati fortunis, egere cœperint, alimentis & vestitu honorandi & sustentandi sunt tuis impendiis: quoniam & ipsi non sine sumptu & labore, tenebram ætatem tuam ad hoc robur perdixerunt. Cùm ad querendum victum tibi per ætatis infirmitatem non sufficeris, tibi laborabant parentes. Quam vicem, nisi illis reuuleris præceptum Domini de honorandis parentibus, dubio procul, violasti. Vnde Christus sinistram illorum pietatē acerbè redarguit, qui parentibus victum subtrahentes, donaria templo conferebant. De fame parentū Deus munera non requirit, elemosynas non suscipit. Domi beneficentiam tuam exerce, & domesticis tuis, maximè parentibus, prospice, priusquam liberalitatem tuam (fortè magis gloriæ cupiditate, quàm studio pietatis) extra domus tuæ parietes protendas.

*Mát. 15.
1. Tim. 5.
Dome-
sticis in pri-
mis bene-
faciendū*

Infirmissis parentibus tui corporis ministerium accomodare debes, humeris tuis ad ægritudinis solatium de loco in locum transferre, lectum sternere, lauare. Nam & illi te infantulum gestauerunt, lauerunt. Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi Dominis seruiet his, qui se genuerunt, opere, & sermone, & omni patientia.

Eccle. 3.

Si morosi & deliri esse cœperunt, ne sic quidem Maiestatem parentum obliuisci, aut ex animo tuo dimittere debes. Non quales parentes, sed quòd parentes sint attendens, eorum morositatem aut insipientiam tolerantia vince. Nam ipsi quoq; olim tuam loquacitatem: & inrepeptuos fletus, & tuam stultitiam puerilem, tolerauerunt. Filii suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua.

Ab hac parentum obseruantia, sola nos in Deum pietas abducere debet, si quando à dilectione & cultu Dei, parentum affectus nos retrahere nititur. Tunc enim repudiandus est honor parentum, si à vero Patre nos separare intendit. Non pluris pendere debent parentes, quòd ipsi te genuerunt, quàm quòd eos Deus tecum creauit & redemit. Tãdiu ergo sanguinis copulam in illis agnosce,

& ius

& ius illis carnalis propinquitatis persolue, quàm diu ipsi tecum Creatorem suum agnoscunt, & honorem illius lætam conferuant. Quòd si à Deo te abducere, aut contra Dei voluntatem te impellere occeperint, desertis parentibus, Deo te coniunge. Solum est pietatis genus, sic in parentes esse crudelem. Si enim officium est exhibendum parentibus, quantò magis auctori parentum, cui etiam gratiam pro parentibus debes? Talem parentum neglectum docuit Christus. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem suam, & vxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam: non potest esse meus discipulus, Matth. 10. Luc. 9. 14. Act. 5.

*Hiero. ad
Heliodo-
rum.
Ambro.
in Luc.*

Sed vicissim à parentibus is affectus, eaq; erga liberos suos officia, exiguntur, quibus honorem tantum facile mereantur. Parentes igitur, præter amorem, quem etiam feris animantibus erga suos fortis natura inseuit, & præter illas educationis molestias, liberis suis piæ institutionis curam debent, vt instruant eos in disciplina & correptione Domini, idq; faciant non iracundo aut amarulento animo, ne pueri disciplinam, priusquam utilitatem eius senserint, odisse & refugere incipiant: Austeritatem Imperij, affectu lenitatis temperent, & delinquentes sic obiurgent, vt correctos malint, quàm punitos, & magis à futuris delictis conentur eos abducere, quàm pro admisis supplicium exigere. Hoc Apostolus monet. Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini. Et. Patres nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.

*Quid pa-
rentes fi-
lius debeant*

Ephe. 6.

Col. 3.

Ephe. 6.

Sed vt nimia austeritas pusillanimes, sic nimia indulgentia proteruos facit, & ad omnia vitia fenestram eis aperit. Atq; hic præpostera parentum cura merito reprehenditur, qui de diuitiis, quas relinquunt filiis, solliciti castagunt, de formandis eorū moribus, curam omnè abiiciunt: nõ secus, quàm si medicus circa vestè ægroti sarcinendam occupetur, & sanitatem eius negligat: anè ad venatum institutendū, uò nisi eius rei perito tradunt: quibus tenebram puerorum ætatem formandam submittant, pensati non habent.

*Parentū
erga libe-
ros præpo-
stera cu-
ra.*

habent. Agricolaë, si fundum negligètia sua corrupat, grauius irascuntur: filium, quem fundo hæredem nuntiant, omnibus vitis corrumpi æquis animis aspiciunt. Equum à prima mox ætate frenis domare sollicitè curant, ne fortè (inquiunt) robustior factus, frenum non recipiat: filios eo vsque negligunt, dum grandes facti, disciplinã iam non sustineant, immemores scripturæ commendentis. Equus in domitibus euadet durus: & filius remissus euadet præceptis. Lacta filium tuum, & pauentem te faciet. Lude cum eo & contristabit te. Non des illi potestatem in iuuentute, & ne despicias cogitatus illius. Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera illius dum infans est: ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.

Eccle. 30.

- i. Re. 2. 4* Negligentiam paternæ disciplinæ in Heli sacerdote, alioqui iusto sene, grauißima pœna vindicauit Deus: qui vindicta diuina correptus eo, quod filios perditis moribus haberet, de sella ruens, fractis ceruicibus miserè periit. Vicissim Abraham Deum sibi valde demeruit, quod præcepturus esset filiis suis, & domui suæ post se, vt custodirent viam Domini, & facerent iudicium & iusticiam. Et parentes Susannæ, cum essent iusti, erudierunt filiam suam secundum legem Domini.
- Gene. 19.*
- Dan. 13.*

Adhuc truculentiores in pueros (non parentes, sed homicidæ) sunt, qui teneræ ætati reuerentiam non habentes, nec in rebus turpibus puerorum conscientiam metuentes, malis exemplis, & obscœnis ac turpibus sermonibus, liberos suos deprauant & perdunt. Qui offensiois huius diras pœnas sustinet, ut, si pueros à Deo traditos, quos ad eius honorem instituere, & tandem Deo reddere, cura sua deberent: ipsi eos à se deprauatos, ad omnem turpitudinem instruant, & tandem æternæ damnationi subiiciunt.

Qui nomine parentis in-
Iam honor parentibus debitus, in illos etiam extendendus est, qui nobis loco sunt parentum. In quorum numero, primi sunt patres spirituales, qui per ministerium Ecclesiæ, in Christo Iesu nos regenerant: quibus ob-
tionis

tionis suæ, quam gerunt, dignitatem & vtilitatem. parentem, imò excellentiorem, honorem & gratiam debemus. *telligedi. Patres spi rituales.* Per hos viuimus homines: per illos Christiani. Hi nos huic seculo: illi cælo genuerunt. Per hos vitam accepimus, & breuem, & multis molestiis obnoxiam: Illi nobis vitam æternam, & omnis luctus & doloris expertem, offerunt possidendam.

Illis vel præcipuum honorem debemus, quod omnium eorum functio sit quædam diuinæ operationis representatio. Sive enim verbum pronunciant, sive Sacramentã dispensant, Christi vicem sustinent, & eius ministerium obeunt: & non planè homines loquuntur aut operantur, sed Deus per homines cuncta & loquitur & operatur. Sicut me misit Pater, ait Christus, ita mitto vos. Et. Non vos estis, qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri loquitur in vobis. Et. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Et. Pro Christo legatione fungimur, tanquã Deo exhortante per nos. In illis se Deus aut honorari aut suscipi, aut reici & contemni, protestatur. Non te (inquit) abiecerunt, sed me. Et. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. De illorum honore scriptura nobis præcipit. Et homo quicumque fuerit in superbia, vt non exaudiat Sacerdotem aut iudicem, quicumque fuerit in diebus illis, morietur homo ille. Et. Ex tota anima tua time Deum, & Sacerdotes eius sanctifica. Et iterum. Honora Deum ex tota anima, & honorifica Sacerdotes eius. Et Paulus. Qui benè præsumt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime, qui laborant in verbo & doctrina. Et. Rogamus autem vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant in inter vos, & præsumt vobis in Domino, & moneant vos: vt habeatis illos abundantiùs in charitate propter opus illorum, & habete pacem cum eis. Sed & mali Sacerdotis honore violandum aut saggillandum, neque Christus neque Paulus censuerunt, cum vterque iniuste cæsus ante tribunal Pontificis, ille nihil contumeliose locutus in personam iniusti

Ioan. 20.

Matt. 10

1. Cor. 4

2. Cor. 5

1. Reg. 8.

Luc. 10.

Deut. 17.

Eccles. 7.

1. Tim. 5

1. Thes. 5

Ioan. 18.

Act. 23.

Ponti-

Pontificis, suam modò innocentiam tutatus est: hic etiam austerius verbum excusauit. Nesciebam fratres, quia princeps est Sacerdotum. Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.

Exod. 22

Pariter & quæ ad victum necessaria sunt, debemus Sacerdotibus propter opus illorum. Nemo enim suis stipendiis militare cogitur. Et. Dignus est mercenarius mercede sua. Et. Si nobis spiritualia seminauerint, magnum est, si carnalia nostra metant: Et Paulus iubet sic subseruire Præpositis, vt cum gaudio laborent, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.

1. Cor. 19

Luc. 10.

1. Cor. 9.

Heb. 13.

Heb. 3.

Et in primis obedientia erga Sacerdotes à nobis exigitur, quia negotium Christi agunt. Obedite Præpositis vestris (ait Paulus) & subiacete eis: ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Illorum muneris est, publicè flagitiosos & contumaces excommunicationis gladio ferire: quorum auctoritatem si quis contempserit, à fidelium communionem alienus, & velut Ethnicus habendus est, Matth. 18.

Quid debeant Sacerdotes suis subditis.

Sed vicissim Sacerdotes subditis suis affectum parentum & sollicitam curam debent, ne quis negligentia illorum de Christi Ecclesia pereat. Illius summi Pastoris formam habent, quam sequantur, qui pro salute ouium, animam impendere, & sanguinem profundere, non dubitauit: Sic ipsi quoque gregem Christi verbo & exemplis sollicitè pascant, & intendant Ecclesiæ, Christi sanguine redemptæ, & peruigilant, quasi pro animabus illorum, qui suæ curæ commissi sunt, rationem coram Deo reddituri, Ezech. 3, 33. Act. 20. 1. Pet. 5. Heb. 13.

Magistratum officium & utilitas.

Proximè succedunt Magistratus ciuiles, quorum officio non modò ad corporum & externarum rerum tuitionem: sed ex quadam portione, etiam ad animarum salutem promouendam, utilis & necessaria est. Siquidem in Repub. ciuili Religio, quasi in alieno hospitio, commoratur. Dum autem foris pax & tranquillitas viget in Repub.

Repub. tunc commodius pietas colitur: & cætera, quæ religionis sunt, feliciore successu geruntur. Igitur externa pax ad profectum religionis expetenda & conseruanda est. Honorare itaque Magistratus, & quasi munus ad utilitatem nostram diuinitus datū complecti, debemus: quorum beneficio publica pax & tranquillitas durat, leges vigent, societates & commercia hominum conseruantur. Bonorum innocentia à violentia improborū tuta manet, ius suum vnicique conseruatur illæsum. Domus, vxor, liberi, bona, & corpora nostra, ab iniuriis & contumeliis vindicantur: & dum foris quies retinetur, Deus à piis cū omni pietate & castitate colitur. Propter hæc tantingentia & vtilia beneficia, quæ per officia Magistratum diuinitus exhibentur, Deus erga Magistratus gratitudinè à nobis reposit. Primò honorem, quem illis, nõ vt hominibus, sed vt Dei ministris deferre debemus: Sicut Petrus Apostolus nos cõmonet. Regem honorate. Deinde animi beneuolentia requiritur erga Magistratus, vt pro salute eorum in orationibus excubantes, felices successus illis, pro publica tranquillitate retinenda, exorare non cessemus. Obsecro igitur primò omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarū actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt: vt quietam & tranquillam vitam agamus. Vbi non dissimulat Apostolus, pacem publicam ad pietatis & religionis profectum expeti debere, vt dū tranquillitas officio Magistratus continetur & viget in Rep. negotium fidei successu meliore currat. Ideoque, etiam si impij contingant Reges, & scelerati Magistratus: tamen pro vita & felicitate eorū, rogandus est Deus à pietatis cultoribus, eò quòd cum pace Reip. etiã pax Ecclesiarū periclitetur & turbetur. Vnde per Prophetã Hieremiam Deus Iudæos in Babylonè abductos monet, dicens. Quæ rite pacem ciuitatis, ad quam vos transmigrare feci, & orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit vobis pax. Et Baruch, & qui cum eo in Babylone detinebantur captiui, sub Imperio Regis Nabuchodonosor, miserunt pecunias Hierusalem pro holocaustomatibus, ad offerendum pro peccatis, & ad deprecandum pro Regibus, sub quibus capti

Magistratibus debetur Honor.

1. Pet. 2. Amor.

1. Tim. 2

Hier. 29

Baruch. 1

captiuitatem tolerabant. Sic enim scribunt fratribus suis. Orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babyblonis, & pro vita Balthasar filij eius, vt sint dies eorum sicut dies cœli super terram: & vt det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos nostros, vt viuamus sub vmbra Nabuchodonosor Regis Babylonis, & sub vmbra Balthasar filij eius, & seruiamus eis multis diebus, & inueniamus gratiam in conspectu eorum.

*Obedien-
dum Ma-
gistrati.*

Obedientia quoque præstanda est Magistratibus. Nam Dei ministerium gerunt, & non hominis iudicium exercent, sed Domini. Vnde atrocis criminis reos, & graui iudicio obnoxios fore, comminatur Apostolus eos, qui Magistratui resistere audent: quoniam non homini, sed voluntati & ordinationi Dei obnituntur. Omnis anima (in- quies) potestatis sublimioribus subdita sit. Nō est enim potestas, nisi à Deo: quæ autē sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit, potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Et ad

Rom. 13.

Tit. 3.

Rom. 13.

Tit. Admone illos Principibus parere. Et Petrus. Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum: laudem verò bonorum. Huc pertinet & illud Apostoli, quod iubet nos subdi Magistratibus, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: Id est, vt non solum hoc caueamus, ne delinquentes Magistratum ad penam temporalem nobis infligendam prouocemus, sed ne Dei irā concitemus. Non enim qui manus hominum effugit, mox etiam Dei vindictam euasit: sed plerunque fit, vt flagitiosi homines, vbi se iam euasisse sperēt, occulto Dei iudicio ad meritas penas retrahantur.

Tributa Hæc obedientia etiam corporalia officia, & quæcun-
Magistra que ad Respub. gerendas necessaria sunt, includit: Vt
tibus sol- sunt, militare, aliaque opera à Magistratibus ad Reipub.
uēda sunt utilitatem imperata facere: tributa & vectigalia soluere,
Matt. 22 & sumptus ad defensionem Reipub. necessarios sugge-
Matt. 17 rere. Date (inquit Christus) Cæsari, quæ sunt Cæsaris: &
Deo

Deo, quæ sunt Dei. Et ipse exigentibus vectigal soluit. *Rom. 13.*
Idem nos Apostolus facere iubens, ait. Reddito omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.

Si contigerint boni & æqui Magistratus, qui suum munus fideliter administrent, hi velut preciosum Dei munus totis viribus amplexandi & honorandi sunt. Si verò fuerint iniusti & mali, qui honestatem & iustitiam oblici, ad libidines & iniurias se conferant, qui miseram plebem iniustus exactioibus expilent: tamen sic quæque honorandi sunt propter Deum, qui ordinauit eos, & toleranda est illorum improbitas, ne pax publica dissipetur. Cogitandum nobis propter peccata populi, excitari Regem hypocritam, & Deus rogandus, vt mentem illis largiatur meliorem: interim omnis iniuria propter Deum sufferenda, & per patientiam & modestiam superanda est. Sic Petrus iubet, non solum bonis & modestis Dominis, sed etiam discolis subiici: Siquidem hæc est (inquit) gratia, si quis propter Dei conscientiam, sustinet tristitias patiens iniuste.

Iob. 34.

1. Pet. 2.

Et hæc Magistratibus passim debemus, nisi dum ingrata Deo præcipiunt, tunc illis occinendum: Obsequere Deo oportet magis, quam hominibus. *Act. 5.*

Ad Magistratus pertinet, vt sine iusti tenaces, & ab omni cupiditate & auaritia alieni, vt se plebi patres, non Dominos, præstent: memores eius, quod sapiens monet. Principem te constituunt, noli extolli: esto quasi vnus ex illis. Legum se ministros meminerint, ideoque ab omni iniustitia ipsi adeo primi procul recedant, non concutiant subditos violentia, non nimiam ocioforum turbam post se trahant, inutiles sumptus vitent: ne cogatur grauius exactioibus plebem emungere, viduas & pupillos ad diram famam redigere. Qui tamen potentia freti, hominem non vereantur: tamen Dominum se in cœlis habere meminerint, qui administrati muneris eorum ex-

*Magistra
sum gerēs
qualis es-
se debeat.
Eccle. 32.*

Sap. 6. Etiam rationem pofcere, & potentium iniurias potentioribus fuppliciis punire, proculdubio, non omittet.

Præcepto Eximiam etiam gratiam debemus Præceptoribus no-
res hono- ftris, qui animos, difciplinis excolendo refingunt nos, &
ranti. quali denuo pariunt, & nos quali ex beftiis homines faciunt.

Patresfa- Habent & Patresfamiliâs quandam paterni iuris fim-
miliâs. litudinem in familiam fuam, ideoque honorem, reuerentiam, & obedientiam, erga Dominos à feruis fedulo expoſcit Apoftolus. Serui obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto, non ad oculum feruientes, quali hominibus placentes: ſed vt ſerui Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſeruientes ſicut Domino, non ſicut hominibus, Ephe. 6. Col. 3.

Quid Do- Sed vt fidelitatem, & obedientiam, & timorem, debent
mini ſer- ſerui Dominis: ſic hi viciffim ſeruis benevolentiam &
uis debeat æquanimitatem debent, vt non abutantur ſeruis, velut iumentis, nec iniuriis eos opprimant: ſed circa corpus clementiam, & circa animæ ſalutem multam curam exhibeant. Qui enim curam fuorum, maximè domesticorum, non habet: fidem abnegauit, & eſt infideli deterior.

1. Tim. 5. Vnde Paulus ad æquabilitatem, ſeruis exhibendam, Dominos cohortans, ait. Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas: ſcientes, quia & illorum & veſter Dominus, eſt in cœlis: & perſonarum acceptio non eſt apud Deum.

Leuit. 19. Sic autem honore parentum delectatur Deus, vt ipſam etiam ſenum canitiem, quia paternæ dignitatis quandam imaginem præ ſe fert, nobis voluerit eſſe venerabilem. Coram cæno capite conſurge, & honora perſonam ſenis. Et certè meliùs dom parentes honorabūt pueri, ſi aſſueſciant foris ſenibus omnibus honorem deferre.

Qui pec- Itaque præuaricantur hoc præceptum, qui parentes
cent in ſuos

ſuos non honorant. Qui verbis eos, aut ſaltem vultus *hoc præ-* acerbitate, contriſtant. Qui in animo eos deſpiciunt, & *ceptum.* paruipendunt. Qui ſenſum ſuum iudicio parentum anteferunt. Qui mandata eorum non exequuntur. Omnium verò ſcelerum immanitatem vincunt, qui maledictis inceſſunt, aut cõrumeliis afficiunt parentes ſuos. Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur, Leuit. 20. Qui manuſacrilega verberant vitæ ſuæ officinam. Qui percuſſerit patrem ſuum & matrem, morte moriatur, Exod. 21. Qui in egeſtate conſtitutos deſerunt, dicente ſcriptura. Quàm malæ famæ eſt, qui relinquit patrem, Eccleſ. 3. Contumeliam parentum Dominus morte puniendam comminatur: quantò magis famem, quæ eſt ipſa morte grauior!

Similiter delinquent, qui præſidibus Eccleſiæ in iis, quæ ſunt fidei, & quæ ad conſeruandam Eccleſiæ diſciplinam pertinent, morem non gerunt. Qui vtilis & receptas Eccleſiæ obſeruationes, nulla de cauſa, ſed ſola temeritate infringunt. Et qui Magiſtratibus, vel miniſtris à Deo ordinatis, obedire detrectant. Et qui omnino ſuperiorem in iis omnibus, quæ non contra Dei voluntatem iniungunt, non ſic audiunt, vt Deum, cuius hoc mandatum eſt, vt propter ipſum ſuperioribus pareamus.

ET ERIS longæuis ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Diu in carne durare, & vitâ iſtam, tam multis iniuriis & moleſtiis obnoxiam, per longas moras trahere, non magna eſt ſcælicitas, quàm ſibi in longum protendi Prophetæ pro malo queritur. Heu mihi (inquiens) quia incolatus meus prolongatus eſt. Et alius ſe feliciorẽ putat, ſi vitâ illam nunquàm attingeret, ideoque hæc Domini promiſſio ad illius vitæ nunquàm finiendæ ſpem extendi debet, & quicquid præmiij præ honore parentum in hac vita minus exoluitur, in alia vitæ quæ non ſolùm longæua, ſed æterna eſt, vberius reddi- betur. In hac ergo vita ſatis diu vixiſſe putandus eſt, qui vitæ ſuæ ordinem ſic digeſſit, vt ex ea in aliam nunquàm finiendam vitam emigraret.

Pſal. 119

Promiſ- ſio per- uenit ad æ- ternam vitam.

Quamuis multis & hæc vita ex Dei munere, propter honorem parentibus habitum, prolongetur, nec immeritò. Cùm enim vitæ huius munus à parentibus accipiamus, vtique digni sunt, vt accepto munere iucundè & diu perfruantur, qui erga muneris authores gratos se & morigeros exhibent. Itaque parètes suos secundum Dei voluntatem honorantibus, aut hoc datur, quod secundum literà promittitur: aut si differtur, in alia vita datur aliud multò preciosius. Nec est vanus promissor, qui plumbum pollicitus, aurum reddit.

Certè quantacunque homini vita super terram ex Dei voluntate concedatur, quæcunque ad vitæ eius vsum pertinent: vt sunt, dignitates, honor, diuitiæ, rerum omnium successus, & tandem fœlix & honorificus exitus, promittuntur in scripturis his, qui parentes honorant. Contrà verò, immorigeris omnia dira & aduersa obnunciantur. De præmiis eorum, qui parentes honorant, extant testimonia scripturæ. Audi, fili mi, disciplinam patris tui &c. & erit gratia capiti tuo, & torques aureus collo tuo, Proverb. 1. Et. Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam, Eccles. 3. Et ibidem. Qui honorat patrem suum, iocundabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudietur. Et ibidem. Qui honorat patrem, vita viuet longiore. Et ibidem. Honora patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio Domini. Benedictio patris firmat domos: maledictio autem matris eradicat fundamenta. De pœnis verò procacium & immorigerorum filiorum, pleno indignationis impetu passim scriptura concionatur. Con tumacem filium lex iubet à parentibus ad Magistratus accusari & interfici, Deut. 21. Qui patri aut matri maledixerit, aut qui percusserit eos, morte moriatur, Exod. 21. Leuit. 24. Qui affligit patrem & fugat matrem, ignominiosus & infœlix erit, Proverb. 19. Qui maledicit patri suo aut matri, extinguetur lumen eius in mediis tenebris, Præverb. 20. Et. Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, suffodiant illum corui de torrentibus, & comedant eum filij Aquilæ. Nec cessat vindicta diuina in filios præfractos, quæ Absolonem, pa-

tris

tris persecutorem, misera morte absumpsit. Cham, ob patris pudenda denudata, cum tota posteritate maledictioni & grauissimæ seruituti subiecit.

Hoc vt altius insideat hominum mentibus, postremo loco insigendum est, quod nos ad honorem parentum, & colendam pietatem eorù, vehementer commouere, & ab eorum ignominia serio aliter debet, vt meminerimus, parentum voces ex quadam peculiari gratia Dei, parentum officio donata, ad vtranque partem, seu benedictionem seu maledictionem filiorum, efficaces esse: ita, vt sentiant beneficia Dei, quos parentes benedixerunt: & vicissim maledictioni & periculis subiaceant, qui parentum ora in maledictionem sui, impietate sua irritauerunt. Gene. 9. 27. Honoret itaq; pius filius parentes, propter gratiam: ingratus propter timorè. Si pauperes sunt parentes tui, nec habent diuitias, quibus te opulentum reddant: habent tamen vltimæ benedictionis hereditatè, qua te beatum & Deo acceptum, & omnis fœlicitatis capacem, facere queant. Vide Ambros. de benedictionibus Patriarcharum.

P R A E C E P T V M V.

NON OCCIDES.

Posterior Decalogi tabula, iustitiam inter homines exercendam tradens, post parentes, quibus post Deum præcipuus honor & summa gratitudo debetur, sequentibus præceptis cõmuniter ad omnes homines nos dirigit: res hominum ab aliena iniuria vindicans, vt quæque homini preciosissimæ & charissimæ sunt. Vnicuique autè corpus suum charissima possessio est, ad cuius tuitionè pertinet præceptum de non occidendo, quod omnem iniuriam, qua corpus & vita proximi impetitur, ab hominibus vult seclusam. Deinde vxor, quasi corporis coniunctissima portio, homini vt propria vita, aut certè post vitam

Summa
præcepto:
rum secu
dæ tabule

P iij tam

tam charissima est: hanc ab aliena contumelia vindicat lex. Non mæchaberis. Tertio loco succedunt pecunia, quæ homini ad tuendam uitam, & dignitatem suam, necessariò seruiunt: harum incolumitati lex de prohibitione furti, consulit. Et vt omnes inter homines iniuriæ cefent, etiam calumnias & falsa testimonia lex inhibet, quibus aut fama proximi suggillatur, aut res & vita in discrimen adducitur.

Vis præcepti Quinti.

Hoc præcepto vitam & corpus proximi tueri ab iniuria Legislator intendit. Sed cum lex spiritalis sit, & non solum externo opere, sed magis internis animi affectibus adimpleatur: ad plenam huius præcepti obseruationem requiritur, vt non solum manus à cæde & effusione sanguinis contineamus, sed vt iram & inuidiã ex animo prorsus eiiciamus.

Humanæ leges gladio accinctũ comprehendi iubet, & puniunt, etiã in cæde non deprehensam. Nam data occasione, videtur ad homicidiũ propensus & paratus, qui gestat gladium: sic Deus ab homicidij reatu nõ absoluit hominem, nisi vbi omnes affectus ex animo deposuerit, qui per occasionem ad cædem impellere queunt.

Itaque qui dixit, Non occides, nõ hoc quærit solum, ne homo in proximũ suũ crudeli manu desquiar: sed hominẽ ab atrocissima iniuria & extrema malitia, vsque ad summam animi mansuetudinem, & perfectissimam pacem, traducere tentat.

August. de sermo. Domini lib. 1.

Deterrima iniustitia & extrema malitia est, qua homo necem molitur proximo, nulla eius iniuria prouocatus. Summa mansuetudo & perfecta animi tranquillitas est, post acceptam iniuriam, sic ab omni vindictæ cupiditate alienũ esse, vt ad ampliores iniurias accipiendas propensa voluntas adsit. Inter hanc extremã iniustitiã, quæ est, Iniuriam aut cædẽ vltro inferre: & hanc perfectã iustitiam, quæ est, Iniuriis alienis nõ moueri, & mali inferenti non resistere, gradus quidã interfunt, quibus à summa iniustitia recedentes, ad perfectã iustitiam magis magisque

Gradus in hoc præcepto.

gisq; propinquamus. Ab extrema iniustitia aliquantulum *Primus* deflexit, qui ab inferenda alteri iniuria sibi temperat: læ *gradus.* sus tamen ab alio, in vindicando modum excedit, & lædentem grauius vlcisitur, quàm ipse fuerat læsus. Longius recessit ab iniustitia, qui æqua talione contentus, sic *Secundus* lædentem vlcisitur, vt iniuriam vindicta non superet: *gradus.* talem iustitiam lex præscribit. Oculum pro oculo: dentem pro dente. Quæ in hoc bona & iusta est, quod humani animi furorem compefcit, quo plerunq; homines cum læduntur, ira perciti, modum in vindicando non tenent. Et hæc iam non seuera, sed misericors est iustitia, & quæ ei, qui prior læsit, multum condonatur. Damnum enim modò, quod in tulit, rependitur: sed malitia, qua immerentem lædere sustinuit, cõdonatur. Neque enim æquali poena digni sunt, nocens, qui prior iniuriã fecit: & innocens, qui iniuriam passus est. Propinquior ad perfectam iustitiam gradus est, cum quis minorem, quàm accepit, læsionem rependit: pro vulnere alapam impingens, aut pro oculo eruto, aurem abripiens. Adhuc altiore am conscendit gradum, qui læsus omnem vindictam remittit, nulli malum pro malo reddens. Ex hoc demum gradu, ad consummatam animi tranquillitatem, & perfectam iustitiam, conscenditur, cum quis iniuriam sibi irrogatam, non solum non rependit: sed nec resistit quidem, quo minus amplius irrogetur. *Tertius gradus.*

Ad hanc perfectionẽ Christus absolutæ virtutis Magister inducit. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram. Et hoc ad misericordiam pertinere hi sentiunt, qui his, quos maxime diligunt, ægotatibus & phreneticis seruiunt, à quibus cum sæpe verberentur, non tamen reuerberant: sed animo tranquillo vltiora verbera recipiunt, patientia illorum importunitatem superantes, donec infirmitas transeat. Sic imperfecti & imbecilles sunt omnes, qui ad inferendam iniuriam proni sunt: quorum saluti hi, qui perfecti sunt, aliter consulere non possunt, nisi vt imbecillitates eorum æquo animo tolerant, donec illorum improbitas, horum patientia sanetur, *Mat. 5.* & malum illorum in bono vincatur. *August.* *Rom. 12.*

Talem animi mansuetudinem exegit, qui iussit nō occidere: qua prohibitione illud bonum, quod est cædi contrarium, seriuo requirit. Non occides, sed seruabis. Non eris in proximum crudelis, sed mitis. Hoc enim præceptis suis quærit Deus, vt nos sibi quim simillimos reddat, *Matt. 5.* dicete Domino. Estote ergo perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est. Sed Deus bonitate & patientia summè commendatur. Sunt enim miserationes eius super omnia opera eius, qui pro nostris sceleribus non solum vindictam suspendit: sed beneficia sua super præuaricatores cumulat.

Vult ergo te sibi similem esse, vt prouocatus iniuria, be neficiis certes, vt non sis in proximum tuum durus, asper, amarus, difficilis, iracundus, intractabilis: sed bonus, mitis, benignus, suauis, mansuetus, clemens, patiens, facilis, tractabilis.

Sic Christus hanc de non occidendo prohibitionem, non solum ad manum à cæde continendam, sed ad internos animi affectus comprimendos retulit, qui per occasionem ad cædem erumpunt: & nisi ipsi maturè occidantur, occidunt. Audistis, quod dictum est antiquis, Non occides. Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autè dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, Racha: reus erit con filio. Qui autem dixerit, Fatue: reus erit gehennæ ignis.

Matt. 5.
Affectus
animi
prohiben
tur.

His modis omnibus homicidium committitur, sed in reatu gradus sunt, sicut & in pænis erunt. Primus gradus est irasci, quatenus tamen motus ille suboriens in animo continetur, & animus ad vindictæ cupiditatem incendit & stimulat. Huic subiiciuntur omnes malæ cogitationes, cum matre earum irascibili potentia: vt sunt, inuidiæ, odia, dissensiones, æmulationes, suspitiones malæ, amaritudines. Secundus gradus est, cum animi commotio vehementior vocem internæ indignationis indicem extorserit, quam Christus Racha appellat. Huc pertinent omnia irati animi signa, quibus homo indicat, in animo se

se fratri male velle: vt sunt, labra mordere, quassare caput, frontem attrahere, vultu expandescere, naribus sufflare, toruum intueri, non salutare, aut salutationes non reddere. Tertius est, cum iratus in vituperationem verborum erumpit, & manifestis conuitiis proscindit fratrem, quibus aut fama fratris, aut corpus eius, lædatur. Huc adnumerentur omnis generis conuitia, maledictiones, detractiones, delationes, & vniuersa terciæ linguæ mala. Vltimus gradus est, cum quis animi vitio superatus, manu cædem perficit.

Cōtume-
lia verbo
rum.

Læssio.

Gal. 5.

Sed cum Apostolus iram, odium, inuidiam, quæ sunt primi ordinis, æternis suppliciis digna pronunciet, sentendum est, omnes istos gradus, quos Christus posuit, supplicio gehennæ ignis subiiciendos: Sed tamen differentias pœnarū fore, vt grauius puniatur, qui grauius deliquerit, videlicet, vt pœnam quidem gehennæ ignis sustineat, qui fratri iratus fuit: sed leuiorem tamen, quam is, qui aut conuitiatus est, aut qui occidit fratrem.

Differen-
tia pœna-
rum pro
qualitate
delictorū.

Vult itaque Deus non solum manum à cæde contineri, sed animum ab omnibus affectibus, ad læsionem proximi propensis, prorsus emundari, & contrariis virtutibus imbui: vt discat homo, omnem vindictæ cupiditatem vitare, & in hac tranquillitate animi prorsus confirmetur, quæ Dominus docet. Ego dico vobis, non resistere malo.

Math. 5.

Vt ergo huic præcepto iuxta Christi explanationem satisfaciamus, principio à nobis requiritur summa animi tranquillitas & mansuetudo, vt asuescamus in potestate animam habere, nec patiamur vlla iniuria nos deiici à stabilitate mentis: vt non modò reipsa non incommodare proximo, aut verbis eum exulcerare, sed ne quidem malum ei cogitare, in animum inducamus. Quod nos obseruare admonet Apostolus, ne vnquam prouocati alienq; iniuria, ad redhibendam talionem procurramus: sed abiecta vindictæ cupiditate, solitam animi tranquillitatem retineamus. Nulli, inquit, malum pro malo reddentes: Prouidentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram

Rom. 12.
ram

ram omnibus hominibus : Si fieri potest , quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes : Non vosmetipsos defendentes charissimi.

Matt. 5. Deinde, si dissensiones animorum subortæ fuerint, summum refarciendæ concordiaë studium nobis iniungitur. Si offers munus tuum ad Altare (inquit Christus) & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Hoc est, nullo quatumuis certæ pietatis exercitio, ab redintegranda cum fratre concordia, te patiari impediri: quin si quid etiam pij operis institueris, & interim offensus fratris tibi in mentem venerit, intentionem animi ab incepto opere ad fraternam reconciliationem desectas, & aut præsentem lenire humili satisfactione coneris: aut, si absens est, feruentis dilectionis affectu ad eum curras, te illi animo prosternas, & delicti veniam ab eo intimis animi desiderijs sub oculis Dei preceris: & tunc veniens, offeres munus tuum: tunc mente ad institutum reuersus, opus tuum ritè perficies, quod tunc erit Deo gratissimū, si ab integra charitate fuerit profectum.

Matt. 5. Similiter & patientiam & longanimitatem hoc præcepto requirit Deus, vt alienas iniurias tolerantia & mansuetudine vincere studeamus, ne vnquam nos pigeat, pro emendatione proximorum, à quibus damno aut iniurijs affecti sumus, etiam ampliores in nos iniurias recipere, si hoc ad correctionem & salutem illorum expedire videamus. Si quis te in maxillam dexteram percusserit, præbe illi & alteram. Et ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere: dimitte ei & pallium. Et quicumq; te angariauerit mille passus, vade cum illo alia duo.

Nec statim deficiamus in patientia nostra, aut à mansuetudine decidamus, si semel aut iterum lenitatem nostram experti, tamen non corriguntur: sed inuicta animi mitate & patientia sufferamus eos, donec emendantur: & interim emendatione eorum, sedulis apud Deum precibus

cibus adiuuemus. Orate pro calumniantibus & persecutibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est: qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.

Insuper benignitatem & beneficentiam in proximos nostros, hoc præceptum à nobis exigit, vt non solum in non eripiamus, aut iniurijs acerbam faciamus proximo vitam suam. sed beneficijs vitam illi conferuemus, & vnde commodius viuat, illi de nostro tribuamus, iuxta Christi commonitionem. Qui petit à te, da ei: & qui vult mutuari à te, ne auertaris. Et ne hæc beneficia nostra tantum amicis deberi putaremus, etiam de inimicis adiuuandis, & diligendis, disertè præcepit. Diligite inimicos vestros (inquit) & benefacite his, qui oderunt vos.

Etia inimicis benefacendum.

Videmus, ad quantam perfectionem nos eniti Deus velit, quam cum in tâta naturæ nostræ deprauatione, ex nostris viribus præstare nequaquam valeamus, hoc præceptum nos admonet, vt lenem illum Christi Spiritum nobis dari, indefinentibus precibus à Deo flagitemus. Non quidem omnes dānabuntur, qui istam perfectionem non attigerint: hi tamen, qui infra illam substiterint, sciant se non suis meritis, sed Domini misericordia, saluandos.

Quantam perfectionem hoc præceptum exigit.

Porro in hoc præceptum omnium grauissimè delinquant, qui manu cædem faciunt, qui humanum sanguinē fundunt, & proximo vitam (nobilissimum Dei donum) crudeli violentia extorquent. Quo nullum aliud in hominem cadere potest scelus immanius, aut à natura eius alienius. Vt quid homo bella & cædes non horret? quem Deus inermem, & ad pacem modò & societatem colendam idoneum, fecit? Quibus enim rebus Deus hominem à natura instruxit, hæc illum ad cædem proximi nequaquam adiuuant: Nisi is, qui ab initio homicida fuit, nouis te armis induisset, quæ à bono Creatore tuo tibi negata sunt, ad cædem fratris instrumētā tibi desuisent. Pro vnquibus, quos tibi Deus negauerat, Diabolus manus tuas gladio, & cuspidē, & iaculis, armavit. Pro molli

Qui peccet contra hoc præceptum. Homicidium immane peccatum. Homo à Natura ad pacem compositus.

Diabolus cædis author,

cute,

cute,quam Deus tibi pacis hortatricem dederat, thorace te Diabolus circumcludi docuit,& profus,vt bellator & peremptor fratris esse posses,alium te crudelis homicida Diabolus facit,quam qualem Deus, pacis amator & charitatis author,condidit,

His,qui voluntariam cædem perpetrant,pœnam mortis irremissibilem Deus sanciuir, Gen. 9. Quicumq; effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius, Exod. 21. Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias: ab Altari meo auelles eum, vt moriatur. Huius pœnæ seueritatem Christus approbauit. Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt. Et vsq; adeo res abominabilis est homicidium, vt etiam ante legem scriptam homines iudicarent morte dignum, qui vitam alteri admississet. Sic iustissimam in se sententiam Cain homicida protulit, qua se dignum iudicauit, vt cædem pateretur, qui cædem fecisset. Omnis, qui inuenerit me, occidet me. Et Rebeca ait. Cur orbabor vtroq; filio in vno die: sentiens fore, vt & Esau occideretur, si Iacob fratrem suum peremisset.

Mat. 26.

Gen. 4.

Gen. 27

Qui casu occidit hominem, quando reatu homicidii non teneatur. Magistratus occidendo sonites non peccant.

Ab homicidij tamen pœna liberauit mitis Deus eum, qui aliud agens, contra voluntatem suam casu hominem occiderit. Sic & ciuiles leges liberant eum, qui dū licitæ rei dat operâ, interuenientē casu occidit. Secus est, si quis rē illicitā aut vanā incuria administrans, alicui vitā admittit.

Similiter Magistratus, capitis supplicio fontem puniēs, in hoc tamē præceptum non delinquit, quod non tam ipse, quam ipsius ministerio lex & iustitia trucidet flagitiosos. Exercet enim non hominis, sed Dei iudicium, vindictam diuinitus imperatam administrans in terrorem malorum: laudem verò bonorum. Ad cædem igitur diuino mandato vrgetur Magistratus, & peccat, si in Domini vindicta exercenda segnem se & ignauium præbuerit. Et si fontem dimiserit impunitum, sine dubio, scelerum societate pollutus, grauissima Dei offensa se onerat, comminante scriptura. Quia dimisisti virum dignum morte de manu

manu tua: erit anima tua pro anima eius. 3. Reg. 20. In vtranq; partem æquali detrimēto iustitiæ peccatur, cum aut fontibus parcuritur, aut insontes morte & iniuriis & dānis afficiuntur. Sicut enim Dei iustitia per ministerium Magistratus, tutam esse vult bonorum innocentiam: ita vult sceleratos puniri & tolli. Vnde clamat lex. Non parces, sed tolles malum de terra.

Sic in exercēda Domini vindicta, seu eri fuerunt etiam iusti homines, quoties aut aperto Dei mādato, aut tacito Spiritus Dei instinctu, ad necem sceleratis infligendam inuertantur. Sic Moyses, omnium hominum mitissimus; cruentam cædem fecit. Et Helias sacerdos Baal, & milites Achab, igne de celo petito absumpsit. Phinees confossis adulteris, Deum sibi demeruit. Et Petrus Ananiam & Sapphiram sola obiurgatione extinxit. Quæ exempla magis eò pertinent, vt sciamus, sine peccato occidi eos, quos ad pœnam, exigente criminum suorum merito, diuina iustitia deposcit, quam vt quisquā ad priuatæ vindictæ excusationem, nisi talibus Sanctorum factis velit. Nam & discipulos suos nullo Dei mandato, sed propria cupiditate, ad vindictam pronos, & Helix exemplū proferentes, Christus increpauit. Nescitis cuius Spiritus estis vos? Luc. 9.

Gen. 32.

3. Reg. 18

4. Reg. 1.

Num. 25.

Act. 5.

Luc. 9.

Proinde Magistratus sollicitē curent, ne vnquam in irrogandis pœnis suos affectus, sed semper legum præscripta sequantur: nec priuata in reos odia exercent, sed læsam modo iustitiam vindicent. Nā qui prætextu legum suas cupiditates vlciscitur in reo, aut atrociorē pœna, quā lex permittit, suæ iræ indulgens, fontem affixit: homicidium facit, etiam si morte dignus sit, quem occidi iubet.

Debent Christiani Magistratus salutare medicos imitari, qui sectione prius non vtuntur, quam tentatis omnibus remediis, vident, morbum aliter tolli non posse: Sic illos humani sanguinis parcissimos esse decet, & mortis supplicium, non nisi in euitabili legum Imperio coactos, irrogare.

Qui

Vim vi re Qui alterum inuadit, mortem ei intentans, si impetitus aliud effugium reperire non potuit, & certam mortem pellere licet. exitio inuadentis à se repulit: is, qui inuasit, non ab homine, sed ab ipsa lege videtur occisus, quæ permisit vim vi repellere.

Quando sine peccato licet occidere. Et quæcunq; tandem cædes hominum permissu legum sunt, eadem etiam inter Christianos & à Christianis sine peccato exercentur: quoniam Christus ius naturæ simul & ciuiles leges passim approbavit, & earum gubernationi suos subdi voluit, modò vbiq; voluntas lædendi proximi, & priuatæ vindictæ cupiditas, abfit: à qua suorum animos Christus voluit esse immunes & alienissimos.

Bellum an licite geratur. Hinc etiam in bellis, quæ iustus de causis suscipiuntur, & legitimo modo geruntur, homicidia ad peccatum non imputantur. Nam si bella (quæ sine cæde geri impossibile est) sine peccato geri non possent, Ioannes militibus consilium salutis sciscitantibus, armis prorsus interdixisset: deserere militiam, neminem vulnerare, neminè percutere, aut occidere, iussisset. Sed quia sciebat iustus bellis milites non homicidas, sed ministros legum: non priuatarum iniuriarum ultores, sed publicæ salutis defensores esse, militiam illis, vt iustam, & licitâ, & vtilem permisit: contentus eos admonuisse, vt neminem concuterent, nulli calumniam facerent, sed suis stipendiis contenti, militarent. Itaq; qui militandi ordinem præscripsit, militiam approbavit. In eundem modum Christus, Cæsari tributum soluere iubens, bellare permisit: quippe cum in vsum belli tributorum redditus ab Imperatoribus expèdi soleat.

Inustum bellum. Hoc ergo solum attendi debet, vt sit iustum bellum. Quòd si bellum fuerit iustum, tunc vtrùm aperta pugna an per ansidias hostis vincatur, ad iustitiam nihil interest, & sine peccato ad victoriam perdamna & cædes resistentium penetratur.

Iustum autem bellum censeri debere, quòd ad atrocitiam & seditiones cohibendas, & ad comprimendam omnem improborum violentiam, siue mandante Deo, siue legitimo

Aug. de sin per Iosue lib. 6. cap. 10. legitimo Magistratu iubente, suscipitur. Est enim hæc iustitiæ exercendæ non infima functio, ad quam Magistratus ex officio tenentur, vt non modò priuatorum hominum malitiam compefcant, sed publicas etiam iniurias vlciscantur aduersus ciuitatem aut gentem, qui vel suorum improbitatem punire negligunt, vel ea, quæ per iniurias abstulerunt, repetentibus reddere abnuunt.

Deut. 16. Sed hic viderint Principes, vt iuxta Scripturæ commo- nitionem, quòd iustum est, iuste exequantur: & mala omnia quæ etiam iustum bellum secum trahit, reputantes, bellum velut publicam calamitatem & scelerum omnium & iniuriarum officinam, abhorreant, nec ad id, nisi prius tentatis omnibus, extrema tadem coacti necessitate, descendant: non vt suos affectus vlciscantur, sed vt publicam pacem tueantur & conseruent. Deinde bellum sine immani truculentia gerant, in fontium rebus & corporibus parcât, à cædibus puerorum, mulierum, & senum, qui victoriam eorum impedire non valent, abstineant, violentias præter ius belli fieri prohibeant. Demum victoriam non internectione hostium, sed parta securitate & pace metiantur.

Principes Sceleratissimi homicidæ sunt Principes, qui nullam iusti aut æqui rationem habentes, insana temeritate ad bellum prosiliunt, ad quæ nulla eos publica vtilitas cogit, sed sui modò affectus illicient: qui tot cædium, stuprorum, adulteriorum, violentiarum, rei sunt, quot homines in eo bello perimuntur: quot feminae pudicitia periculum adèut: quot deniq; homines, vel in rebus vel in corporibus suis, vllam iniuriam accipiunt.

Milites. Sceleratis Dominis flagitiosi milites adnumerantur, qui de causa belli, iusta an iniusta sit, securi, modo spes lucri affulgeat, militiæ alienæ se addicunt, qui de bello vti- que cruenti homicidæ redeunt, etiam si neminem occiderunt. Voluntatem enim occidendi ad bellum attulerunt, ideoque nihilo leuiori supplicio digni sunt, si sceleratam voluntatem eorum occasio destituit. Secus est de his, qui sub proprio

proprio Principe coacti militant, quos parendi necessitas excusat, etiam si iniustum Principem imperandi iniquitas condemnet.

Homicidæ consilio.
 Peccat etiam in hoc præceptum, qui alium ad eadem alterius, vel imperio compellunt, vel consilio aut persuasione inducunt, vel auxilium iuuant. Qui iratis frigidam suffundunt, & acerbis delationibus iras exortas acuiunt, & in mutua odia magis irritant & prouocant, qui non minori reatu se polluant, quam si ad eadem ipsi manum adhibuissent. Sic Petrus Iudæos occisi Saluatoris reos peragit quem non ipsi occiderant, sed gentibus tradiderant occidendum. Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes, interemistis.

Ambros.
 Occidunt & hi, qui fame aut alio casu de vita periclitantibus, cum possunt, non succurunt. Si fame morientem non paupisti, occidisti. Et si forte non perit proximus: certe, quantum in te fuit, perit, qui periclitanti opem non tulisti. Panis egentium vita pauperis est, qui defraudat illum, homo sanguinis est, Eccle. 34.

Prouer. 14.
 Sic occidunt, qui captiuos, aut iniuste ad mortem condemnatos, quantum possunt, non liberant: aut, qui quoduis periculum à proximo pro virili non depellunt. Erue eos (dicit scriptura) qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare non cesses. Si dixeris, Vires non superpetunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetq; homini iuxta opera sua. In simili culpa est, qui alium calamitosis subuenire volentem remoratur, Dei comminationem non veritus. Noli prohibere benefacere eum qui potest: si uales, & ipse benefac, Prouer. 3.

Homicidæ sunt mulieres, quæ fortis præmaturos phar macis eiiciunt: in sua viscera crudeles, vitam, quam ipsæ dederant, atroci scelere perfundant.


Sceleratiores homicidæ sunt, qui sibi ipsis mortem inferunt, & vitam, nobilissimum Dei donum, ingrati sibi ipsis extor-

extorquent, si hoc desperatione diuinæ gratiæ, aut animi impatientia superati, faciunt. Qui autem ex ægritudine aliqua mente capti, manus sibi adferunt, ab homicidio, cui iniusta voluntas absuit, excusantur. Voluntarium & perniciosum est homicidium eorum, qui seipsum crapula & ebrietate interficiunt: qui si homines sunt, excusari ab homicidio non possunt, vitam suam immodica ingurgitatione sponte suffocantes. Propter crapulam multi perierunt (ait Sapiens) qui autē abstinens est, adiiciet ad vitam. *Eccle. 27.*

Sap. 1.
Detractor est hominidæ.
 Peccato eorum, qui vitam alteri adimunt, proximi sunt maledici qui fratri ea imprecantur, qualia si euenirent, sine dubio moreretur. His detractor iungitur, qui absentis vitam conuitis proscindens, famam proximi lædit, qui vno linguæ ictu tres simul occidit. Seipsum, quia os, quod mentitur, occidit animam. Et eum, qui ascultat, quem simili culpa inuoluit, Eccle. 28. 3. Psal. 14. Et eum, cui detrahit, qui existimationem suam à detractore læsam audiens, & ipse in iram, hoc est, in animæ suæ mortem prouit: quod si non ruit, non est detractoris beneficium, qui in perniciem proximi fecit, quod potuit.

Suorro.
Iacob. 3.
 His in malitia sunt similes susurriones, qui mala alterius apud alterum vicissim increpantes, mutua dissidia concitant, & discordias inter amicos ferunt. Hi omnes pro gladio vtuntur lingua, ad proximi perniciem. Vnde Apóstolus vocat linguam venenum appellat, non lenitum, sed mortiferum, quod altè penetrat, & certam mortem inducit. Et scriptura linguam maledicam pestiferis sagittis, & gladio, & acutæ nouaculæ, confert, Psal. 51. 63.

Et quia voluntas actuum exteriorum modus & mensura est, & ex sola voluntate opera nostra, apud Deum aut bona aut iniqua sunt: cordis rei sunt, qui internos affectus ad proximi læsionem propensos habent, qui ira aut odio ardent, aut inuidia flagrant in proximum. Omnis, qui odit fratrem suum (inquit Ioannes) homicida est. Et Paulus omnes affectus, proximi dilectionem (quam secunda tabula præcepta maxime requirunt) impugnantes, ex animis



animis nostris vult sublatos. Omnis amaritudo (inquit) & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia, tollatur à vobis cum omni malitia.

Ephc. 4.

Ira bona.

Est tamen ira salutaris, cui affectus lædendi non adhæret, & quæ non perniciem, sed salutem, proximi intendit: qua non homini, sed vitii eius irascimur, odio habentes in homine, non quod fecit Deus, sed quod homo ipse fecit. Quemadmodum etiam integra charitate sæpe aliorum damnis lætari, & prosperitatibus eorum dolere possumus, quatenus videmus prosperitatem eorum, in damnum multorum piorum, aut ad communis religionis interitum, cessuram.

Gregori. moral. 2.0

Sed cum suis vitiiis palpent homines, & nulli sua ira iniusta videatur: cautione opus est, vt sine peccato liceat irasci. Si culpæ non homini irasci vis, primò animi tui affectum experire, an sic mouearis contra proximum, quia te læsit, an quia læsit Deum. Nam sancta ira, pro Dei offensâ nõ pro sua iniuria, æmulatur: & misereri debes proximi, quia te lædendo seipsum in anima grauiori damno affecit. Deinde peccantem leni spiritu corripe: non enim eris extra culpam, si alienam culpam vsq; ad acerbas calumnias reprehenderis. Fratres (inquit Apostolus) & si in aliquo delicto præoccupatus homo fuerit: vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis. Et quòd si quis non obediit verbo nostro, hunc notate, & non commisceamini cum illo, vt confundatur. Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite, vt fratrem.

Gal. 6.

2. The. 3.

Ambro. in epist. ad Ephes.

Simili modo non sine peccato irascuntur, qui in peccantes vltra modum sæuiunt, amplius onerantes eos, quàm delicta eorum merebantur: & qui promptiores sunt perdere, quàm corrigere delinquentes, in hoc dissimiles Deo, qui malos patienter suffert, longanimitate sua eos ad penitentiam inuitans, vt quidam ex eis corrigantur.

P R A E C E -

P R A E C E P T V M VI.

NON MOECABERIS.

I

Ngens Dei charitas erga homines, qui non est contentus vitam homini dedisse, & quæcunq; ad vitæ conseruationem vtilia & grata sunt, insuper paternam suam sollicitudinem huc intendit, vt quæ dedit homini, eunta illi & ab aliena iniuria illæsa permaneant, vitam hominis præcepto muniuit cõtra oẽm læsionẽ, edicẽs. Non occides. Sed cum sit homini non minus acerbæ contumelia, quæ in vxorem, quàm quæ in proprium corpus committitur mox aliud præceptum apponit, quo suam cuiq; vxorem ab aliena iniuria præseruet. Non moecaberis, inquit, id est, proximum tuum, vxorem eius violando, contumelia & merore non afficies. Huc enim omnia posterioris tabulæ præcepta diriguntur, vt homines ad inuicem charitatem præstent inuiolabilem. Non autem aliud peccatum atrocioribus iniuriis charitatem violat, quàm adulterium. Quantæ enim amaritudinis & meroris res est, vxor per adulterium violata! Si quis per libidinem hac muliere abutitur, quæ cū marito vna caro est: pro qua vir corporis sui ius sibi abdicauit, & se in feruitutẽ alligauit, & vt vxorem alat, corpus suum duris laboribus, & animum multis & molestis sæpe curis, conficit?

Charitas impletio legis.

1. Cor. 7.

Contra omnes has vitæ ærumnas, viro reliquum erat mulieris solatium, quàm illi Deus vitæ fociam, & omnis fortunæ consortem, adiunxerat. Et hæc omnia adulter illi per summam contumeliam corrumpit.

Nec solum mariti animum acerbis doloribus, sed rem eius ingratissimis dånis afficit, vxorem alienã adulterãs, si fortè prolẽ, à petulãtẽ coccyce suppositã, infelix curruca educare cogatur pro sua, Quæ tunc curæ, qui sumptus miseris

Q ij

miseris maritis pereunt? In has iniurias intendens Deus, dilectionis author & vindex, contra Mœchiam, vt dilectionis fraternæ deuastricem, sæuas comminationes in scripturis proposuit. Si dormierit vir cum vxore alterius,

Deut. 22. vterq; morietur, id est, adulter & adultera, & auferes malum de Israël. Et. Accedam ad vos in iudicio. & ero testis

velox maleficis, & adulteris, & periuuris, & qui calumniatur mercedem mercenarij, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec metuant me, dicit Dominus exercituum. Si deceptum est cor meum (ait Iob)

Iob. 31. super muliere, & si ad ostium amici mei insidias sum, scortum alterius sit vxor mea, & super illam incuruentur alij. Hoc enim nephas est, & iniquitas maxima. Ignis est visq; ad perditionem deuorans. & omnia eradicans germina. Et præ gravitate adulterij, furtum valde extenuat Sapiens. Non grandis est culpa (inquit) cum quis furatus fuerit. Iuratur enim, vt esurientem impleat animam: deprehensus quoq; reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet, & liberabit se. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam: turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur. Et Apostolus adulteros & regno Dei excludendos, & æternis subiiciendos supplicijs denunciat. No

Prouer. 6. lite errare, neq; fornicarij, neq; idolis seruientes, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorū concubitores, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces regnum Dei possidebunt. Et. Fornicatores & adulteros iudicabit Dominus.

1. Cor. 6.

Heb. 13.

Nec vllum ferè aliud peccatum grauioribus pœnis vindicauit Deus. Homines, cum pollui adulteris & fornicationibus cepissent, immo: no dilutio absump. sit. Cb idè

Gene. 8. crimen Sodomam, cum adiacentibus ciuitatibus, igni de celo perdidit. Ex populo Israël viginti tria milia perierunt, qui consuetudinem adulterij fecerant cum mulieribus Moabitarum. Et tribus Beniamin, ob adulteratam

Num. 25 Leuitæ vxorem, propè ad interuentionem deleta est. Regi etiam Abimelech mortem comminatus est Deus, si vxorem Abraham adulterio corrupisset.

Iudicium
20.
Gene. 20.

Et

Et tanta atrocitas adulterij erat in opinione gentiū, vt leuius crimen existimarent, prius virum perimere, vt muliere, per eadem viri iam libera, potirentur, quàm vt vxoris castitatem viro viuente delibarent. Hinc Abraham & Isaac, cum inter gentes exularent, vxores suas sororum nominibus dissimulabant, ne fortè ab iis, qui eas propter insignem puicitudinem expetiri essent, occiderentur.

Gene. 12.
26.

Sic adulterium, quod corporum coniunctione perpetratur, velut rem scdam, & iniuriam atrocissimam, etiam prophanae gentes horruerunt. Et Iudæi, præceptum de non mæchando ad illud externum modò adulterium accommodantes, adulteros deprehensos aut conuictos, mortis supplicio punierunt. Christus vero, legem docès esse spiritualem, & non tam externo opere, quàm internis animi affectibus adimplendam, & ob id apud Deum non minus adulterium cordis in crimine esse ostendit. Audistis (inquit) quòd dictum est antiquis. Non mæchaberis.

Adulteri
um cordis
Mat. 5.

Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendū eam, iam mæchatus est eam in corde suo: adulterij nomine pariter damnans omnem affectum animi, ad illicitas libidines procliuem. Queadmodum enim ab homicidio coram Deo nemo absoluitur, nisi is, qui non solùm à violentia manum, sed ab omni vindictæ cupiditate animum continet: & expulsis aut confopitis in corde suo omnibus malevolentiae affectibus, tantam animi mansuetudinem sibi induit, vt affectus iniuria, non solùm de vindicta non cogitet: sed paratus sit (dummodo saluti lædentis consulatur) ampliores in se iniurias recipere. Sic in hoc præcepto ad perfectam Christi iustitiam nõ pertingit, nisi qui omnis illicitæ concupiscentiæ consensum ex animo præcidens, castitatem, sobrietatem & continentiam, sibi conciliauerit, ieiunijs, orationibus, vigilijs, alijsq; exercitijs quibus hæ virtutes parantur & retinentur, totum se occupando & sedulo exercendo.

Peccant itaq; in hoc præceptum grauissimè omnium, qui alienis coniugibus se permittentes, ipsa corporum coniunctione adulterium committunt, siue vterq; siue prum.

Qui delin
quant in

Quiij alter

alter tantum in matrimonio sit Quos occidi lex iubet: nec immetitò, si quidem legis præcipua functio est, vt tuam charitatem inter homines tæatur, quã multis iisq; atrocissimis iniuriis violat & discindit adulterium.

Accedit ad huius criminis grauitatem, quòd matrimonium inter duos pari iure seruandum Deus ordinauit, vt essent duo in carne vna. Hanc Dei coniunctionem dirumpens temerarius adulter, etiam si simplicis mariti conscientiam deceperit, & pœnas hominum vitauerit: iustam tamen Dei vindictam, cuius ordinationem violauit, non effugiet, sed damnationem sibi acquiret, Rom. 13. Et. Fornicadores & adulteros iudicabit Dominus, Heb. 13.

Et, Apostolo testante, qui matrimonio iuncti sunt, sui corporis ius amplius non habent, sed vicissim alter alterius sui corporis addicens, in mutuam seruitutem se deuinxerunt, vt vir ad mulieris voluntatem, & mulier ad voluntatem viri, corpus suum accommodare iam ex quodam debito teneatur. Mulier (inquit) sui corporis potestate non habet, sed vir: similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Et. Nolite fraudare inuicem. Summam igitur iniustitiam committit, quisquis corpus suum iam alieni iuris factum, ei cui debetur ademptum, alteri adixerit, aut corpus alienæ mulieris in alterius viri iure defixum, sibi per libidinem vsurpauerit.

Et certè qui per Christum redempti sumus, nostri iuris iam non sumus, sed ei seruitutem debemus, qui cum perditum essemus, nos redemit, non auro aut rebus corruptibilibus: sed precioso & immaculato sanguine suo. Huic facit iniuriã, quisquis corpus suum, quod iam in membra Christi per Baptismum coaluerat, de Christi mēbris abripiens, per libidinem addicit meretrici. An nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo mēbra Christi, faciam mēbra meretricis? An nescitis, quoniã qui adhæret meretrici, vnũ corpus efficitur? Erũt enim (inquit) duo in carne vna. Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est. Ergo vxoris suæ iniuriã cum Christi iniuriã cõiugit, quisquis adulteræ permiscetur, cõiugit corpus

corpus suum Christo ex redemptione, & inter homines soli vxori ex Dei ordinatione debitum, cum vtriusque contumelia tradit adulteræ. Quod fieri Apostolus serio prohibens, Non estis vestri, ait, empti enim estis magno precio: glorificate & portate Deum in corpore vestro. 1. Cor. 6.

Duplicis adulterij rei fiunt, qui in legitimo thoro tales concubitus peragunt, vt proles inde cõcipi nequeat, qui ad libidinis fœditatem homicidij crimen adiungunt. Si quidem proles, quæ nascituræ erant, quasi debita opera interficiunt.

Nec hi ab adulterio semper excusantur, qui in suo coniugio, nimio libidinis impetu ad inuicem æstuant: cuius amoris origo quidem honesta, sed magnitudo turpis est, & non minus reprehensionem meretur, qui ex honesta causa insanit. Meminerint fideles coniuges, Deo auctore se conuenisse, & coniugium ipsis non ad irritamentum, sed ad remedium libidinis per indulgentiam concessum, ideoque casto & sincero amore se inuicem complectantur, & modestè conueniant. Sciat vnusquisque (ait Apostolus) vas suum in sanctificatione & honore possidere, & non in passione desiderij, sicut gentes, quæ Deum ignorant. Vt enim in aliena muliere omnis amor, sic in propria nimis est vituperandus. Thalamus congressuum coniugium confectus, idem quoque orationibus patere debet: quare in congressu modestia seruanda est, ne in cubile ad orationem introeuntes, ex loci memoria fœdioris libidinis admoniti, ab oratione impediuntur. Honorabile connubium & thorus immaculatus. Et. Viri similiter, cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem, tantquam cohæredibus gratiæ vitæ, vt non impediuntur orationes vestræ.

Non solùm autem adulteriũ, quod est cum alienis coniugibus illicita permixtio, sed omnis alius nefarius & illegitimus cõcubitus hoc præcepto prohibetur. Sunt autem libidinis multæ species, aliæ aliis grauiores, in quibus

Q iiii culpæ

Fornicatio. culpæ leuioris est fornicatio, quæ fit cum soluta, quæ primum pudicitiaæ florem cum alio iam viro detruerat: quæ libido fœdior & perniciosior est, quò in plures diuulgatur.

Stuprũ. Grauius est stuprum, cum virgo vitiat, quod lex mitiore pœna vindicabat, si virgo nec dum viro desponsa esset: talem enim corruptor vxorem ducere, aut dotare iubebatur. Quod si quis iam alteri desponsam corrupisset, mortis supplicio condemnabatur.

Raptus. Adhuc grauius delinquent, qui raptũ committunt, hoc est, qui filia aut vxorem alienã vi abductam, constuprãt.

Gene. 34. Ob quod delictum, Sichem cum patre Principe Sichimorum à fratribus Dinæ, quam raptã vitauerat, obtruncatus est, & ciuitas eius cum omni populo subuersa.

Incestus. Abominabilis est incestus, cum quis effreni libidine in propinquitatem irruens, ius naturæ violat, & suum sanguinem conspurcat.

Sacrilegium. Sacrilegium committit, qui post Votũ seruandæ castitatis emissum, fornicatur: aut qui pudicitiam eius violat, quæ perpetuam castitatẽ Voti nuncupatione promisit.

Similiter hic verantur concubitus cum masculis, cum incubis, cum iumentis, & omnis prorsus immundities.

Deut. 23. Lex omnem fornicationem prohibet. Non erit meretrix de filiab⁹ Israël, nec scortator de filiis Israël. Et Apostolus fornicationem multis locis grauisimè perstringens, pariter cum adulteris etiam fornicatores regno Dei exhæredat, & æternis suppliciis adiudicat. Neq; fornicatores, neque adulteri, neq; molles, neque masculorũ concubitores, regnum Dei possidebunt. Et. Fornicatio autem, & omnis immundicia & avaritia, nec nominetũr inter vos, vt decet Sanctos. Et. Fornicatores & adulteros iudicabit Dominus.

1. Cor. 6.
Eph. 5.
Hel. 13.

Gratus

Gratus & perniciofa pestis homini libido, quæ omnes animi conatus semel occupat, mentem adimit, consilium omne extorquet, à ratione abducit, nec quietum esse, nec alia cogitare permittit, quàm vt totius mentis submersione ad suas cupiditates quoquo modo eluctetur. Vnde Propheta ait. Fornicatio, & vinum, & ebrietas, auferunt cor. Et. Vinum & mulieres Apostatate faciunt sapientes, & arguũt sensatos: & qui se iungit fornicariis, erit nequam. Et Apostolus indicat libidines cæcitate & amentia puniri. Hoc igitur dico & testificor in Domino, vt iam non ambuletis sicut & gentes ambulantes in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à via Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatẽ cordis ipforum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiaæ.

Sed nec Deum diligere potest, qui animum suum in obscena charitate deinxit. Vnde & idem Apostolus gentes libidinibus deditas, à Deo auersas, & in omnẽ impietatẽ prolapsas affirmat, propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua.

Animus libidine æstuans, iam suis ardet incendiis, & peccati sui facibus exurit, quod Propheta designans, ait. Ambulate in lumine ignis vestri, & in flamma, quam accendistis.

Omnia alia peccata, cum sint extra hominem, facilius homo, vbi vult, deponit. Libidinem vero (quæ in ipsa hominis natura radices egit, superare, grãdis virtutis & sollicitæ curæ est: Ideoque vt libidinem deuites, omnis prorsus occasio, quæ huic inuitat, amputanda & fugienda est. Quod Apostolus innueas: Fugite, inquit, fornicationem, hoc est, declinate, & omnes illi anfas, quibus solet incautos apprehendere, præcidite.

Principiò cohibendus est visus, qui velut mentis interueniens, peccati occasionem obnunciat. Vnde Saltes quomodo monet.

Graue vitium libidinis.

Osee. 4. Eccle. 19.

Eph. 4.

Rom. 1.

Esa. 50.

Libido agere vincitur.

1. Cor. 6.

Libido quomodo monet.

vitari monet. Auerte oculos tuos, ne videant vanitatem. Et Sapiens. Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in *queat.* decore illius, Auerte faciem tuam à muliere compra, & *Psal. 118.* ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia, quasi *Eccle. 9.* ignis, exardescit. Et. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne quidem cogitarem de virgine. Multi per visum sauciati, in perniciosas libidines corruerunt. Dauid Bersabeam lauante conspicatus, libidinis flamma ex aspectu hausit, qua totus perustus, fœdo adulterio crudele homicidium accumulauit. Sic Dina conspecta & violata est. Et omninò difficulter animum à concupiscentia immunem, & corpus à libidine purum, conseruare potest, qui in facies mulierum oculos intendere, & vultus alieni decorem æstimare, non abstinet. Solet enim fœmineus aspectus, velut sagittas, virorum oculis infigere, & telis per oculos iniectis, animos eorum mortifero vulnere consauciare. Quod & Propheta queritur. Ascendit mors per fenestras nostras. Et. Oculus meus deprædatus est animam meam. Immunis tamen est à peccato, qui quod incautus vidit, & quod inuito placuit, mox ex animo rursus euellere satagit.

Ornatus Vitandus etiam elegantior ornatus vestium, qui quasi irritamentum visus, sæpe ad libidinem non paruam occasionem subministrat. Thamar cum procaciorum vestium sumpsisset, visa est esse meretrix, & ob id ad stuprum expetita est. Vnde Sapiens monet. Auerte faciem tuam à muliere compra.

Gene. 38.

Eccle. 9.

Colloquii Nocet & colloquium, quod inter diuersi sexus homines (etiã si de rebus honestis) miscetur. Id enim querunt, vt colloquij familiaritate animos sibi inuicem concilient, & se ad mutuam amorem prouocent, ad turpem consuetudinem sic viam sibi præstruentes. Cum saltatrice (inquit Sapiens) ne assiduus sis, ne audias illam, ne fortè percas in efficacia illius.

Eccle. 9.

Huc

Huc inter prohibita adnumerari debet turpiloquium, quo quidam de rebus turpissimis, sine respectu aut reuerentia cuiusvis ætatis aut sexus, turpissimè ac obscœnissimè loquuntur: Quòd Apostolus à moribus Christianorum longè remotum esse voluit. Fornicatio (inquit) & omnis immundicia aut auaritia, nec nominetur inter vos, vt decet sanctos. Horum peccatù perniciosius est, si suas obscœnitates iuuenum auribus instillauerint, & teneras adhuc eorum mentes corruperint, quorum animi naturali calore æstuantes, obscœno sermone, quasi scintilla iniecta, incenduntur ad lasciuiam: nec potest sic concepta cupiditas ex teneris animis euelli, donec per miras cogitationes subinde excresecens, tandem ad manifestam impudentiam eruperit. Væ homini illi, qui innocenti animæ tantum venenum infudit, qui tantas rudi animo molestias excitauit, & perniciosos infixit aculeos, quibus in omne turpitudinum & flagitorù genus præceps agitur. Expediret huiusmodi tenerarum mentium corruptori, vt suspendatur mola asinaria in collum eius, & demergatur in profundum maris.

Turpiloquium.

Eph. 5.

Cohabitatio.

Cohabitatio quoque & frequens consuetudo mulierum fugienda, quæ nimis periculosa & castitati inimica est. Perniciose de se cõfidit, qui manifestis periculis audet se commendare, qui se credit flammis circumdatum posse non ardere. Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant: aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam. Et. Cum aliena muliere non fedas omninò, nec accumbas cum ea super cubitù, & non alterceris cum illa in vino, ne fortè declinet cor tuum in illam, & sanguinetuo labaris in perditionem.

Prouer. 6.

Eccle. 9.

Cõplexus

Adhuc nocentior est diuersi sexus consuetudo, quæ vsque ad complexuum & osculorum familiaritatem procedit, quibus rebus acres stimulos libido concipit. Tactu enim concupiscentia excitata, mox diuersitatem sexus præsentiens appetit, & per oscula amantiù spiritus inter se

se transfunduntur, & mutui incendij fomenta alter apud alterum relinquunt.

Ebrietas. Similiter in hoc præceptum peccant, & ad adulteria quasi vires sibi coligunt, & arma sibi libidinis induunt, qui ebrietatem sectantur, & nimia crapula distenduntur. Potus enim & cibus copiosior, quasi fomēta libidini suggerunt. Et venter saturatus, plerumque despumat in libidinem. Saturavi eos (inquit Propheta) & mœchati sunt.

Hiere. 5. Corpora iuuenum, & eorum etiam, qui perfectæ & adhuc robustæ sunt ætatis, insiro calore feruent, qui in eis vino & calidioribus cibus augetur. Itaque iuueniles venæ, vino & dapibus refertæ, duplici ardent incendio. Ideoque corporis nostri architectus, sui operis naturam non ignorans, serio interminatus est. Attendite, ne corpora vestra grauentur crapula & ebrietate. Et Apostolus eius: Nolite (ait) inebriari vino, in quo est luxuria.

Ocium. Vitandum etiam ocium de seruanda castitate sollicitis. *2. Reg. 11.* Nam & David, dum persecutionū procellis & variis negociis exerceretur, conuentiā suā in turo habuit, postea quā deliciis & ocio adhaere cœpisset, in adulteriū prolapsus est. ultam enim malitiam docuit ociositas, Eccl. 15. Et sodomæ peccatum erat superbia, & saturitas panis, & abundantia, & ocium ipsius & filiarum eius. Semper itaque agendum aliquid, ne te Diabolus ociosum inueniat, de quo Apostolus commonens, ait. Nolite locum dare Diabolo.

Concupiscentia. Postremo ipsa etiam interna concupiscentia reum facit adulterij. Quicumque aspexerit mulierem (ait Christus) ad concupiscendum eam, mœchatus est eam in corde suo. Prima ergo seruandæ castitatis cura est, vt cor tuum libidinis ardoribus corripere non permittas. Omni custodia, inquit, serua cor tuum: quia ex ipso vita procedit. Ex corde enim, ceu ex fonte, omnes libidinum occusiones promanant, Domino testante. Ex corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta.

furta. Quod si in corde tuo desiderijs malis locum praferis, & alienæ mulieris concupiscentia intus aestuaueris, præterquam quod apud Deum mœcharis, qui voluntatem magis, quam opus respicit, citissimè etiam concupiscentiæ tuæ, quas intus alis, te in ipsum adulterij opus propellent.

Non tamen protinus impudici aut adulteri sunt, qui malis desiderijs tentantur. Tamdiu enim à peccato excusantur, quamdiu concupiscentiæ suæ non obediuerint. Neque exhibeatis membra vestra (ait Apostolus) seruire peccato, vt obediat concupiscentiis eius. Tameſsi enim perfecta castitas totam cordis mundiciem requirit, tamen continentia palmam apud Deum non amittit, qui impudicis desiderijs tentatus, sic repugnat, vt quod peruerſa concupiscentia suggerit, nec animo decernat, nec corpore perficiat. Imò speciosior est, & maiore laude digna continentia, quæ contra voluptatum stimulos pugnant superat, quam quæ nullis impetita stimulis quiescit: sicut nemo sine hoste præmia victoriæ meretur, sed qui ancipiti prælio circumuentus, suo fugatoque hoste, victor reddit, triumpho dignus iudicatur. Vnde Christus, triplicis conditionis Eunuchos recensens, duos, qui natura aut hominum violentia tales sunt, sine laude transit: hos solos præmio & laudibus dignos facit, qui libidinis vsu non necessitate, sed voluntate à se abdicauerunt, castrantes semetipsos propter regnum Dei.

Nemo tamen suis viribus contra concupiscentiam præualeat, aut castitatem industria consilij sui, aut propriis exercitijs, tueri potest: sed vbi labore, vigilijs, & omnimoda corporis afflictione, concupiscentiam debilitare fatergerit, victoriam castitatis à Deo, humilitate orationum, & precum assiduitate, impetrare contendat, iuxta Sapientis admonitionem, dicentis. Et vt sciaui quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius esset hoc donum: adij Domini & deprecatus sum illum.

P R A E

Rom. 6.

Matt. 19

Libidini vincere.

Dei donum est.

Sap. 3.

PRAECEPTVM VII.

NON FVRTVM FACIES.

B Onus Dominus, & societatis humanæ sollicitus custos, omnibus præceptis suis id quaerit, vt inter homines charitas, pax & concordia integra conferuetur, & vt etiam præfens vita mortalibus tranquilla & iucunda transigatur. Concordiæ enim maximè alunt, & vitam hominibus inter se iucundam, & tranquillam faciunt hi mores, quos à nobis diuina præcepta exigunt: videlicet, si quis alium in corpore, in coniuge, in bonis, & fama sua non læserit: sed magis corpus, bona, & honorem proximi, pro virili sua defenderit, conseruauerit, & per occasionem etiam auxerit. Si ira, libidine, auaritia, homines ad iniuriæ non vtantur: si alter alterius famam fuggillare non sustineat, nonne quis Angelorum fœlicitatem in vitam hominum demigrasse meritò putauerit?

Observatio mada toru Dei, etiã præsentem vitam hominibus facit suauitatem.

Talem concordiam & securitatem, in hominum vitam inducere præceptis suis Dominus contendit, dum primo loco corpus hominis ab iniuriâ, mox vxorem à contumelia, vindicat: propositis edictis, ne quis occidat proximum, ne vxorem alienam adulteretur.

Iam cum homini ad suam, vxorisque & liberorum vitam (quæ possessiones sunt in hoc seculo charissimæ) sustentandam bona externa necessariò seruiant, ne propter res externas hominum societas perturbetur, aut concordia rumpatur, si alius alium in bonis suis damno aut molestia affecterit: ad præcedentia aliud præceptum subiicit Legislator, quo diuitias hominum munit, & sua cuique externa bona ab aliorum cupiditate & iniuria tuta reddit, edicens. **NON FVRTVM FACIES:** Furti nomine omnem rei alienæ illicitam vsurpationem prohibens. Non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit:

Furti nomine, quid significetur.

buit: sed à parte totum volens intelligi, furtum appellauit, quicquid de rebus proximi illicitè sustuleris, aut de bonis alterius iniuste alienaueris, Domino rei non consentiente, aut etiam damnum suum non intelligente.

Furti crimen, si id ad Dei voluntatem (qui charitatè ex omni parte inter homines vult esse integrâ & inuiolabilem) & ad scripturæ comminationem æstimaueris, grauissimum inuenitur. Temporales pœnæ furibus iam aliquoties Deus in scripturis inuenitur infixisse, æternas crebrò admodum & seriò còminatus est. Cum Achan furtum commisisset in populo, iratus Dominus tradidit eos in manus inimicorum, vt fugerent à facie hostium suorù, & caderèt ex eis triginta sex viri: nec prius iram suam deflexit à populo, quàm omnis multitudo furem illù cum tota stirpe lapidibus adbruens, ad necem compulisset. Gihezi, cum per mendaciù à Naaman vestes & argentum abstulisset, perpetua lepra percussus est. Non rarò in scripturis grauissimis sceleribus furtum adnumerat Dominus. Nò est veritas, & nò est misericordia, & nò est sciètia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & fartum, & adulteriù, inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit: propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea. Et. Omnis fur iudicabitur, & omnis iurans similiter iudicabitur. Et Apostolus cum adulteris & homicidis fures, à regno Dei exclusos, æternis addicit supplicis. Nolite errare (inquit) neq; fornicarij, neq; Idolis seruentes, neque adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores, neque fures, neq; auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnù Dei possidebùt.

Nec ideo minus odisse furtum Deus putandus est, quia iussu eius Israëlite Aegyptum per simulationem despoliauerunt, nec quisquam impunè hoc exemplo res proximi sui rapuerit: nouit enim Deus, quid vnumquenque pati oporteat. Et cum sit ipse rerum omnium Dominus, sine iniustitia ab alio ad alium eas transfert, ideoque non fecerunt furtum Israëlita, sed Domino iubenti præbuerunt ministerium.

Nec

Pœna furum.

Iosue. 7.

4. Reg. 5.

Osee. 4.

Zach. 5.

1. Cor. 6.

Prover. 6 Nec furti atrocitatem minuit, quòd Sapiens illud adul-
terij comparatione videtur extenuare, cum ait . Non est
grandis culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim, vt e-
furicentem impleat animam . Deprehensus quoque red-
det septuplum, & omnem substantiam domus suæ traderet,
& liberabit se. Qui autem adulter est, propter cordis ino-
piam perdet animam suam . Turpitudinem & ignominiam
congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur . Non
ob id ex numero criminum eximendum, aut inter tolera-
bilia ponendum est, si quid atrocissimis & flagitiosissimis
sceleribus minus atrox & flagitiosum est . Sic furtum &
adulterium, pari ratione suos authores vita æterna indi-
gnos facient, & sempiternis subiicient flammis, tamen si
grauiora supplicia adulteri sustinebunt. Nec tamen quod-
libet furtum, sed furtum inuitabili famis necessitate ex-
ortum, scriptura extenuat: & ne id quidem impunitum
relinquit, sed iuxta legem, septupli redhibitione pun-
it, ne quis dubitet, furtum voluntarium grauiore po-
na plectendum.

Hinc Magistratus velut iniustus non est culpandus,
cum iuxta leges Imperiales furtum punit suspendio . Ci-
uili enim gubernationi in nullo Euangelium Christi de-
rogat, & sine dubio Deus fures, velut societatis humanæ
molestos perturbatores, exosos habet, & pœnis illorum
delectatur . Sed coarguenda est secularium iudiciorum
peruersitas, quæ misellos fures, si quid cogente necessita-
te forte surripuerint, mox contortis collis auidè enecant:
adulteros, raptores, depeculatores, blasphemos, & atro-
cissimis criminibus infames & pollutos, dimittunt impu-
nitos. Sic pudenda auaritia in animis hominum ante om-
nem honestatem & pietatem ponitur, vt homines graui-
oribus suppliciiis vindicandum existiment, cum priuata
diuitiæ tolluntur, quam cum aut Deus blasphematur, aut
omnis aliòqui honestas & pietas indignis modis violatur.

*Crimina
furto gra-
uiora, mi-
nus puni-
untur.*

*Præcepta
Decalogi* Hoc in diuinis præceptis vbique obseruandum, sub
negatione affirmationem includi, hoc est, Deum vbi vi-

tia prohibet, contrarias illis virtutes exigere, vt cum ve-
tat occidere, non modò lædendi cupiditatem inhihet, sed
exigit beneficiendi voluntatem: & cum adulteria prohi-
bet, totam cordis mundiciem requirit. Sic cum edicit, Ne
furtum facias, non hoc solùm verat, ne quid de externis
bonis proximi tui, quibus ille vitam suam sustentat, vxo-
rem ac liberos enutrit, per iniuriam subtra has: sed insu-
per à te requirit, vt quoties indigentem videris, & neces-
sariis vitæ præfidiis destitutum, ea quæ ad vitam eius su-
stentandam sufficiunt, de tuo illi impertias.

Exigitur ergo hoc præcepto commiseratio super in-
opes, vt miseriam illorum & inopiam officiis nostris &
eleemosynis consolemur: iuxta Domini admonitionem. *Vs huius
præcepti.*
Omni petenti abs te, da. Et. Date, & dabitur vobis . Et
vbique misericors docet, & monet misericordiam fieri,
Veruntamen (inquit) date eleemosynam, & omnia vobis
munda erunt. Nec dissimulat, neminem Domini miseri-
cordiæ promereri, nisi qui fuerit misericors: & de diuina
pietate nihil in precibus impetraturum, qui ad preces pau-
peris durus extiterit. Facite, inquit, vobis amicos de mæ-
mona iniquitatis: vt cum defeceritis, recipiant vos in æ-
terna tabernacula. Et. Qui obturat aurè suam ad clamorè
pauperis, & ipse clamabit, & nõ exaudietur. Et in iudicio
extremo eos, qui misericordes fuerunt, colliget ad vitæ du-
ros & immisericordes æternis traderet suppliciis, Matth. 23.

In dandis tamen eleemosynis sufficit, liberalitatem nõ
stram hætenus extendi, non vt aliis sit remissio, nobis
autem tribulatio: sed ex æqualitate in præsentem tempo-
re nostra abundantia aliorum inopiam suppleat, vt illò-
rum abundantia nostræ inopiæ sit supplementum. Ta-
met si gloriosa sit, & nobilis in conspectu Dei commiseratio,
quæ inter ipsas etiam egestatis angustias erumpit, &
de parua patrimonij portione magnam facit liberalita-
tem, de exiguo hilariter impertiens: quod in vidua Do-
minus laudauit, quæ de inopiâ sua omnem victum suum,
quem habuit, misit.

*Modus in
dandis e-
leemosy-
nis.*
2. Cor. 8.
Luc. 21.

Deinde, si donare indigentibus necessaria facultates non permittunt, secundo loco hoc præceptum postulat, vt saltem mutuum demus, nihil supra sortem inde reposcentes. Mutuum date, ait Dominus, nihil inde sperantes.

Luc. 6.

Simul etiam industria & sedulitas laboris præcipitur, vt sine aliorum damno victum nobis paremus, & indigentibus de nostro largiri sufficiamus. Qui furabatur (inquit Apostolus) iam non furetur. Magis autem laboret operando manibus, quod bonum est, vt habeat, vnde tribuat necessitatem patienti.

Ephc. 4.

Denique in rebus proximi vel conseruandis vel augendis, ea à nobis cura, iudustria, & voluntas requiritur, qualem in suis quisque diuitiis vel tuendis vel augendis, aut ipse adhibet, aut ab aliis optat. Pro vt vultis vt faciât vobis homines, & vos facite illis similitur.

Matt. 7.

Prohibetur autem hoc præcepto non solum rei alienæ iniusta vsurpatione, sed in propriis facultatibus retinendis immitis tenacitas, & in quærendo nimia solertia, quæ plerumque cum fraude, & aliorum detrimento, solet esse coniuncta. Et simul prodigalitas & profusio vetatur, quam duplex iniustitia solet consequi. Vna, quod necessitatem patientibus minus subuenimus, dum quæ pauperibus debebantur, nimius luxu absumit: Altera, quod qui proprias facultates inani profusione decoquunt, sæpe ex alieno victum quærere, & aliis graues esse, coguntur.

Trãsgressores præcepti septimi.

Delinquent in hoc præceptum, qui de rebus proximi clam surripiunt. Similiter & hi, qui etsi nihil auferunt, res tamen proximi, vel dolo corrumpunt & vitiant, vel negligentia pessundant: vt ex iis debitam vtilitatem Dominus non capiat. Hoc furti genere infames sunt serui negligentes, & pigri, & infidi operarij, qui pro inutili aut semipieno labore integram mercedem recipiunt. Et sunt hi domestici fures clandestinis furibus multò perniciosiores. Furem enim fera excludit, contra serui negligentiam aut fraudem, nulla custodia sufficit: Ideoq; Aposto-

lus

lus seruo cõminatur seruis, vt meminerint, quicquid fraudis in Dominos commiserint, id se non in hominem, sed contra Dominum deliquisse, Ephe. 6. Col. 3.

Vicissim furtum committunt Domini, qui seruos aut operarios mercede debita defraudant. Quos increpat Apostolus Iacobus. Agite nunc diuites, plorate videntes in miseris vestris, quæ aduenient vobis. Et culpam subiiciens, ait. Ecce enim merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, clamat: & clamor eorum, in aures Domini Sabbaoth introiit. Et passim scriptura magno seruo inhortatur, ne mercedem mercenarij diutius apud nos retinere patiamur, Leuit. 19. Deut. 24. Malach. 3. Tob. 4.

Iacob. 5.

In rebus publicis, velut in ampliore familia, grauioribus furtis inter subditos & Magistratus delinquitur. Vctigalia tributa, decimæ, & reliquæ collatiõnes, Magistratibus iure diuino debentur, vt inde ad Remp. gerendam sumptus suppetant. Subditi, qui ea malignè præbent, aut de iis subtrahunt, grauisimum furtum committunt.

Vicissim peccant Magistratus, si hæc accipientes tranquillitatem publicam (pro cuius conseruatione tributa illis præstantur) venationibus, aut luxui, aut vanitatibus aliis intenti, negligunt. Similiter furtum committunt, quoties subditos suos iniquis exactiõibus grauunt; nulla eos urgente necessitate, quamuis nec etiam in imponendis exactiõibus necessitas: semper excuset Magistratus à peccato: quippe cum ad talem necessitatẽ nulla publica calamitate redacti sunt, sed sua culpa deuenerunt, cum sic viuunt, vt immanes comestationum, chorearum, ac similibus vanitatũ sumptus, soliti vctigalium & tributorum redditus sustinere nequeat. Perniciosius multò delinquent, cum de miserorum sudoribus emungunt, vt habeant, vnde milites alant: quorum opera & iniquissima bella conficiant, & publicam tranquillitatem sceleratis seditionibus vexent. De quorum iniustitia, Dñs per Prophetas queritur. Principes eius, inquit, in medio illius, quasi lupi rapientes prædam. Et alibi diras illis

Exec. 22.

R ij pœnas

Esa. 10. pœnas comminans, ait. Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes, iniustitiam scripserunt: vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei: vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperet. Quid facietis in die visitationis & calamitatis, de longè venientis: ad cuius auxilium confugietis, & vbi relinquētis gloriam vestram, vt non incurramini sub vinculo, & cum interfectis cadatis? Et. Viduæ & pupillo non nocēbitis: si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiāque vos gladio.

Exod. 23. Furtum committunt iudices, qui venalem habent iustitiam, & muneribus delinti, causas inopum subuertunt, quibus dicitur. Non accipies munera, quæ excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum. Et iterum. Nō accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. Et alibi. Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore auertit correptiones eorum. Duæ enim sunt in iudice æquæ nociuæ pestes: Auaritia, quæ lucro inhiat: & animi Imbecillitas, qua affectibus cedit, & odio aut fauore ducitur, aut potentia terretur, aut miseria flæctitur. Non facies quod iniquum est, nec iniusta iudicabis, nec confyderes personam pauperis, nec honores vultum potentis. *Exod. 23.* Et. Pauperis quoque non misereberis in iudicio. Et. Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumperere iniquitates, ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua. Sancti, & innocentis, & inculpati iudicis imago est, vt sit oculis captus, & truncatus manibus: aures habens patulas, pectus ferreum, & linguam expeditam, vt personam confyderare, aut muneribus acceptis corrumpere, nequaquam sustineat: sed causæ merita ponderans, inconcusso pectore nec potentiam formidet, nec miseratione moueatur, quin quod iustum est, sine inuolucro verborum, disertè pronunciet. Hoc est enim verba non subuertere, quod avari & iniqui iudices solent.

Nec

Nec de sua modò integritate solliciti sint supremi iudices, sed similis innocentia ministros habere curent, qui plerunque mores superiorum imitantur, dicente scriptura. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis rector est ciuitatis, tales inhabitantes in ea. *Eclē. 10.*

Fures sunt perniciosi valde, qui vsuris miseram plebem expilant. Nec vnquam excusari à peccato potest, qui fratri, necessitatem patienti, grauat dare mutuum, cum facultates suppetunt: aut pro eo, quod dederit, vsuram exposcit. Est autem vsura, quicquid supra id, quod datum est, recipitur, siue pecunia, siue vestis, siue esca. Omnis profusus abundantia in vsura cōputatur. Sic enim Dominus abundantia in vsura supputat. Vsuram (inquit) & superabundantia accepisti, & auare proximos tuos calumniabaris. Vsuram simul & lex detestatur, & Euangelium condemnat. Si pecuniam mutuum dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum quasi exactor, nec vsuris opprimes. Si attenuatus fuerit frater tuus, ne accipias vsuras ab eo, nec amplius quàm dedisti. Time Deum tuum, vt viuere possit frater tuus apud te. Et. Fratri tuo absque vsura id, quo indiget, commodabis. Et. Quis ascendet in montem Domini? Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Christus autem, perfectæ virtutis Doctor, excellentiorem requirit beneficentiam. Si mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia. Veruntamen diligite inimicos vestros: benefacite: & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa. *Ecclē. 10.*

Vsuræ iniquitas adhuc nequiorum rapinæ iniustitiam excitauit. Nam hoc prætextu, vt iniustas vsuras mercatorum vlscerentur, raptores vias insidere, & locupletes mercatores despoliare, ac bonis exuere cœperunt, & tandem cupidine lucri inescati, iniuriam à mercatoribus etiam ad alios transfulerunt: & nunc omnium pariter fortunis fures scælesti insidiantur, sæuitia & iniquitate latronum similes effecti, à quibus hoc solo differunt, quod hi equis vehuntur, latrones pedibus ambulant. *R. pinn. Quid inter sit inter equites prædatores & latrones.*

R. iij Prædi

Prædictorum criminibus se implicant Principes, & grauiſſimorum furtorum rei ſunt, & vſurarum ac rapinarum ſocietate ſe polluunt, dum acceptis muneribus, ad vſuras & rapinas conuiuent, & ſimul ciuitates ac vias for- tunis miſerorum (quos tueri debebant) infeſtas eſſe patiuntur: nec eos mouet, quum miſeri ciues intra vrbes cru- delibus vſuris opprimuntur, foris graſſatoribus præde ſunt. Atque hac diſſimulatione non minorem culpã me- rentur Principes, quã ipſi talium iniuriarum authores, dum immites fœneratores non vrbibus pellunt, & viarum obſeſſores & raptores non totis potentia ſua viribus perfequuntur, in quos recte quadrat hoc Prophetæ. Prin- cipes tui infideles, ſocij furum. Et illud Pſalmi. Si videbas furem, currebas cum eo.

Eſa. 1.

Pſal. 49.

*Sacrile-
gii alius
furtis gra-
uius.*

In hoc præceptum iniquiſſimè peccant, qui furtis om- nibus grauiora committunt ſacrilegia. Hi ſunt, qui ſa- cris manus prophanas iniiciunt, Eccleſias demoluntur, & earum miniſtros bonis exuunt, domiciliis exturbant, & impia cupiditate diuitiis Eccleſiarũ inhiantes, res di- uinis vſibus dedicatas, ad vſus prophanos auertunt: bona Eccleſiarum ſui iuris faciunt, patrimonia Martyrum, & donaria deuotæ plebis, quibus miniſterium Eccleſiarum, & diuinus cultus ſuſtinebatur, in aulis ſuis, in venationi- bus & choreis abſumunt. Monachorum prædia aut diue- dunt, aut miniſteriis aulicis donant. De campanis bellica tormenta conſtant, de calicibus potant ebrij, de velis tem- plorum & ſacris veſtibus, pellices Principum, & matronæ ac filia nobilium veſtes ſibi coſuunt. Et quæcunque olim in decore domus Dei ſeruiebant, ea nunc Diaboli pom- pam inſtruunt. Tantorum ſacrilegiorum authores, mirũ, ſi non priores ante ſe ſacrorum violatores, Balthaſarem Heliodorum, Antiochum, ſecum cogitantes, ſimiles ali- quando exitus vereantur?

*Pœna Sa-
cilegiorũ.*

*Collato-
res benefi-
ciorum.*

In cenſibus Eccleſiæ etiam hi furtum committunt, qui in eligendis Eccleſiæ miniſtris auaritiã ſequuntur, non eligentes, qui plus prodeſſe Eccleſiæ poſſit, ſed qui plus donauerit. Nõ. qui aptus ſit ſeruire Eccleſiæ, ſed qui ipſis ſeruiuerit,

ſeruiuerit, aut ſaltem in poſterum ſeruiturum promiſerit. Similiter & illi peccant, qui cum ad miniſterium Eccleſiæ nec ſint idonei, nec eſſe laborauerint, tamen odore lucri attracti, officiis Eccleſiaſticis importuni ſe ingerunt, & cenſus Eccleſiæ in ocio & turpi luxu abſumunt: qui præ- eſſe nec volunt nec ſciunt, interim his, qui idonei ſunt, præter famem & contemptum, nihil relinquunt, non mul- tum diſſimiles ſerui iſtius, qui diuitiis Domini ſui quaſi fucus incubans, comeſſatur, & familiam Domini ſui in nullo ſubleuans, magis conturbat, cui Dominus comminã- tur. Quod ſi dixerit malus ſeruus in corde ſuo, Moram fa- cit Dominus meus venire: & cœperit percutere confer- uos ſuos, manducet autem & bibat cum ebriofis: veniet Dominus ſerui illius in die, qua non ſperat, & hora, qua ignorat, & diuidet eum, partemq; eius ponet cum hypo- critis, illic erit ſletus & ſtridor dentium.

Mat. 24

Qui rem aliquam inuenerit, ſi ea talis eſt, quæ in nul- lius vnquam hominis poſſeſſione aut poteſtate fuerit, in- uentor illa, vt ſua, ſine culpa vtitur. Si in hominis poſſe- ſſione fuit, rei Dominus inquirei, eiq; res inuenta bona fi- de reſtitui, debet. Si Dominus inueniri non poteſt, quod inuentum eſt, in vſus pauperum cedere debet. Alioqui rem inuentam ſibi ſeruans, furtum committit. Nam qui alienum reddere negat, ſi poſſet, etiam auferret.

*De rebus
inuentis.
14. q. 5. c.
Si quid.*

Nec vlla alia ratione à peccato ſe explicare poteſt rem alienam vſurpans, niſi eam, cui debetur, integram redhi- buerit. Qualis enim offenſio præceſſit, talem ſequi recon- ciliationẽ oportet. Qui rebus ipſis offendit, reddat quod abſtulit, & rei domino damnum, quod dedit, integrè com- penſet, & plenè pœnituit, iuxta illud Zachæi. Domine, ſi quẽ aliquid defraudauit, reddo quadruplũ. Alioqui, niſi quem factis læſiſti, factis placueris, fruſtra orbis ad Domi- num: ſine cauſa eleemoſynas facis de rebus, quibus alios ſpoliaſti. Quid prodeſt tibi, ſi alter pro te oret ad Domi- nũ, alter autem à te fraudatus, aduerſus te ingemiſcat ad Deũ? Peccatum non dimittitur, niſi ablatum reſtituatur.

*Peccatũ
non dimit-
titur, niſi
ablatũ re-
ſtituatur.
Chryſoſt.
in opere
imperfe-
cto.
Luc. 19.*

R. iij. Quod

Quòd si facultas restituendi desit, prompta tamen voluntas, quod deest facultatibus, explere debet.

Furtum faciunt etiam hi, qui res furto ablatas à furibus emunt, aut saltem veris dominis res amissas, cum possunt, non indicant. Digni enim sunt morte, non solum qui faciunt ea: sed etiam qui consentiunt facientibus, Rom. ii.

Occultius furantur, sed non minore detrimento res proximi afficiunt, & aliquatò occultis furibus sunt sceleratiores, qui in negotio fratrem astute circumueniunt, & per fraudem alienas substantias ad se trahunt. Tales sunt mercatores, qui iniusta pondera, stateras iniquas, & mensuras adulteras, subiiciunt: quorum fraudem acerbè scriptura increpat. Nolite (inquit lex) iniquum aliquid facere in iudicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera iusta, & æqua sint pondera, iustum modius, æquusq; sextarius. Et iterum. Non habebis in sacco diuersa pondera, maius & minus: nec erit in domo tua modius maior & minor: pondus habebis iustum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi. Et. Statera dolosa, abominatio, est apud Deum: & pondus æquum, voluntas eius est. Et. Pondus & pondus mensura & mensura, vtrunq; abominabile est apud Deum.

Mercatores fraudulenti.

Leuit. 19.

Deut. 25.

Prover. 11.

Prover. 12.

Fures sunt, qui merces multas coemunt & conseruant, nec prius depromunt, aut ad aliorum usum proferunt, quam precia earum in immensum creuerint. Et miri sunt artifices, rerum precia astuta calliditate augere, & merces interdum vitiosas & corruptas, pro sanis & integris solent extrudere: quorum improbam cupiditatem propheta detestatur. Audite hæc, qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes, Quando transibit messis, & venudabimus merces: & Sabbatū, & aperiemus frumentum, vt imminuamus mensuram: & augeamus solum, & supponamus stateras dolosas: vt possideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quicquid frumenti vendamus. Iurauit Dominus, Si oblitus fuero vsq; in finem opera eorum. Nunquid super isto non

Amos. 8.

commo-

commouebitur terra, & lugebit omnis habitator eius: Et alibi scriptura auaritiam eorum publicæ maledictioni notat obnoxiam. Qui abscondunt frumenta, maledicentur in populis.

Prover. 11.

Furtum etiam tunc committunt negociatores, cum simplicem emptorem nacti, merces carius indicant, & simplicitatem eius interdum iuramento non verentur circumuenire: quorum fraudem Dominus vindicabit, iuxta Apostoli comminationem. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ne quis supergrediatur, aut circumueniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus. Et multis aliis fraudibus & dolis obnoxie sunt negociationes huius seculi, vt planè in hos mores quadret illud sapientis. Difficile exiit negocians à negligètia, & nõ iustificabitur caupo à peccatis laborum.

1. The. 4.

Ecl. 26.

Nec solum in extrudendis mercibus furtum committitur, sed in acquirendis etiam, dum nimia solertia seu merces seu aliæ diuitiæ quæruntur. Nam iuxta vetus verbum. Vir iustus tardè ditescit, & vix à fraude alieni sunt, aut aliis damna non inferunt, qui magnas diuitias cito congerunt.

Simili modo iniusti sunt, & in rebus propriis furtum committunt, qui sua nimis amant, & tenaciter retinent, nec aliquando ad aliorum inopiam subleuandam profertur. Externa bona à Deo accepimus, vt dispensatores eorum simus, quæ ita nostra sunt, vt partem ex his egeni & inopes sibi vendicent: qui ergo diuitiis abundat, & inopes finit fame contabescere, hic fur est: & homicida. i. Ioan. 1. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere &c. Stulti & miseri homines, qui diuitias suas, quæ illis instrumenta comparandæ salutis esse poterant, in interitus sui vasa conuertunt. Nam dum timent, ne diuitias perdant, ipsi potius pro diuitiis suis percutunt, & vilibus pecuniis parcetes, preciosas animas perdunt: quos bene monet Apostolus, dicens. Nihil inultimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus.

Tenaces.

sumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & in desideria multa, & inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.

*Ingrati
furium
committunt.*

Psal. 36.

Qui mutuum accipientes, aut aliis beneficiis adiuti, malignè reddunt, aut benefactoribus suis ingrati sunt, hoc præceptum non minus, quàm occulti fures, præuaricantur: quos scriptura comdemnat. Mutuabitur peccator, & non soluet: iustus autem miseretur, & retribuet. Contra etiam locupletes culpantur, cum quæ dederunt ab his, qui soluendo esse non possunt, acerbè exigunt. Esa. 58. Qui soluendo esse non possunt, acerbè exigunt. Esa. 58. Qui qui mutuum dantes, à debitoribus ea pignora sumunt, sine quibus illi vitam suam fatis tueri non valent. Exo. 22. Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes, ei. Ipsum enim est solum, quo operitur indumentum carnis eius, nec habet aliud, in quo dormiat: si clamauerit ad me, exaudiam eum: quia sum misericors.

*Validi mē
dicantes.
Decocto-
res.*

2. The. 4

Hi quoq; in hoc præceptum peccant, qui validis corporibus mendicant, & qui marcentes ocio, res à parentibus relictas, aut aliunde partas, non augment labore, sed desides absumunt: & vbi ad fenestram ventum, viciitare ex alieno coguntur. Vnde ociosos Apostolus iubet obiuirgari, & ad laborem compelli. Cùm essemus (inquit) apud vos, hæc denūciabamus vobis: quoniam si quis non vult laborare, nec manducet. Audiuimus enim quosdam inter vos ambulare in quiete, nihil operantes, sed curiosè agentes. His autem, qui eiusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes, suum panem manducent. Et alibi. Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis quod bonū est: vt habeat vnde tribuat necessitatē patiti.

Eph. 4.

Breuius, quicumq; aliquid de facultatibus proximi quicumq; tandem ratione aut via subtrahit iniuste, hic furtum committit. Et vt fraudem suam astutia occultet, aut auaritia

tiam consuetudine excuset, tamen apud Deum notus, & iniustitiæ erga proximum reus est, qui corda intuetur: Iuxta illud Christi quod auaris dixit. Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus: Deus autem nouit corda vestra. Et Deum Apostolus omnis fraudis asserit vindicem, 1. Thess. 4.

Non possunt fraudes & doli omnes notari, quibus per omnia omnium commertia in hoc præceptū variè peccatur. Et ingeniosa auaritia non definit nouas fraudiū formas comminisci, quibus ex commertiis hominū doli omnes arceantur, nisi vt moueantur homines, omnem illicitam habendi cupiditatem ex animis deponere, & in neq; cōitiis erga fratrem hanc doctrinā Christi obseruare: Pro Mat. 7. vt vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similititer. Et hanc Thobix. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide Tob. 4. ne tu aliquando alteri facias.

Hanc doctrinam obseruantibus, & de suo his, qui necessitatem patiuntur, liberaliter impartientibus, abundè multæ erunt diuitiæ, secundum Domini promissionem, & scripturarum fidem, quæ tenacibus quidem inopia & egestatē cōmanantur: his autem qui misericordes sunt & liberales, multam abundantiam promittit. Prouer. 28. Qui dat pauperibus, nō indigebit: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. Qui autem administrat semen femi nanti & panem ad manducandum præstat, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ, vt in omnibus locupletati abundetis. Et alia liberalium præmia passim scripturæ commemorant, Matthe. 25. Luc. 6. 16. Non possunt exhauriri diuitiæ, vnde quotidie Domini voluntas adimpletur, & vnde quotidie misericordiæ vtilis indigentibus, & Deo gratissimæ, promanant. Auaros & immites, & sua tenaciter seruantes, aut aliena auidè corrogates, mutiplex vindicta diuinitus manet. Hinc quidam in quærendo solliciti, & sæpe etiā iniusti, perpetua tamè egestate premuntur. Prouer. 11. Alij diuidit propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Aliis, quibus diuitiæ abundè prouenerūt, adempta est potestas iis vtēdi.

Eccle. 5.

Eccle. 5. Alij (qui vt hæredes suos dirarent, in seipfos & in multos alios duri & iniusti fuerunt) sæpe filios pro locupletibus flagitiosos simul, & ante tempus omnium rerum inopes, reliquerunt, iusta Dei vindicta diuitias iniustas consequente, vt malè partæ, deterius pereant: & relictis hæredibus, quibus per iniustitiam quæsitæ sunt, ad alios auolent, ad quos anxius corrasor minimè vellet. Et relinquet (inquit) alienis diuitias suas. Et. Thefaurizat, & ignorat, cui congregetur ea.

*Psal. 48.
Psal. 38.*

Sterilitates terræ & bella, ad fraudes hominum puniendas auerunt.
Insuper auaritiam & iniustitiam hominum, Deus non raro publicis calamitatibus viciscitur. Quia homines de Dei donis, iuxta eius mandatum, liberales esse nolunt erga inopes: Deus duritiam eorum sterilitate terræ punit, negans frugum vberitatem his, qui indigentibus negant commiserationem.

Et quia latius serpunt in commerciis hominum doli & fraudes, quàm vt a legitimis Magistratibus coerceri queant, adeoque furta sæpe maneat impunita: ideo Deus bella excitat, quibus diuitiæ, per iniuriam partæ, disperguntur, & fures & auari debitis pœnis affliguntur, Esa. 5. Amos 8.

P R A E C E P T V M V I I I.
N O N L O Q V E R I S C O N T R A P R O -
ximum tuum falsum testimonium.

T Ribus proximis præceptis sui cuique corporis salutem, vxoris pudicitiam, & bonorum incolumitatem, defendit, & quæcunque homini chara sunt, ab iniuria tutatus est Legissator: ex omni parte procurans, vt syn-cera inter homines charitas & integra concordia perseveret. Hoc præcepto linguam hominis, velut rabidam & nocentissimam bestiam coercet, quæ vitæ, famæ, & fortunæ proximi infidiatur. Quæ inter reliqua humani corporis

poris membra portione parua. malitia grandis & immensa est, & per omnes læsionum species nocere solet: Hæc corpus proximivt gladius ferit, vitam exorquet, vxoris pudicitiam violat, fortunas rapit: ita, vt non satis tuta sit hominum, seu in personis seu in rebus, incolumitas, etiam si omnis alia cesset iniuria, ni etiam virulentia linguæ cohibeatur, quæ aduersus proximi personam & res, grauissimis nocementis scuire solet.

Lingua malitia.

Habet ergo octauum præceptum aliorum quasi quoddam supplementum, in quo hoc cauere intèdit Legissator, ne quis contra proximi charitatem id committat indomita lingua, quod alia præcepta fieri prohibent.

Vetat Deus, ne quis alteri vitam adimat per violentiam, edicens. Non occides. Sed non minus occidit, qui falso testimonio innocentem damnationi subiiciens, ad mortem vrget, quàm qui gladio necat.

Vetat Deus, ne quis alienæ vxoris pudicitiam violet, edicens. Non mœchaberis. Sed vxorem alienam non solum is facit adulteram, qui eam coporis coniunctione poluit, sed qui eam ad illicitæ libidinis consensum verbis persuadet: aut non minus famam alienæ vxoris lædit, qui cum ea adulterij consuetudinem miscet, quàm qui confitis mendacis pudicitiam eius facit suspectam.

Vetat Deus, ne quis res alienas per iniuriam diripiat, edicens. Non furaberis. Sed non minore detrimento in fortunis suis proximum afficit, qui per falsum testimonium, pecuniis, agro, domo, spoliat proximum: quàm qui scrinia effringens, furatur res eius, aut latrocinio diripit.

Deus itaque falsum testimonium prohibens, omnem abusum linguæ damnat: volens omnem inter homines linguæ virulentiam cessare, qua alius alium, seu in persona propria, seu in personis ad eum attrinentibus, aut etiam in bonis, damno & iniuria afficere potest per linguam.

Est

Lingua coercetur præcepto octauo.

Est alius huius præcepti vsus, vt cum per reliqua præcepta Deus homini vitam, vxorem, & facultates, vindicet ab iniuria: nunc pari ratione, famam, honorem, laudem, & bonum nomen eius, tueri intendit, in quibus eum venenata lingua nonnunquam per summam iniuriam atrocissimè lædit.

NON LOQVERIS, inquit, **CONTRA proximum tuum falsum testimoniu**. Hoc est, ab omni profus abusu linguam tuam cohibebis, ne vllam inferat noxam proximo tuo, vel in persona eius, vel in personis ad eum attinentibus, vel in bonis externis, aut etiam in fama, quæ bonis externis preciosior & charior esse solet. Nam diuitiæ semel amissæ, sæpe etiam cum lucro reparantur: famæ semel læsæ aut amissæ, difficilis admodum & penè impossibilis est reparatio. Et duriùs inter hoïes viuit, cui maleuola lingua bonâ famam abstulit, quàm quæ vis iniusta ad inopiam redegit: minore enim molestia diuitiis, quàm bona fama careere homines possunt. Prohibe, inquit, linguâ tuâ à malo, & labia tua ne loquâtur dolum.

Psal. 33.

Qui peccet in hoc præceptu

3. Reg. 21

Dan. 13.

Exod. 23.

Prover. 6

Peccat contra hoc præceptum grauissimè, qui in iudicio contra causam proximi falsum testimonium iurati proferunt, vt eum ad condemnationem vrgeant innocenter, & condemnatum aut ad necem compellant aut facultatibus exuant, aut fama cum spoliât. Sic duo viri Belial, mentientes in iudicio contra innocentem Naboth, effecerunt, vt à multitudine lapidibus obrutus insons neceretur. Et duo Seniores castissimam Susannam falso testimonio adulterij condemnauerunt. Non minus delinquit, qui nocetem falso testimonio liberant, & meritæ pœnæ eum subtrahunt. Non suscipies, inquit scriptura, vocem mendaci: nec iunges manum tuam, vt pro impio dicas falsum testimonium. Et alibi testem mendacem inter ea, quæ Deus odit, commemorat. Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius: Oculos sublimes: Linguam mendacem: Manus effundentes innoxium sanguinem: Cor machinans cogitationes pessimas: Pedes veloces ad currendum in malum: Proferentem mendacia testem

testem fallacem: Et eum, qui inter fratres seminat discordias. Et contra tantam peccati huius grauitatem, seueras vbique pœnas scriptura denunciat. Testis falsus nõ erit impunitus. Testis mendax peribit.

Prou. 19.
Ibid. 21.

Gravius crimè est, cum in iudicio causæ miserabilium hominum per mendacia subuertuntur, & falsis testimoniis opprimuntur viduæ & pupilli, qui hominum patrocinio nudati, sub sola iudicij tutela conquiescunt: Ideoq; Deus per Prophetas acerbè increpat eos, qui miseros istos vno illo iudicij refugio per violentiam & iniustitiam spoliant. Væ, inquit, qui condunt leges iniquas, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei: vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Causam viduæ non iudicauerunt, causam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperum non iudicauerunt. Et. Viduam & pupillum nolite contristare.

Esa. 10.

Falsis testibus nihilo sunt iustiores Iureconfulti, qui apicibus iuris insistentes, simplicitatem colligatoris per occasionem aucupantur, & nonnunquam illi bonam & iustam causam sola iuris subtilitate extorquent. Vigilantibus (inquiunt) iura subueniunt. Et. Cùm causa laboratur, ad remedia iuris confugiendum est. Quibus tamen regulis, non ad vnum illum omnium legum, & totius iustitiæ finem tendunt, vt ius suum vnicuique tribuatur: sed hoc quærunt, vt conquisitis remediis, causam ex suis meritis debilem fulciant. Et vigilant (vt Propheta ait) super iniquitatem, vt litem prorogent: aut aduersarium suum, quem intelligunt causæ meritis superiorem, alicubi ex incuria iustæ causæ minus prospicientè, deiciant & perfundent. Et hoc demum solidæ laudis esse existimât, si ex ancipiti aut potius iniusta causa, tamen victoriam retulerint: immemores præceptoru Domini. Non loqueris aduersus proximum tuu falsum testimoniu. Et. Omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Nemo autem uellet, ad subruendam iustam causam suam, detortis legum sententiis contra sepugnari, aut in victoria causæ, per se iustæ, subtilitate iuris sese impediri.

Iureconf. sulti.

Esa. 29.

Extra

Detraho res. Extra iudicium delinquit in hoc præceptum, qui confictis criminibus famam proximi denigrant, & sinistris sermonibus existimationem eius lædunt, aut mendaci delatione nonnunquam vitam & bona proximi, in extrema pericula deducunt. Detractionem scriptura ferus testimoniis iugulat & condemnat. A bominatio hominum detractor. Et si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit. Et. Detrahentè secretò proximo suo, hunc persequebar. Et. Nolite detrahare alterutrum fratres mei. Paulus aculeo detractionis homines vsque ad mutuam interitum, & ad certam animæ mortem, pugnare innuit, cū Galatas obiurgans, ait. Quod si iniucè mordetis & comeditis, videte, ne ab iniucè consumamini.

Eiusdem criminis se reos faciunt, qui detractoribus libenter auscultant: hi enim patientia sua, aut potiùs delectatione, ad criminandum detractores incédunt. Contra detractionem muniri nos oportet, iuxta Sapientis admonitionem. Sepi (inquit) aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis. Spinæ sunt & seræ auriù, si senserit detractor conuitiis suis, quibus absentis famam proscindit, te nequaquam delectari, si te auerteris, & si eum obiurgaueris, & malitiam animi eius liberè corripueris. Venus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguà detraherentem. Et alibi scriptura detractionè igni comparat. Ignis flatu magis accenditur, sputo deletur: sic si quadam auscultandi delectatione detractorem foueris, ad ampliora conuitia prouocabis: si durè acceperis, cohibebis os eius, & à detractione in posterum coges abstinere. Lingua testificans, adducet mortè: si sufflaueris, quasi ignis exardebit: & si expueris super illam, extinguetur. Et Psaltes inter virtutes constantis & innocentis viri adnumerat, si opprobrium aduersus proximum non admiserit. Quod si omninò conuitium, in proximum effusum, audire te contigerit, id apud te sepelire, nec ad alios deferre oportet. Ne iteres verbum nequam & durum. Et. Audisti verbum aduersus proximum tuum, commoriatur in te: fidens, quoniam non te dirumpet.

Detra

Detractoribus in culpa similes sunt, qui temerè proximum iudicant, hoc est, qui lapsum acerbè insectantur, & peccatum eius libenter exaggerant. Nolite iudicare (inquit Christus) & non iudicabimini. Quod etià in manifestis fratrum delictis intelligendum est, aduersus eos, qui proniores sunt ad condemnationem, quàm ad correctiõnem eius, qui aliquo peccato præoccupatus est: qui mordere, & vitia aliena propalare, gaudent: & qui mala proximi in maius euehunt, bona eius ex quadam animi malignitate extenuant. Cùm sit candor Christiani, bona alterius copiosè & magnificè prædicare: mala verò excusare, abscondere, extenuare. Si potes, excusa actionem: si non, excusa intentionem: si nec intentionem, excusa tentationè. Nam hoc vt facias, charitas postulat, quæ multitudinem operit peccatorum. Nemo alienum peccatum sine peccato iudicat, nisi cui autoritas adest & iusticia. Nam & Magistratus peccat, si proprii animi affectum feruens, punire sustineat de crimine non conuictum: & priuatus, etiam si fratrem delicti rei cognouerit, quia tamen potestatem non habet, si iudicauerit, delinquit.

Sed vt lapsò insultare superbiæ est, ita peccatum eius negligere, grandis crudelitatis. Itaq; qui potestatem habet, si in puniendo negligentem se & ignaum præbuerit, grauiter delinquit, & criminum societate se polluit. multæ autem misericordiæ & charitatis est, castigare delinquentem, non tam ob præteritum crimen, quod amplius insectum reddi non potest, quàm ne iterum peccet, & ne alij eius exemplo delinquant. Vnde ad maturã vindictam peccati, scriptura cohortatur, dicès. Frenim, quia non citò fertur contra malos sententia, absque timore villo filij hominum perpetrât mala. Attamen peccator ex eo, quod centies facit malum, & per patientiam sustenatur. Et. Restilente flagellato stultus sapientior erit.

Inter eos, qui iudicandi potestatem habent, numerandi sunt Concionatores, qui non peccat, si contra delicta hominum liberè loquuntur, & peccata eorum arguunt: sic tamen, vt solam spectent emendationem, & inter iras verborum

Luc. 6.

Bernar.

Ad iudicandum requiritur potestas & scientia.

In peccato fratris, quid faciendum.

Eccles. 8.

Prove. 19

Concionator.

verborum animus lenis sit, & charitate ferueat. Verba sapientum sunt vt stimuli, & quasi clauis, in altum defixi. Eccle. 5. Esa. 58. Ezech. 3.

Priuat Priuatus, vt potestatem non habet: sic nec voluntatem habere debet puniendi delinquentē. Sed ne sic quidem, vt negligat peccatum fratris, Christiana charitas permittit. Sic itaque abominari debet peccatum fratris, vt charitatem in eum conseruet integram. Iudicium quidem super delicto eius ad Deum remittat, & ad eos, qui Dei munus inter homines exercent, ipse delictum fratris nec acerbē iudicet, nec diffamet: memor propriæ imbecillitatis, ne & ipse teneatur & cadat, sed ad emendationem eius totis viribus incumbat: quærat liberationem fratris, non subfannationem: auxilia meditetur, non conuitia. Quæ dubia sunt & adiaphora, ad meliorem partem commoda interpretatione traducat: quæ apertè sunt mala, excuset, minuatur, abscondat, donec sanare valeat. Fratres (inquit Apostolus) etsi præoccupatus homo fuerit in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu teneris. Alter alterius onera portate: & sic adimplebitis legem Christi. Et. Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Instet tempestiuus admonitionibus, quibus peccato fratrem abducat: & si quidem ab errore conuerterit eum, lucratus est animam eius. Si verò salutarius monitis non acquieuerit, vt recedat è peccato, deferat delictum eius ad Ecclesiam, & peccatum fratris solo corrigendi amore, non odio persequendi, eorum supponat iudicio, qui ex officio possunt, & ex charitate volunt, sic iudicare fratrem, vt precepto peccato, hominem incolumem conseruent.

Temerario iudicio multum affinis, & in reatu æqualis est illa aliorum agnata malignitas, quæ rectè facta aliorum parcè laudamus, nec etiam vera alicuius & debita laudè admodum delectamur. Cõtrà verò, vitia eorū copiosè narramus, & vituperio exhalamus.

Si quis frequenti confessu laudes alicuius exorsus fuerit, alij tristes in silentio auscultant: Si lapsum alicuius commemoraueris, quasi expergiscuntur, aures arrigunt, & faciem exhilarant, nec ferè quisquam in silentio se continere potest, ne quid ad accusationem lapsi adiciat, aut saltem similem alterius casum cupidè denarret.

Simul autem cum externo iudicio, sinistram illam animi existimationem à nobis vult ablatam Dominus, quæ de proximi verbis & actibus in animo malè sentimus, omnia in deteriorem partem trahentes, cum sit voluntas Dei, vt simus in proximum misericordes: ita, vt non solum quæ rectè facit, non peruertamus sinistro iudicio, sed ea etiam, quæ secus facit, benigna interpretatione leniam. Estote misericordes, inquit. Et quid exigeret ostendens, subiicit. Nolite iudicare: Nolite condemnare.

Luc. 6.]

Impingunt etiam in hoc præceptum susurriones, qui mala alterius apud alium criminantes, mutua odia suscitant, & inter tranquillos, & pacem habentes, dissidia seminant, & certamina accendunt. Non eris criminator & susurro in populis. Et alibi abiiciendum susurrionem monet scriptura, vt pax & concordia inter amicos retineatur. Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis: & susurrione substracto, iurgia conquiescunt. Et grauitate delicti huius subindicans, ait. Susurro conquinabit animam suam, & in oibus odietur. Et. Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes. Solet malignitas susurrionū, si quid viderunt & audierunt, visis vel auditis, multa adicere, & mendaci ac intèpestiua cõmemoratione irã acere. Sic Doeg Idumæus cùm vidisset Dauid in Nobe, Sacerdotes loci apud Regem, quasi de conspiratione cū Dauid inira, accusans, octoginta quinque viros innocentes infani Regis iræ obiecit, & ad necem omnes præcipitauit, quæ Dauid acerrimè persequitur. Tota die iniustitiã cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolū. Dilexisti verba præcipationis lingua dolosa, propterea Deus destruet te in fine: euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicē tuam de terra viuentium.

Leuit. 19.

Proue. 26

Eccle. 21.

Ibid. 28.

1. Reg. 21

22.

Psal. 51.

*Adula-
tores.*

Parem culpam merentur Adulatores, qui potentiorum gratiam aucupantes, omnia illis assentantur, mala bonaque eorum ex pari laudant: & cum in vitia pronos senserint, non deterrent salutaribus monitis, ne gratiam amittant: sed pestiferis adulationibus impellunt, & omnium viti-
orum illis se, suosores & ministros præbent, vt obsequio, Principum animos sibi deuinctos reddant. Tales pestes, vbi maximè nocere possunt, ibi nidos suos posuerunt. Aulas enim inuolantes, Principum aures obsident, ne vniquam verum audiât: & hinc, quasi ex alto, innumera mala in Respublicas deuoluunt, & mundum ingentibus calamitatibus replent. Principum enim seductio (quam istis pestibus debemus) tanto est nocentior, quanto est potentia maior, & peccata eorum in plurimorum perniciem redundant. Fœlicem Rempub. quæ Principem nacta est, cui mentem Deus inspirauit, vt adulationibus aurem non accommodet. Sed hæc pestibus fugatis, cordatorum & gratium virorum, & veritatis amantium, cõsiliis acquiratur. Qui veritatem liberè proferant, & suis consiliis Principem, non ad proprias cupiditates explendas, instigant: sed ad promouendam publicam vtilitatem, inducant, vt possit cum Rege Dauid dicere. Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum. Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabit. Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non dixerit in conspectu oculorum meorum. Et. Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris, non impinguet caput meum. Adulationem scriptura alibi auersatur & damnat. Melius est à sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi. Et. Laudatur peccator in desiderijs suis, & iniquus benedicitur.

Psal. 100.

Psal. 140

Eccle. 7.

Psal. 9.

Adulationi propinqua vitia sunt, & simili reatu inquant. Dissimulatio, qua quis peccantem videns, non arguit: sed tacet, ne odio & inimicitia eius se grauet. Et Passillanimitas, qua quis veritatem metu reticet: timens, ne indignationem potentis alicuius contra se excitet verum proferendo. Audis potestem, iniuste insultantem misero, aut falsis criminibus delatum vides innocentem opprimi, &

& non excusas, non defendis, & notâ tibi veritatem occultas, ne iram potentis contra te prouocas: sic agens, vti- que falsi testimonij reus es, & Dei irâ super te prouocas: quia hominem magis, quam Deum, times. Erue eos, inquit scriptura, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Talibus adulatoribus totus mundus est plenus, & ad talem adulationem penè omnes nascimur, vt potentibus & diuitibus liberent applaudamus, & negligamus ac contemnamus miseros & inopes. Contra hanc adulationem, grandi virtute, & sollicita cura opus est, vt eam ex animis abiciamus. Cogedi sunt animi timore Dei, & minis scripturarum, vt proferant vera testimonia, & agnatam illam adulationem expellant: ne respiciant personam potentis, sed cum virtute irumpant in omnem iniquitatem, & nihil curent quantumuis diuitem & potentem, si sit iniustus. Vicissim verò, virum innocentem & iustum, forti & constanti veritate suscipiant utendum, quantumuis inops sit & ignobilis, iuxta illud. Ad nihilum deductus est in conspectu eius magnus: Timentes autem Dominum glorificat, Psal. 14.

Prou. 24

Eccle. 7.

Simul etiam turpiloquium, & omnis vana & inutilis loquacitas, hoc præcepto prohibetur, quæ passim scriptura condemnat. Christus, de omni verbo ocioso homines rationem reddituros, minatur. Turpiloquium & scurrilitatem Apostolus seriò coërcet. Fornicatio autem, & omnis immundicia, aut auaritia, ne nominetur inter vos, vt decet sanctos: aut turpitude, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet: sed magis gratiarum actio. Et. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. In multiloquio, ait Sapiens, non decerit peccatum: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. Et. Odibilis est, qui est procax ad loquendum. Et iterum. Qui multis vtitur verbis, lædit animam suam.

Turpiloquium vetatur.

Matt. 12. & Eph. 5.

Eph. 4.

Prou. 10

Eccle. 20

Vetatur etiam omne mendacium, cuius multa numerantur genera.

De multiplici mendacio.

Officium mendacium est, quod officio datur, id est, quo alicuius utilitas & salus quaeritur, sine alterius iniuria: aut ubi innocentia iusti hominis, in aliqua magna necessitate, contra alienam malitiam defenditur,

- O**
- Exo. 1.** Quali mendacio obstrictes Aegyptiacæ, Hebræorum
1. Reg. 19 infantes, contra immane Regis edictum, tutatæ sunt.
Ios. 2. Et Michol vitam David à persecutoribus à patre submisit. Et Rahab speculatore Israel ab inquisitoribus seruauit. Hoc mendacium vt sit propter necessitatem, aut magnam utilitatem, excusabilius, nemo tamen illo sine peccato vitur, eò quòd Deus omne mendacium detestetur: quoniam mendacium aduersatur veritati. Deus autem veritas est. Omne mendacium, ait Ioannes Apostolus, non est ex veritate. Cùm itaq; ex scripturis mentiendi exempla proponuntur, aut non sunt mendacia, sed putantur esse ab his, qui occulta dei consilia non intelligunt, quibus sancti homines ducebantur: aut si sunt mendacia, non sunt imitanda: quia iusta esse nõ possunt. Obstrictes autem Aegyptiacæ, & Rahab Hierichuntina, non idè placuerunt Deo, quia mentitæ sunt: sed quia in homines innocentes misericordiam præstiterunt. Pietatis ergò & benevolentia, non fallacia & iniquitatis præmia acceperunt, & veniam mendacij ex merito misericordia & pietatis consecutæ sunt.

- Mendacium iocosum.** Iocosum mendacium est, quo voluptas captatur, & audientium hilaritas & delectatio quaeritur, à quo propositum fallendi abest. Sic enim homines iocosum mendacium proferunt, vt vèhnt intelligi, quòd iocos loquantur. Ab hoc mendacio Apostolus homines Christi vult alienos, quos iubet ab omni scurrilitate abstinere, quorum gratitatem sancti modò & vtilis sermones decent, ad ædificationem fidei conducentes, vt dent gratiam audientibus.
- Matt. 12.** Et Christus, non deo verbo ocioso rationem redditurus, affirmans, ab inani iocandi voluptate nos deterere debet.

Aliud

Aliud est mendacium perniciosum, quod in periculum Mendacium & perniciem tendit, & proximum aut in corpore, aut in pernicio-
bonis, aut in fama, lædit: quod Dominus per Prophetas sum.
valde detestatur. Loquimini (inquit) veritatem vnusquisq; cum proximo suo. Et. Pacè & veritatem diligite. Zach. 8.
Et. Vt quid diligitis vanitatè, & quaerit is mendacium? Psal. 4.

Vt perniciosum est mentiri, & Deo odibile: sic etiam naturæ hominis est aduersum. Nam natura omnes homines scire cupiunt: horrent ergo per mendacium decipi & falli. Et nullo conuitio grauius mouentur homines, quàm si mendaces culpentur: sic ipsa natura mendacium abominatur. Et ad perturbandam hominum societatem, vix est aliud scelus mendacio perniciosius. Reliqua vitia plerumque cum bestiis possidemus communia, hoc solo malitiam ferarum homines superamus, & Diabolo similes efficiamur, qui mendax est, & pater eius. Inter omnia enim animalia, solis hominibus, ad explicandam veritatem, ratio & sermo datus est, qui per malitiam mentiendi, hæc nobilissima Dei dona iniquissimè corrumpunt. Deus, quoniam ipse veritas est, in scripturis omne mendacium auersatur & condemnat. Non mentiemini, inquit, nec decipiet vnusquisque proximum suum. Et. Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim eius non est bona. Et. Os, quod mentitur, occidit animam. Et. Abominatio est. Deo labia mendacia. Ft. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Et. Apostolus nos monet. Quapropter deponentes omne mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo. Et. Nolite mentiri inuicem. Et in Apocalypsi Ioannes comminatur, mendaces cum furibus, & adulteris, & veneficis, iudicandos, & æternis deputandos suppliciis.

Periculosissimè autem mentiuntur, qui ad seducendas simpliciter animas, falsas doctrinas comminiscuntur, detorquentes verbum Dei ad suam & aliorum perditionem: In quos maxime quadrat. Os, quod mentitur, occidit animam: non mentientis solum, sed seductorum per mendacium. Quibus alibi Spiritus sanctus acerbum

S iijj. comminatur

Pfal. 5.

comminatur supplicium. Odisti omnes operantes iniquitatem: & perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Decidant à cogitationibus suis: secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos. Tales non excusat, si pia intentione & zelo veritatis spargant falsa dogmata: credentes, se veritatem tenere, quam non tenent. In hanc enim intentionem scelerata quadam animi superbia deueniunt, qua se solos sapientes credunt, & solos se habere Dei spiritum contendunt, suamque opinionem omnibus omnium seculorum iudiciis anteferre, impia quadam & superba audacia non verentur.

Luc. 18.

Simulatio.

Prou. 26

Ecle. 19.

Pfal. 14.

Ad mendacium omnis simulatio quadamtenus accedit, & pari culpa condemnari meretur, vt cum quis gloriôsùs videri vult, arrogans sibi quod non habet, aut donis suis vsque ad aliorum contemptum superbit. Non sum, inquit, vt ceteri homines. Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, linguam magniloquam. Et contrarium, cum quis in extrema animi superbia, & summa gloriæ cupiditate, foris se humiliat, volens videri, sed non esse humilis, vt vel ex humilitate gloriolam aucupetur: quos scriptura monet vitare. Qui submisericordiam suam, ne credideris ei: quoniam septem nequitia in corde illius. Et. Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo. Denique mendacij speciem induit, & falsi testimonij culpam meretur omnis oratio hominis, quæ à mentis iudicio, & intentione cordis, quomodolibet discrepat. Itaque omnem huiusmodi simulationem auertatur Dominus, qui non solum oris mendacium hoc præcepto vult excludere, sed plenam & perfectam cordis veritatem & simplicitatem requirit. Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.

PRÆCEPTVM IX.

NON CONCVPISCES

Domum proximi tui.

PRÆCEPTVM X.

NEC DESIDERABIS VXOREM eius, non seruum, non ancillam, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt.

Ut omnia posterioris tabulæ præcepta tendunt, vt sit inter homines sincera dilectio, & concordia inconuulsa, quæ nõ perseuerat, nisi inter eos, qui à mutuis iniuriis abstinent.

Homo autem homini noxam infert, aut opere aut verbo, aut saltem animi cupiditate, in damnum & in iniuriam proximi molitur. Quintum, sextum, & septimum præceptum prohibent, ne quis reipsa proximo, seu in corpore, seu in externis bonis, incommodet: aut, ne contumeliam ei inferat, vxorem eius violando. Ceterum vetat, ne in iis omnibus verbo noceamus alteri.

Hæc postrema præcepta concupiscentiam vetant, ne quid cupiditate. aut conatu animi, in perniciem aut contumeliam proximi, moliamur.

Hic autem contextus verborum non incommode in duo præcepta diuiditur, propter duplicem concupiscentiam, qua homines ad mutua damna & contumelias inuentur. Vna est concupiscentia boni vilis: altera boni delectabilis. Vna concupiscentia quæstus, altera vero voluptatis. Vna est cupiditas lucrì: altera appetitus libidinis. Ad lucrì cupiditatem coherendam, referuntur hæc uerba. NON CONCVPISCES domum proximi tui, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ eius sunt. Ad refrenandam libidinem pertinet id, NEC DESIDERABIS VXOREM EIVS. Quod post præceptum non mæchandi necessariò adiunctum est, ne rudis populus crederet, voluntatem ad perpetrandam libidinem procliuem, aut etiam improbum adulterij conatum, à peccato esse immunem, quamdiu successus non sequeretur.

Et

Et quamuis Deus sexto præcepto omnem affectum dânet, ad illicitas libidines pronum : & cum ipso malo facinore, etiam malam voluntatem prohibeat, tamen hoc præceptum: **NON DESIDERABIS VXOREM PROXIMI TVI**, hoc habet amplius, ne quis, etiam iustis alioqui, & apud homines licitis rationibus, alienam vxorem conetur facere suam. Iudæis enim, tamen meretrici vetabantur, licebat tamen ab altero dimissam ducere. Inueniebantur itaque, qui etsi vxorem alteri iunctam adulterio violare nõ auerent, rationes tamen inibant, vt repudiatam, & ab alio dimissam, ducerent: & ob eam cupiditatem fauebant repudiis, nonnunquam sollicitantes vxorem, aut occasiones subiicientes, quibus offensus prior maritus, vxorem dimitteret, quam dimissam, mox, qui concupierat, occuparet.

Christiani, quibus repudiandi licentia adempta est, contra hoc præceptum delinquant, quoties virginem alteri desponsam, callidis consiliis præripiunt, aut ne desponsetur, impediunt: Aut, quoties proximis suis vxores meliores, pulchriores, & magis pudicas, inuident.

Similiter alia lucri concupiscentia, in septimo, & alia in his præceptis, prohibetur. In illo enim iniustæ usurpationes rei alienæ prohibentur, ne quis furto aut dolis alienas substantias expilet. In his vetatur, ne quis, etiam licitis, & à iure permissis rationibus, rem alienam conetur facere suam, qua videt proximum sine damno carere non posse.

Sic peccant, qui pecunias mutuas tradunt inopibus, deinde solutionem repente vrgent, quam cum præstare debitor non possit, diuendere cogitur agrum aut domum, cui inhiabat diues creditor. Sic callida, at tamen apud homines concessa ratione, miserum suis facultatibus extrudit, & agrum aut domum eius occupat. Qualem cupiditatem Dominus per Prophetam increpat, dicens. *Væ, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agrò copulatis vsque ad terminum loci. Nunquid vos soli habitabitis*

bitis in terra?

Hæc iniquitas iudicia passim occupauit, & ista est quorundam Iureconsultorum potissima ars, vndique cõquiritis iuris remediis causam aduersarij, tamen meritis potiozem, labefactare, & tandem quouis modo, per callidas legum torfiones, ad victoriam penetrare. Quorum peruersitas locum dedit prouerbio. Summum ius, summa iniuria. Cùm viâ excogitant, vt id quod vident, æquitate ratione obtineri non posse, aliquo saltem iuris prætextu assequantur: qui tamen ista facientes, culpari velut iniusti nolunt, & prouocatione iuris egregie se defendunt. Quorum conscientias, velut inuictæ ariete, his Domini mandatis ferire oportet. Nolite facere aliquid iniustum in iudicio. Et. Quod iustum est, iustè exequaris. Et. Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, vos similiter facite illis.

Summum ius summa iniuria.

Peccant in hæc præcepta, quicumque ad res alienas sibi vendicandas, ætate, aut necessitate, aut incuria, & ignorantia possessoris abutuntur: etiam si id faciant ordine iuris, tamen cum detrimento proximi. Vt cùm tutores & curatores corrumpi sinunt pupillos suos, aut suis consiliis ad aliud vitæ genus traducunt, non vt saluti & utilitati eorum consulant: sed vt bona, à pupillis dimissa, occupent. Et cùm diuites, videntes proximum necessitate cõstrictum, vilius iusto ab eo domum aut agrum emunt. Similiter cum quiuis negociator, sentiens, venditorem vel emptorem rei precium non intelligere, minoris emit, aut pluri vendit, quàm valet res.

*Leuit. 19
Dent. 16.
Matt. 7.
Tob. 4.*

In appetitione serui & ancillæ, non dissimili ratione peccatur. Delinquit enim, qui in aliena familia videt seruum frugi, aut ancillam vtilem, conatur promissis eos allicere, vt relicto Domino priore, sibi operam locent. Spontè verò à priore Domino discedentem seruum aut ancillam, quiuis sine peccato suscipit: si tamen proximo nocendi voluntatem nullam habet. Quod simili ratione in appetitione aliarum rerum est intelligendum, vbi eam modò

modò cupiditas culpatur, qua nostram vtilitatem cum alieno damno quærimus. Si verò rem venalè in iusto pretio fueris mercatus, aut licito modo, & legitimo còtractu rē alterius feceris tuā, dumodò fide bona & sincera mente cum proximo contrahas, per hoc omni culpa cæres.

His præceptis satis ostendit Deus, legem suam esse spiritualem, hoc est, non externo solùm opere, sed internis animi affectibus adimplendā: nec infontem habebit Dominus hominem, quantumvis in externo opere continentem, nisi etiam prauas cogitationes cordis ab oculis Dei procul remouerit. Esa. 1. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Grandi itaq; virtute & vigilanti cura opus est, vt Dei legem sic adimpleamus, ne saltem concupiscentiæ delictis maculemur. Qualis innocentia humanis viribus nullo modo præstari potest, sed integram legis adimplerionem à Deo ardentibus precibus ambire oportet, qui solus eam præstat, diffundens charitatem in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Charitas autem adimplet legem.

Rem. 5.

Concupiscentia verò, cum etiam in renatis & sanctis hominibus, & his, qui Spiritu Dei verè aguntur, non cesset continuam pugnam suscitare: contra eius insidias nemo, dum hanc mortalem carnem circumfert (Christo cum Virgine matre excepto) tanta cura aduigilat, aut ductibus Spiritus tam integrè obtemperat, vt legem Dei se plenè implere, & ab omnibus delictis se immunem esse, gloriari queat: iuxta illud. Quis gloriari potest, mundum se habere cor? Et. Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Vnde & Sancti, dum hac mortali carne circundantur, necesse habent ad Deum inclamare. Dimitte nobis debita nostra.

1. Ioan. 1.

Sciunt tamen renati, concupiscentiam potius ad augendum meritum, quam ad offensionem culpæ in ipsis relictam. Quam sic in eis Christi gratia infirmat, sic Spiritus sanctus debilitat, vt quiuis renatus de lucta concupiscentiæ diuina fretus virtute, victoriam utiq; reportare queat Peccatū (inquit Apostolus) vobis non dominabitur. Non

Rem. 6.

caim

enim estis sub lege, sed sub gratia. Et iterum. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.

Curandum itaq; his, qui in Christo renati sunt, etiam si non omnibus peccatis carent, vt ex iis præceptis Dei voluntatem agnoscentes, saltem à criminibus se immunes præseruent. Quod sic efficient, si peccatorū occasiones sollicitè vitauerint, & tentati à concupiscentiis suis, post eas non iuerint, & eis nec corde consenserint, ad delectationē, nec corpore ministeriū ad opus præbuerint: sed desideria carnis, mox, vt surgere cœperint, inter ipsa exordia colliserint & oppresserint. Et semper, quod ad vitanda peccata, & tenendam vitæ innocentia, suis viribus deesse sentiūt, de diuina virtute & gratia supplere sollicitè curauerint: assiduis precibus implorantes Patrem, qui bonus est, & Spiritū bonū nouit dare petentibus se. Quo accepto, & charitate per eū diffusa in cordibus ipsorū, eius opitulatiōe opera carnis faciliè mortificabūt, & ductu eius semitam mandatorum Dei, inoffenso gradu percurret, hortante & contestante Apostolo. Spiritu ambulate, & carnis desideria non perficietis. Et iterum. Ergo fratres, debitores sumus: non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuētis. Qui enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.

Matt. 7.

Gal. 5.

Rem. 8.

CONCLUSIO DE CALOGI.

B Onus & misericors Dominus, qui de sancta & iusta voluntate sua, per verbum suum nos edocere dignatus est, per gratiam suam de bono suo Spiritu corda nostrā imbuet, & conuertat; in testimonia sua, vt omnes colamus eum, & faciamus voluntatem eius corde magno, & animo volente: vt casti, & sobrii, & piè viuētes in hoc seculo, operiamur aduentum magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, & in conspectu eius inueniamur acceptabiles, nec pudefiamus in illo die, cum reddet vniciq; iuxta opera sua iustus iudex. Cui est laus honor, & imperium in secula. Amen.

Psal. 118.

2. Mach. 1.

Tit. 3.

DE VIRTUTE

De virtute et NUMERO SACRAMENTORUM in genere.

Sacramentum quid.

Sacramentum iuxta vocabuli proprietatem id significat, quo aliquid sacratum & sanctificatur. Quæ appellatio, cum per alios rebus aliis applicari consueverit, in usu tamen sacrosanctæ Religionis Christianæ, Sacramentum dicitur sacræ rei signum externum & sensibile, efficaci significatione insinuans internam & inuisibilem gratiam Dei, aut effectum gratuitum, ex diuina institutione ad salutem hominis Viatoris ordinatum.

Vbi illud in primis considerandum, & firmissima fide tenendum est, quoniam Sacramenta gratiæ Dei efficacia & infallibilia sunt signa, ea à solo Deo instituta esse, nec per Apostolum, nec per vllum hominem institui Sacramentum vlllo modo posse. Sicut enim gratia à solo Deo datur: sic Sacramenta, velut diuinæ gratiæ certa & efficacia signa & infallibilia pignora, à solo Deo, gratiæ omnium auctore & datore, institui possunt. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Homo dare gratiam, aut certum gratiæ signum instituere, nunquam potest. Domini enim est salus. Vana autem salus hominis.

Sacramentum quibus constat. Vnumquodque autem Sacramentum Verbo constat & Elemento. Verbum auribus hauritur, & diuinam promissionem adfert, de quo Dei voluntate nos certos facit. Elementum oculis cernitur, & sensu percipitur. Et eius rei, cuius est signum, quandam similitudinem obtinens, quod verbo promittitur, id quadam sui similitudine nobis insinuat. Ut aqua ablucendis, & purgandis sordibus per Naturam apta, in Baptismo internarum sordium expurgationem &

peccatorum remissionem designat, sic in reliquis Sacramentis elementa internam virtutem, externa & naturali quadam similitudine expriment, vt quod foris in specie visibili adumbrari cernimus, intus per Dei gratiam geri & perfici credamus.

In usu verò Sacramentorum, non ipsæ externæ res seu elementa spectanda: sed diuinæ potissimum promissiones considerandæ sunt, in quibus tota Sacramentorum virtus & efficientia consistit. Ne quis enim de horum visibilium Sacramentorum virtute hæsitaret: Deus qui in promissis verax, & ad præstandum diues & potens est, his visibilibus signis promissionis suæ uerbum adiunxit, & ad euidentiore rudis adhuc fidei commendationem, inter initia etiam visibilia miracula adhibuit, vt quæ in usu Sacramentorum semel facta noscuntur, eadē etiā nunc fieri, diuinis subnixi promissionibus, fidei ardore capiamus.

Virtus Sacramentorum unde

Nec miremur, Sacramenta, quæ in rebus corporalibus exercentur, in animam & partem hominis spiritualem operari posse, sed meminerimus, Deum hisce signis a se institutis, & fideli promissione confirmatis, gratia sua assistere, & Per Spiritum sanctum in anima hominis, his signis ritè ventis, gratiæ suæ effectus iuxta promissionem suam operari. Itaque cum aquam videmus foris corpus abluentem, Spiritum sanctum, quem non videmus, intus plus operari confidamus.

Dei virtus in Sacramentis operatur

Ritè autem Sacramenta non simpliciter signa, sed efficacia signa, & sacrosancta signacula, appellantur. Signa quidem, quia earum rerum, quarum sunt Sacramenta, quandam similitudinem obtinent, & diuinam virtutem, & internam operationem, quæ intus per Dei gratiam perficitur, foris naturali vi quadam ostendunt. Sic in Baptismo, dum aqua corpus abluit, internam animæ emundationem designat: & in Eucharistia, panis & vini elementa spiritualem animæ cibum, & æternæ vitæ alimoniam, significant. Efficacia verò signa merito appellantur, quod nunquam ad illa (quantum in ipsis est) in iis, qui dignè ea &

Varia appellatio Sacramentorum.

Signa. Efficacia signa.

ritè

ritè suscipiunt, internæ gratiæ & diuinæ operationis & virtutis effectus non consequatur. Idq; non ex rerum externarum virtute aut vsu, sed quia ille, qui Sacramentis suas promissiones addidit, fallere nec vult nec potest: qui semper suis assistens promissionibus, vbicunq; signa illa (quæ gratiæ suæ certissima pignora ipse interposuit) ritè exercentur, ibi efficaciter præstat, quod veraciter promisit.

Sacrosancta signacula.

Et ob hanc causam Sacramenta etiam Sacrosancta signacula dicuntur, quia diuinis promissionibus velut sigilla apponuntur, ne quis de promittentis fide dubitare queat. Vnde ad consolationem, & certificationem conscientiarum, mirificè seruiunt Sacramenta, cum alioqui semper in incerto humanus fluctuaret animus, nec de gratiæ Dei quicquam sibi certi polliceri posset. Nunc vero homo hæc efficacia signa, & certissima Dei testimonia (quæ Deus velut infalibilia suæ gratiæ & charitatis pignora nobis proposuit, & iis quasi sigillis promissiones suas roborauit & confirmauit) ritè amplectens, eaq; dignè suscipiens, de gratiæ Dei omnino certitudinem, quantum pro hoc statu sufficere potest, capit.

Per sacramenta christi merita nobis applicantur

Hæc igitur sunt efficacia signa, Dei testimonio firmata, per quæ velut apta instrumenta & salutaria media, bona & sancta voluntas Dei gratiæ suæ dona nobis communicare, & Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi merita applicare voluit. Non quòd Deus his Sacramentis gratiam suam necessariò alligari, ne aliter quàm per illa gratiæ suæ dona elargiri valeat, aut quòd aliter Filij sui merita nobis applicare nõ possit. Deus enim sine omni signo externo & sensibili gratiam suam impertiri, & sine omni Sacramentorum vsu saluare posset, quos vellet. Sed quoniam mens humana, multa infirmitate circumdata, & crassa caligine depressa, per se ad Dei cognitionem asurgere, aut Dei voluntatem in remittendis peccatis agnoscere, non valet: ideo pius & benignus Dominus, vt sic sese imbecillitati nostræ accommodaret, & necessitati nostræ melius inferuaret, per hæc visibilia signa de sua nos

volun-

voluntate & gratia erudire, & mentis nostræ infirmitatem sub sensibili forma confirmare, voluit. Vnde planè sentiendum est, iis quidem, qui à Sacramentorum perceptione (quæ tamen feriis animi votis experunt) aut morte, aut violentia hominum, aut alia inenitabili necessitate impediuntur, pium animi sui votum, ad consequendam salutem, sufficere posse: eos verò, qui vsum Sacramentorum ex contemptu omiserint, velut sanctæ & bonæ voluntatis Dei irrisores, à sacrilegio nequaquam excusari: sed omnem sibi consequendæ salutis viam præcludere impiè contemnendo id, sine quo pietas perfici non potest.

Sacramenta continentia factilegios faciunt.

Sunt autem septem Ecclesiæ Sacramenta: Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, extrema Vnctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ quoniam à pio Dominoq; peccatorum & defectuum nostrorum remedia simul etiam ad eruditionem, nostram, & ad pietatis exercitium, instituta sunt: nec pauciora esse debuerunt (quoniam & defectus nostri varij sunt, & pietatis exercitium in vno Sacramento non satis commodè perficeretur) nec etiam plura, ne sub lege Euangelica liber populus, sicut olim sub lege seruitutis, nimio & importabili sacrorum rituum onere premeretur. Ablata sunt (inquit Augustinus) veteris legis Sacramenta: quia impleta per Christum, & alia sunt instituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Et alibi. Pauca Sacramenta saluberrima constituta sunt, quæ societatem populi Christiani, id est, sub vno Deo liberæ multitudinis continerent, Augusti. contra Faust. lib. 19. c. 13. De vera Relig. cap. 17. De doctri. Christi. lib. 3. cap. 9.

Numerus sacramentorum.

Atq; hæc septem Mystera, quæ vera & propria ratione dicuntur & sunt Sacramenta: ab iis, quæ in scripturis sanctis, velut virtutes & officia, per se bona commendantur, & cœlestis præmij promissionem habent, aut alioqui in vsu Religionis versantur, facile discerni queunt. Quæ enim hæc Mystera, velut aliarum rerum signa, in scripturis inueniuntur: eatenus ab iis differunt, quæ velut per se bona, diuinæ quidem promissiones habent, sed nul-

T
lius

lius alterius rei significationem gerunt: vt sunt, Eleemo-
synæ, Ieiunia, & reliqua pietatis exercitia, in scripturis
sanctis commendata. Dum vero Sacramenta diuinæ gra-
tiæ & internæ operationis efficacia & infallibilia
existunt: vtique ritus omnes & cæremonias excludit, quæ
tamen si re rum aliarum significationes habent, nullius ma-
men diuinæ gratiæ promissionibus fulciuntur, nec con-
ferre gratiam valent. Quæ diligenter considerari debent,
ne quis hæc sacrosancta mysteria cū aliis ritibus, aut offi-
ciis in scripturis cõmendatis, confundere: aut debita
vim & virtutem adimere, aulū sacri lego præsumat. Nam
de singulis, agendum venit.

De Sacramento

BAPTISMI.

Hoc inter Ecclesiæ Sacramenta primū
& vfu suo reliqua omnia Sacramenta nec
sariō præcedit. Baptismus enim in Ecclesia
Christi (quæ propria & vera Sacramen-
tum sedes est) introitum nobis aperit, & ad

reliquorum Sacramentorum perceptionem, ipse nos per
idoneos & capaces reddens, trāsmittit: nequaquam vllius
alterius Sacramenti fructum capturos, nisi ad horum per-
ceptionē Baptismus nos disposuisset. Si qua enim virtus,
aut peccatorum remissio, in aliis Sacramentis hominibus
confertur, ea radicem suam & vim ex Baptismo ducit.
Nec vllum aliud Sacramentum in homine, nisi per Ba-
ptismum efficax est: non quod ad singula Sacramenta Ba-
ptismus iterari necesse sit, sed quod ad omnem peccati
remissionem, & omnis virtutis aut gratiæ percep-
tionē illius ope indigeatur, de cuius laterē sanguis pro-
fluxit, & aqua in remissionē peccatorū, quem nos in Ba-
ptismo induim⁹, iuxta Pauli testimoniū. Quicumq; in Chri-

*De preb.
non bap-
t. veniē.*

*Orig. su-
per Leuit.
Hom. 8.*

sto baptizati estis, Christum induistis.

Et sicut in rebus externis nulla huius vitæ commoda
sentire potest homo, nondum natus: sic nec spiritalium
bonorum participatione frui quisquam potest, nondum
renatus, priusquam spiritalē vitam suscepto regenera-
tionis lauacro inchoauerit.

Est autem Baptismus Ecclesiæ Sacramentum, quo quis
recta animi intentione, & debita verborum forma obser-
uata, alium non contrā sentientem, aqua elementari abluit
pro remissione peccatorum. Cuius Sacramenti mandatum
simul & promissionem Ecclesiæ suæ Christus reliquit,
cū ad discipulos ait. Data est mihi omnis potestas in cæ-
lo & in terra. Euntes ergo, docere omnes gentes: bap-
tizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: do-
centes eos seruare, quæcunq; mandauī vobis. Et, Qui cre-
diderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Cui promissioni
quoties Baptismus confertur, & fides accipientis, & fun-
gentis ministri verbū innititur, quod ait. Ego te baptizo
in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

*Matt. 28
Mar. 16.*

Baptismus, vt reliqua omnia Sacramenta, duobus con-
stat: verbo & Elemento. Siquidem duo hæc simul iuncta
verbum & aqua, mysticam illam & efficacem operatio-
nem absolunt, quam qui in fide recta suscipit, iuxta Do-
minæ promissionem, saluus erit, Quæ duo etiam Apo-
stolus ad hominis mundationem efficiendam con-
iungens, ait. Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradi-
dit pro ea, vt illam sanctificaret: mundans eam lauacro
aque in verbo vitæ. Neutrum ergo sine altero (hoc est,
nec verbū sine aqua, nec aqua sine verbo) ad dādā salutē,
quam in Baptismo renascentes accipere credimus, existi-
mādū est sufficere. Nam quod Christus ad discipulos ait.
Iam vos mundi estis propter sermonē, quem audistis: non
sic sensit, quasi solū verbum sine aqua ad hominis munda-
tionem & peccati abolitionē valeat, sed quod etiam in
aqua ipsum Dei verbū mundet. Vt quod alibi dicit Petro.

Ephē. 5.

Ioan. 15.

T. ij. Qui

Ioan. 13. Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus: non sic accipiendum sit, quasi eos ab antiquis sordibus aquæ ablutio sola purgauerit, quæ vtiq; non lauat animam, nisi prius sit ipsa lota per verbum & Spiritum sanctum, vt animas spiritaliter lauare possit. Aqua enim Baptismatis, si substantiam eius consideres, reliquas aquas in nullo antecellit. Nec etiam solenni benedictione sanctificata, prius Sacramenti vel nomen vel virtutem obtinet, quàm in ablutione hominis verbum accesserit: ac tunc, non ipsa quidem aqua per se, sed virtute viuifico & omnipotentis verbi Dei, & operatione Spiritus, ad omnes peccati sordes ex toto homine, tam in anima ipsius quàm corpore herentes, absterendas valet. Quod *Diuus Augustinus* & piè & eruditè explicat, dicens. Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? nõ quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo, aliud est sonus, transiens, aliud virtus manens. Sonat enim verbum (vt idem alibi ait) & transit: sed manet virtus, & donum quod confertur æternum est. Et Apostoli locum subdens, vt eam mundaret, lauacro aquæ, in verbo vitæ. Mundatio igitur, inquit, nequaquam fluxo & labili tribueretur elementum, si adderetur in verbo.

Gene. 1. Nec mirabitur hanc verbi Dei virtutem in Baptismo, qui eodem verbo & cælos firmatos, & vniuersa esse condita, cogitauerit. Et cum idem Dei verbum, quando homo prorsus nõ erat, in limo ad hominis creationem valuerit: nec mirum nec nouum videri debet, si idem nunc in aqua cum homo peccatis sordet, ad eius mundationem valeat.

Decuit autem omnino, vt duo hæc, Verbum & aqua, in hominis mundatione conuenirent. Nam cum ex corpore & anima Deus hominem constasset, & iis per peccatum in vtroq; perisset: Christus, vt totum hominem saluaret, in eius mundatione externæ rei & visibili, internam & inuisibilem verbi virtutem adiungere debuit, vt

visi-

visibile corpus hominis, per visibile: inuisibilis verò anima, per inuisibile Mysterium consecraretur. Aqua enim foris corpus abluatur, & consecratur: intus vero verbo & Spiritu Dei animæ delicta mundantur. Sic enim Deus pro sua bona voluntate, ad hominis sanctificationem aquæ Baptismatis per verbum suum Spiritum sanctum copulat, vt qui externam ablutionem, sub debita verborum forma, & recta animi intentione, susceperit, omnino intus in anima Dei Spiritum mundantem & sanctificantem simul hauriat: quem admodum iam olim per Prophetam pro hominis sanctificatione hanc sanctam coniunctionem Deus promisit. Effundam super vos aquam mundam, & Spiritum nouum ponam in medio vestri. Cuius rei documentum in Christi Baptismate accipimus, super quem egressum de fluente Spiritus sanctus in specie columbæ visus est descendere, non quod vnquam sine Spiritu sancto fuerit, vt eum tum primum acciperet: quippe qui de Spiritu sancto in carne natus erat, & qui cum Spiritu sancto vna substantia creditur, quo & iam antea vnctus erat præ consortibus suis: Sed vt quid Baptismi Sacramentum valeret, ostenderetur, & sciret vnusquisque, quid muneris in sacri Baptismatis mysterio susceperet. Tunc enim suscepto Baptismi lauacro, Spiritum sanctum accipimus à Deo, qui & animi sordes detergit, & adoptionem in filios Dei, æternique regni hæreditatem, nobis contestatur.

Cum ergo aquam, corpus abluentem, intuemur: intus Spiritum, quem non videmus, plus operari confidamus.

Aqua autem mortis imaginem nobis exhibet, corpus quasi tumulo concludens, vt per eam moriatur corpus peccati. At verò Spiritus pignus vitæ præbet, eiusque virtute renouamur à morte peccati ad nouitatem vitæ, Ro. 6.

Nec quispiam superbam Naamam Syri incredulitatem imitans, in tremendis mysteriis extrema offensus simplicitate internam Dei virtutem parvipendat, quæ si de intentionibus eò mirabilior apparet, quo minus adiuenti res externæ, per quas operatur Dei virtus, ad tan-

Ezech. 16
Mat. 3.
Augus. de
Mirabil.
sacra scri
ptu. lib. 3.
cap. 5.

Psal. 44.

Augus. de
quæ. vet.
cap. 10.
Tes. 9. 59

Aug. in
Ioan.

Tract. 80

August.
contra

Fausl. 19
c. 16.

Ephes. 5.

Gene. 1.

4. Re. 5.

tos effectus conferre queunt: valitura vtiq; & sine his, nisi Deo placuisset, ad excitandam & instruendam fidem nostram, in externis signis, internos effectus (alioqui ab omni sensu remotos & absconditos) sensibili quadam similitudine designantibus, suam nobis gratiam elargiri.

Querenti autem, cur Deus ad Baptismum, quod regenerationis & mundationis Sacramentum esse voluit, & quam potissimum delegerit: inter multiplices rationes vel sola illa suffecerit, quia sic illi placuit, qui in re qualibet externa, aut etiam absq; omni re externa, per virtutem suam mundare hominum delicta potuisset. Qui hominis sanctificationem, in aqua futuram, iam inde ab initio conditi orbis multis iudiciis præsignauit, & plenius Prophetarum oraculis præmonuit. Etenim Spiritus sanctus, cuius virtute in Baptismo mundantur renascentes, vt viuificandis animabus aquas fecundaret, ab initio se rebatur super aquas. Sed & diluuium Baptismi figuram præ se tulit, quod mundum, delictis peccatoribus, purgans iustus per Arcam seruatis, liberum domicilium reliquit. Baptismus diluuium est suffocans veterem hominem, & potestatem inimicam demergens, sordesque peccati abluens, in corporibus renatorum munda puraque; domicilia Deo constituit, in quibus sedeat Dominus Rex in æternum iuxta fatis vocem. Dominus diluuium inhabitare facit: & sedebit Dominus Rex in æternum. Et diuus Petrus, diluuij Typum ad Ecclesiæ Baptismum accommodans, ait. In Arca Noë paucæ, id est, octo animæ saluatæ sunt per aquam, quod & vos nunc similis formæ saluos facit Baptisma, non carnis depositio sordium: sed bona conscientia interrogatio in Deum, per resurrectionem Iesu Christi à mortuis. Et Beatus Paulus, Iudæorum historiam sensu spiritali explicans, transitum maris Baptismum appellat: & quam illi nubem existimabant, hic Spiritum sanctum inuit, dicens. Patres nostri omnes sub nube fuerunt & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & mari. Et subdit. Hæc autem in figura facta nostri. De quo pari facundia & pietate Beatissimus Martyr Cyprianus differens, Baptismi Christi admirandam virtutem

virtutem efficaci & euidenti sermone depromit, dicens, Sciamus, inquit, Diaboli nequitiam pertinacem vsque ad aquam salutarem valere: in Baptismo verò omnes nequitia suæ vires amittere. Cuius rei exemplum per nimus in Pharaone, qui diu reluctatus, & in sua perfidia demoratus, tam diu resistere potuit, & præualere, donec ad aquam veniret: quò cum venisset, & victus est & extinctus. Mare autem illud, Sacramentum Baptismi fuisse, declarat Beatus Apostolus, dicens. Nolo enim ignorare vos fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, &c. Quòd hodie etiam geritur, vt per Exorcistas voce humana, potestate diuina flagelletur, & vratur, & torqueatur Diabolus: & cum exire se, & homines Dei dimittere sæpe dicat, & in eo quod dixerit fallat, & id quod per Pharaonem prius gestum est, eodem obstinationis & fraudis mendacio exerceat: cum tamen ad aquam salutarem, atque ad Baptismi sanctificationem peruenitur, scire debemus & fidere, quia illic Diabolus opprimitur, & homo Deo datus, diuina indulgentia liberatur. Nam sicut Scorpj & serpentes, qui in sicco præualent, in aqua præcipitati præualere non possunt, aut sua venena retinere: sic & spiritus nequam, qui Scorpj & serpentes appellantur, & tamen per nos data à Domino potestate calcantur, permanere vltra non possunt in hominis corpore, in quo baptizato & sanctificato incipit Spiritus sanctus habitare. Hæc Cyprianus. Hunc etiam Ecclesiæ Baptismum Iordanis, aquæ suæ aspersione Naaman Syri lepræ detergens: hunc probatica piscina Hierosolymis omnis generis morbos sanans: hunc vnda de Christi latere, velut natiuo Sacramentorum fonte, promanans: designauit.

Prophetæ autem diuinæ voluntatis conscij, salutarem Baptismi aquam longè antè luculentis testimoniis commendauerunt. Sic enim Dominus per Esaiam promisit, Vetus illud Baptisma (quòd in figura patribus contigisse Apostolus ait) cessaturum, vt succederet hoc nouum. Ne memineritis priora, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua, & nunc oriètur, vtiq; cognoscetis ea. Ponã i deserto

Gene. 1.
Gene. 7.

Basilus
super
Esa. 28.

1. Pet. 3.

1. Cor. 10

Cyp. 1. 4
epist. 7.

4. Reg. 5.
10. 5.
10. 19.

1. Cor. 10
Esa. 43.

Esa. 44. viam, & inuio flumina, dare potum populo meo electo, quem elegi, vt enarret laudem meam. Et apud eundem. Noli timere serue meus Iacob. Effundam enim aquas: super sitientes, & fluenta super aridam: effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam, & germinabunt in herbas quasi salices iuxta præterfluètes aquas. Et Haurietis in gaudio aquas de fontibus saluationis. Et in eodem Propheta de Christo suo prædicans. Deus iste, ait, asperget gentes multas, & super ipsum Reges continebunt os suum.

Exec. 36. Per Ezechielem loquitur Dominus. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis Idolis vestris mundabo vos: & dabo vobis cor nouum, & Spiritum nouum ponam in medio vestri. Eadem salutare aquas vidit idem Ezechiel subter limen domus egredientes, ad latus templi dextrum: & quæcunque torrens ille aquarum contigisset, viuebant & sanabantur. Per Zachariam autem sic.

Zach. 13. In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Quod Zachariæ vaticinium ad Christi Baptismum pertinere, vel ea conuincunt, quæ apud eundem Prophetam capit. 12. præcedunt. Et effundam super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem Spiritum gratiæ & precum. Et aspicient ad me, quem confixerunt: & plangent cum quasi plantu super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti. Hæc omnia post Christi ascensionem in Penthecoste Hierosolymis ita euenisse legimus, vt rei gestæ series ac omnia vaticinij verba quam aptissimè quadret, Act. 2.

Reddi autem possunt & aliæ causæ non absurdæ, cur ad Baptismi celebrationem aqua potissimum ex Dei dispositione accommodetur: & hæc in primis, Vt homines vim aquæ naturalem considerantes, ad intelligendum internum & spirituale Baptismi mysterium inducerentur. Sicut enim per aquam rerum corporalium sordes & blui videmus: ita & nos, per Baptismum ab omni peccato

to spiritualiter purgatos, & innouatos credamus, vt quod incorporale est, inuisibiliter abluatur.

Præterea omnes alios mysticos & spiritales effectus, quos in renascentibus intus agit Spiritus sanctus, foris aqua sensibili similitudine adumbrat. Nam & aqua immerfa corpora quodam quasi tumulo abscondens, veteris hominis mortem, & rursus eadem corpora (sed obluta & puriora) reddens, resurrectionem in nouam vitam designat. Cuius rei nos Beatus Paulus admonet. An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, vt quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, sic & nos in nouitate vitæ ambulemus. Et alibi. Consepulti ei in Baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum ex mortuis.

Hæc est autem hominis mortificatio per totam vitam exercenda, non vt vim nobis afferamus, aut occidamus naturam: sed vt adiutorio Spiritus Dei malam in nobis concupiscentiam oprimamus. Et, vt Athanasius ait. Non est corpus morte conficiendum, sed opera carnis. De quibus Apostolus. Mortificate, inquit, membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immundiciam, libidinem, concupiscentiam malâ, & auaritiâ. Et plura adhuc enumerans ad Gallatas, Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immundicia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comestiones, & his similia. A quibus nos, qui in Christo nascimur, ita mortuos esse oportet, vt quemadmodum qui naturali morte soluuntur, iam nihil eorum agere possunt, quæ in vita consueuerunt: sic & nos post Baptismum ab istis carnis operibus, & affectu, & operatione, prorsus alieni simus.

Illam autem mortificationem Apostolus aliis etiam verbis insinuat. Semper mortificationem Iesu Christi in corpore

Rom. 6.

Col. 2.

Athanas. in epi. ad Rom. 8. Col. 3.

Galt. 5.

2. Cor. 4.

Ambro. in epi. ad Rom. c. 6

pore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Videlicet, vt Domino conformati, mortui mundo & peccatis, Deo & iustitiæ viuamus, vt quemadmodum Christus, ex mortuis resurgens, iam non moritur, sed quod mortuus est semel, mortuus est peccato: quod autem viuuit, viuuit Deo. Ita & nos peccatis mortui, quod reliquum est temporis in carne, Dei voluntati accomodemus: sic, vt corporis manente compagine, homo mente innouetur, sepulta omnium malorum actuum vetustate. Id quomodo fiat, aptissimè Beatus Ambrosius demonstrat. Ita viuendum est, inquit, vt huic vitali moriamur vsui, seipsum sibi homo abneget, & totus muretur. Et exemplum subdit huic rei designanda per quàm accommodum. Sicut adolescentem quandam, inquit, infano amore depereuntem, fabulæ ferunt perægrè profectum, amoris vehementiam locorum temporumque intercapedine deleuisse, regressum amicam obuiam ne quidem salutasse. Quæ rem insolitam admirata, & se non esse cognitam existimans. Quid taces, inquit, ego sum. At ille, ego verò amplius non sum ego. Mundus est, cuius illecebris & desiderijs deuincti tenebamur: & in luxurijs, vinolentijs, comestationibus, potationibus, ebrietatibus ambulantes, voluntatem gentium consummabamus. At verò Baptismum Christi subeuntes, profecti sumus perægrè, mundo videlicet cum suis voluptatibus renunciantes. Nunc ergo ab illis velut mortui, & alij facti, abstinemus, vt hi qui mundum cum desiderijs suis adhuc non exuerunt, inuentes mutationem, & nouam conuersationem nostram, nos mirentur, quòd non in eandem cum ipsis luxuriæ confusionem concurramus, 1. Pet. 4.

Diuus Paulus Baptismum, regenerationis lauacrum appellat. Natura enim nascimur ex Adam peccatore, filij iræ, & hæredes damnationis æternæ. Baptismus autè nos regenerat filios Dei, cuius gratia per Spiritum ipsius reconciliamur, qui testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei: quòd si filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, Rom. 8.

Hæc

Hac autem spiritali regeneratione qui semel renatus est, amplius eadem renasci denuò nequaquam potest: vnde & Baptismus Ecclesiæ semel ritè susceptus, iterari nullo modo debet. Ex Adam semel natus es secundum carnem, nec poteris vnquam ad vterum matris redire, vt secundò naturaliter renascaris. Hæc autem vnica secundum naturam natiuitas, vna spiritali regeneratione sublata est. Quòd si velis secundò spiritaliter renasci per Baptismum, prius te secundò naturaliter nasci oportet. Nemo enim renasci potest, nisi qui prius natus est. Quòd si impossibile est, eundem hominem bis secundum naturam ex matre nasci, vtique absurdum & impium fuerit, eundem hominem bis renasci velle ex Baptismo.

Huc accedit, quòd Baptismus mortis & resurrectionis Dominicæ similitudinem gerit, Roma. 6. Coloss. 2. Qui autem in Christi mortem semel baptizatus est, hic aliam Christi mortem non habet, in quam iterum baptizetur. Et Baptismum resumens, vtique mortem Domini ludibrio habet: iterum, quod in se est, Christum crucifigens, quasi non suffecerit, Christum pro peccatis semel mortem pertulisse. Quòd si quis post Baptismum nouæ iræ innocentiam amiserit, sciat illam non iterum per Baptismum, sed per pœnitentiæ remedia, reparandam esse memor illius dicti Apostolici, Post vnam Baptismi renouationem aliam ex eodem renouatione prorsus abnegatis, Hebr. 6. Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœlestè, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt: rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.

DE

Rom. 6.

1. Pet. 4-
Ambro.
in epi. ad
Rom. 6.

Ambro.
de pœnit.
libro 2.
cap. 10.

Ioan. 3.

August.
in Ioan.
Tract. 11

Rom. 6.
Col. 2.

Hebr. 6. 10

DE FORMA BAPTISMI.

Matt. 28

F

Ornam Baptismi Christus ostendit, cum Apostolis iussit, vt in nomine Patris & Filij & spiritus sancti baptizarent credentes. Atque hoc est verbum, quod aquam sanctificat, & ad abluendas etiam internas animi sordes, efficacem reddit.

Inuenimus autem hanc baptizandi formam, ab Apostolis verbotenus immutatam, cum, vt Lucas in eorum actis testatur, in nomine Iesu Christi baptizarent, haud dubie ad hoc eos instigate Spiritu Dei, vt sic Iesu Christi nomen populis plausibilis & familiarius redderent: tamen reipsa formam, à Christa traditam, plenè & integrè exhibebant. Siquidem qui Iesum Christum dicit, Trinitatem complexus est, simul & Patrem, à quo vnctus est Filius: & ipsum, qui vnctus est, filium: & Spiritum sanctum, quo vnctus est, designans. Et qui in trinitate vnam personam voce enuncians, reliquas fide non abnegat, plenam Trinitatis fidem confiteri existmandus est. Nunc tamen causa nulla est, quin in Ecclesia Christi, ministri non aliam, sed illam, quam Christus tradidit, formam plenè & integrè obseruent.

In id verò Ecclesiæ ministri indigenti obseruatione intendant, vt Baptismum in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, non in nominibus, ministrent. Hic enim nomen non appellationem, seu vocabulum: sed virtutem, potentiam, & potestatem Patris & Filij & Spiritus sancti significat. Quia vnum nomen, vna potestas est, inquit Ambrosius. Et idem alibi. Non aliud nomen Patris, & aliud Filij, & aliud Spiritus sancti: quia vnus Deus: non plura nomina, quia non plures Dij. Cum ergò vnam in tribus personis diuinitatem, & æqualem & coeternam potestatem, fides Catholica confiteatur: impiè aberrabit, qui in nominibus Patris & Filij & Spiritus sancti Baptisma ministrauerit,

nistrauerit, diuersas videlicet Patris & filij & Spiritus sancti potestates constituere volens, & Christo manifestè repugnans, qui ait. Pater & ego vnum sumus. Et vt manifestè appareret, sicut vna diuinitas est: ita quoque vnum nomen esse Patris & Filij & Spiritus sancti, Dominus testari dignatus est, & se in Patris nomine venisse, & Spiritum sanctum in ipsius Christi nomine venturum. Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me &c. Et. Paracletus quem mittet Pater in nomine meo. *Ioan. 10.*

Hoc autem scire, ad consolationem nostram, & ad fidem excitandam, multum prodest: vt intelligant, qui in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti baptizantur, se iam potentia, & virtute, & potestate Patris & Filij & Spiritus sancti, consecrari & sanctificari, ac se totos reconciliari Deo. adeoque peculiari fieri Dei, qui est Pater & Filius & Spiritus sanctus: In cuius nomen iam transeunt, & hoc visibili signo in ditionem eius recipiuntur, pactum fœdere sempiterno inter se & Deum constituentes, cuius fœderis vis vtrinquelatè patens, multa cõplecti dignoscitur. Homo enim in hoc se obligat Deo, cum Diabolum & opera eius abiurat: cum veteris vitæ impietatem, & secularia desideria abnegans, promittit, se Deo militaturum, & in hoc seculo piè, iustè, ac sobriè victurum. Quod hominis fœdus, cum Deo sacra literæ ita describunt. Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, vt quemadmodum Christus resurrexii à mortuis per gloriam Patris: sic & nos in nouitate vitæ ambulemus. Et ad Corinthios, Transitum maris Baptismi figuram prætulisse declarans, Apostolus mox suscepti in Baptismo fœderis nos admonet. Hæc in figura facta sunt nostri, vt iam non simus concupiscentes malorum: ne Idololatæ efficiamur, ne fornicemur. post Baptismum nostrum, quemadmodum illi fecerunt, seruati per mare, prostrati sunt in deserto. Huc faciunt plerique alij loci scripturæ, nouitate vitæ exigentes ab his, qui per Baptismum veterè effugientes vitæ, Deo se & iustitiæ consecrarunt, 1. Thef. 4. Tit. 2. 1. Pet. 1. 2. 4. 2. Pet. 2. &c. Vicissim *1. Cor. 10.*

Vicissim autem Deus se homini obligat in multis per Baptismum, dum illi Spiritum sanctum infundit, qui abluta peccatorum vetustate, in nouam & sanctam vitam hominem regenerat, & cum de peccatis præteritis plenam remissionem, & contra futura peccata gratiam & Spiritus sancti opem, suggerit: aut, si per infirmitatem homo non omnes lapsus post Baptismum vitauerit, propitiâ indulgentiam, adeoque regni cœlestis hæreditatem, pollicetur. Hanc Dei cum homine obligationem, verbis consolatione plenis depingit Apostolus. Cõsepulti estis Christo in Baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum ex mortuis: & vos cum mortui essetis in delictis & præputio carnis vestræ, conuificauit cum illo: donans vobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat, Chirographũ decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, assignens illud cruci. Et alibi. Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Eodem referri potest & illud. In mortem eius baptizati sumus, consepulti cum illo per Baptismum in mortem: Hoc est, per Baptismi virtutem participes effecti sumus mortis & passionis Christi, quæ sola pro peccatis omnibus plenam propitiationem exhibet, & aditum aperit in æternum regnum Dei. Idem. Cùm apparuit benignitas, & humanitas saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos: sed secundum misericordiam suam, saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Vtrunque hoc fœdus simul complexus est Hebreas cap. 31.

Huius autem fœderis in veteri lege Typum gessit circumcisio, cum Ecclesiæ Baptismo significatione, & mysteriorum per omnia congruens. Sicut enim Synagoga populum suum à gentibus circumcisioe discernebat: sic Ecclesia filios suos, quos fide parturit, hoc Baptismi signo agnoscit Vnde Tertulliano Baptismum fidei consignationem appellare libuit. Et quemadmodum circumcisio signum

seu pactum erat fœderis inter Deum, & Abraham, & semen eius post eum: sic & Baptismus inter Deum & homines fœdus illud salutare connectit.

De veteri fœdere dicit Deus ad Abraham. Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno: vt sim Deus tuus & seminis tui post te. Et hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum, circumcidetur in vobis.

De nouo fœdere sic per Filium suum nobis dignatus est dicere. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Et per Apostolum Filii. Baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti.

Duriore tamen signo Deus sibi conciliauit populum, quem adhuc timore alligari oportebat: Mitiore verò & certiore populum, quem charitate liberauit. Nam circumcisio non sine periculo, & cum dolore vnâ corporis partem contingebat. Noster verò Baptismus sine molestia totum hominis corpus perfundit, vt vel inde cognoscamus plenitudinem gratiæ, per Christum in nos exuberatis.

Hic illud non oscitanter obseruandum, circumcisionem, quæ olim, æquè vt nunc Baptismus, signaculum fidei erat; nec prius Abrahæ iam adulto & seni concedebatur, quàm cum iam Deo credidisset promittenti, quod semen esset habiturus, in quo benedicerentur omnes gentes: qua fide cum iam iustificatus esset Abrahâ, accessit illi circumcisio iustitiæ fidei signaculum. Attamen hoc ipsum fidei signaculum iussit Deus etiam infantibus accommodari, qui cum nec intelligere quid ageretur, nec credere possent, vt illis ad iustitiam impuraretur: nihilominus tamen ad eos ex promissione Domini pactum pertinebat. Ero eorum Deus. Hac vtique de causa, quia ipsum per se circumcisionis Sacramentum multũ valebat.

Baptismus

Col. 2.

Gal. 3.

Rom. 6.

Tit. 3.

Gen. 17.

Mar. 16.

Act. 2.

Gen. 17

Baptismus ergò, qui circumcissioni successit, quid ni & ipse infantibus accommodetur, etiam si diuinæ gratiæ mysterium nondum intelligere, aut corde credere ad iustitiam valeant? In quibus tamen, quantum ipsum Baptismi Sacramentum per se valeat, scripturæ exemplis apparet.

Rom. 10. In Abraham præcessit iustitia fidei, & superuenit circumcissio, signaculum iustitiæ fidei. In Isaac verò, qui octavo die infans circumcidebatur, præcessit circumcissio, signaculum iustitiæ fidei: & cum annos attigisset, in quibus hominis sensus vigent, iusti patris fidem imitando & ipsius iustitiam, cuius antea signaculum infans acceperat, assuetus est. Qui si in annis infantia è vita excessisset, quid illi profutura fuisset circumcissio, alio scripturæ exemplo innotescit. Moyse filium cum à matre incircumcissus ferretur, Angelus euidenti periculo exegit circumcidi: quo factò, depulsa est à puero pernicietas, non vtique fidei merito, sed virtute Sacramenti.

In Baptismi mysterio similia euenire, demonstrante scriptura, intuemur. In Cornelio enim Centurione præcessit spiritualis sanctificatio ex dono Spiritus sancti: postea superuenit Sacramentum regenerationis in lauacro aquæ, atque hic Abrahæ figuram adimpleuit. In infantibus verò (qui Isaaci similitudinem gerunt) præcedit regenerationis Sacramentum, qui si, vbi adoleuerint, Christianam pietatem tenuerint, sequitur in corde conuersio, cuius mysterium in corpore iam dudum infans acceperunt. Si uerò baptizati citò moriantur, tunc eos virtus Sacramenti saluat, diuina gratia supplente, quod non ex impia voluntate, sed per ætatis exigentiam, nec corde credere ad iustitiam, nec ore ad salutem confiteri, potuerunt.

Cesset itaque Anabaptistarum impia crudelitas, & crudelis impietas, Infantes à Baptismo repellere, & (cum alia ad salutem via nulla pateat) à regno Dei excludere. Cessent contra mitissimam Domini vocem obstrepere, ad se inuitantis paruulos, & amplexantis eos, ac benedicentis.

Mar. 10. Sinite (inquit Dominus) paruulos venire ad me, & ne prohibe

prohibueritis: talium enim est regnum Dei. Et. Videte, ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in cælis est. Et. Non est voluntas coram Patre vestro, qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis. Ne velit ergò crudelis Anabaptista perditionem infantium, quam mitissimus Pater non vult, & in fide Ecclesiæ oblatos paruulos, ad Baptismum, sine quo salus nemini cõtingit, suscipi non dedignetur: nec iniquum existimet, si illis fides Ecclesiæ ad peccati Originalis abolitionem valeat, quod non sua, sed aliena culpa contraxerunt, vt sic illius peccati, quod ex patris peccatis culpa ipsis inhæret, remissionem ex matris, pro ipsis credentis & confitentis, fide consequantur. Si enim confiteris, Anabaptista, infantem, sine Baptismo decedentem, damnari, & nihilominus in annos clamas Baptisma differendum, crudelis es: si sine Baptismo decedenti salutem polliceris, impius es, & Dominum mendacem facis, dicentem. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non introibit in regnum Dei: & Christi gratiam insigni alicui iniuria, si sine ea, quæ non nisi per Baptismum accipitur, cuiquam ad salutem aditum patere existimes.

Desiste, Crudelis, impedire paruulos à gratia Domini, qui & paruulus & pro paruulis nasci dignatus est, à cuius pietate non est alienum, vt in paruulis suppleat munus gratiæ, quod minus in eis habet natura possibile. Non cauent apud Deum meritis infantes, quibus seruiunt merita Christi. Qui si loqui ipsi nesciunt, clamat tamen pro eis ad Deum vox sanguinis fratris eorum, pro ipsorum omniumque salute innocenter occisi. Astat & clamat pro eis ipsa etiam mater Ecclesia. Sed & ipsi infantes videtur quodammodo de fontibus Saluatoris ad Deum suis vagitibus clamare. Domine vim patior, responde pro me. Flagitant auxilium gratiæ, qui vim patiuntur naturæ. Clamat innocentia miserorum, clamat ignorantia, clamat ad dictorum infirmitas, clamat sanguis fratris, fides matris, destitutio miserorū. Et clamatur ad Patrem, qui pius est, & seipsum negare nõ potest: quia Pater est. Nemo dicat,

Fidem non habent, Fidem non habent, quibus mater impertit fidem suam: inuoluens illis fidem in Sacramento, quousq; idonei fiant suo assensu euolutam percipere. Magna est fides Ecclesiæ. Nunquid minor, quam fides Cananæ, quam constat & matri suffecisse & filiz?

Hunc errorem omnibus ætatibus exosum explosumq; etiam si nulla subesset scripturæ autoritas, tamen totius in hanc partem orbis consensus satis reuinceret, qui scripturæ legis autoritatem merito sibi vindicat. Baptismum autem paruulorum esse traditionis Apostolicæ, testatur Dionysius Arcopagita, Pauli Apostoli discipulus, de Ecclesiæ Hierarch. cap. 7. Irenæus contra hæreses Valentini lib. 2. cap. 32. Cyprianus lib. 3. epist. 8. Orige. super Leuit. hom. 8. Hieronymus contra Pelag. Augustinus contra Donatist. de Baptis. lib. 4. cap. 24. De genesi ad liter. lib. 10. cap. 23. & tota veterum Orthodoxorum cohors. Hunc ergo totius Ecclesiæ Christi cõsensum, iam inde ab initiõ receptum, & perpetua successione linea quasi per manum traditum, & ad nostra vsque tempora deductum, ac sanctissimorum & doctissimorum Patrum autoritate subfirmum, reiiciemus, scilicet, vt insanam fanaticorum hominum opinionem suscipiamus? Mentem meliorem inspirabitur Ecclesiæ suæ, quam se vsque in finem seculi non deserenturum promisit, qui in verbis suis fidelis est.

Sciendum est, Baptismi mysterium per lauacrum aquæ in verbo vitæ integræ perfici. Ad quod plenè celebrandum, si voluntas adsit, desit autem per necessitatem conclusa oportunitas: iam alia quoque passio videlicet martyrii, aut etiam sola cordis per fidem conuersio, eius vicem supplent. Vnde & Baptismum triplicem faciunt, fluminis, fluminis, & sanguinis.

Fluminis Baptismus, est istud commune mysterium, in aqua integrè celebratum.

Baptismus fluminis, hoc est, Spiritus sancti. dicitur, qui credidit, & Baptismum desiderauit, necessitate excluditur, &

us, & morte præuentus est, ne aquam salutarem adiret. Hic enim vere corde credidit ad iustitiam, & ore confessus est ad salutem, quem à mysterio Baptismi non contempnus alienauit, sed inuitabilis impediuit necessitas. Et de pietati Dei cõgruit, quod inuitabilis necessitas ademit, per gratiam supplere.

Rom. 10.
Augusti.
de Bapt.
cõtra Do
na. lib. 4.
cap. 21.

Tertius Baptismus sanguinis est, eorum qui fidem Christi coram Tyrannis professi, illorum mox sæuitia perimuntur: nec permittuntur, aquæ lauacrum, quod affectu capiunt, corpore contingere.

Hi peccati vetustatem ardenti fide, ac deuoto & fideli sanguine abluunt, quos à regno Dei illa generalis Christi sententia non excludit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non introibit in regnum Dei, utpote alio eiusdem Domini exemptos testimonio, asserentis. Omnis qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego cum coram Patre meo, qui in cœlis est. Et. Qui perdidit animam suam propter me, saluam faciet eam.

Ioan. 3.
Mat. 10.

Hic solus Baptismus, aquæ Baptismo in gratia maior est, in potestate sublimior, in honore preciosior, in quo baptizant Angeli, Christus exultat. Post quem nemo iam peccat: Qui de mundo exeuntis mox Deo coniungit. In aquæ Baptismo percipitur remissio peccatorum: In sanguinis Baptismo corona virtutum. Post illum rari manent innocentes: post hunc nemo amplius peccare potest. Ille præterita peccata purgat: hic & præterita sanat, & futura prorsus excludit.

Cyprian.
de exhor.
Mar.
Orig. su.
per Iud.
Hom. 7.

Cumulatam autem efficit fœlicitatem, vbi in Baptismo aquæ renatis hic sanguinis Baptismus superuenerit. Non audet Princeps mundi criminari animam, proprio cruore lotam. Nemo Dæmonum, qui aërium iter obsidit, audet contingere Martyris animam, fideli & deuoto sanguine rubentem. Beatæ animæ, quæ sic sequuntur Christum, quomodo eas Dominus præcessit. Quæ inter voces gratulantium Angelorum (& admirantium, Esa. 63.)

Esa. 63. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctus vestibus de Bos-
ra? Quare rubicunda sunt vestimenta tua? euolant ad ab-
tare Dei, sub quo delitescentes vindictam suam, non au-
ditate alienæ perditionis: sed Domino sic disponente
ad ipsorum glorificationem expetunt, dicentes. Domine
Apo. 6. qui iustus es & verus, vsque quo non vindicas sanguinem
nostrum de his, qui habitant in terra.

August. Nemo autem, quantumuis ante Baptismum per Dei gra-
de B. spr. tiam profecisse se senserit, Baptismi Sacramentum (quod
con. Do- ministerio hominis foris exhibetur, sed intus, Deo spiri-
na. lib. 4. taliter operante, sanctificatur) contemnat, ne quidem
cap. 21. fiducia mox securi Martyrij: memor, Cornelium, & qui
cum ipso erant, iam Spiritu sancto plenos, & linguas lo-
Act. 10. quentes, tamen iubente Petro, Baptismi Sacramentum, &
corporale hominis ministerium, non spreuisse. Nam
necessitate exclusum Baptismi Sacramentum excusatio-
nem habet: sic ex contemptu omissum, ad certam & æter-
nam perniciem vergit.

DE EFFECTV BAPTISMI.

Effectum Baptismi, seu virtutem Christi, pro-
missio insinuat, *Mar. 16.* Qui crediderit, &
baptizatus fuerit, saluus erit. Ad salutem au-
tem nemo pertingit, nisi peccati omnis, tam
Originalis quam actualis, reatu solutus.

Vtrunque igitur delet Baptismus, in quo & paruuli à pec-
cato Originali, & adulti ab Originali simul & actualibus
omnibus peccatis, per Dei misericordiam mundantur.
Nam in Baptismo, virtutes sua in interiora hominis sese
infundens Spiritus sanctus, omnes sordes expurgat, nec
vllum quantumcunque peccatum relinquit irremissum,
ac totum hominem innouat ex filio iræ, Dei filium & æ-
ternæ vitæ hæredem reddens per Christum, dicente A-
postolo. Cum apparuit benignitas & humanitas Saluatoris
nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos-
sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit, per
lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti,

Et, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Sal-
uatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes si-
mus secundum spem vitæ æternæ. Et. Hæc aliquando fui-
stis, sed abluti estis &c. *1. Cor. 6.*

Idem etiam Dei Spiritus fiduciam in cordibus renato-
rum, certitudine adoptionis in filios Dei suscitatur, vt ad *Rom. 8.*
Deum clament, Abba, Pater. Ex eadem etiam Baptismi
virtute venit, vt Deo iam opera nostra, tametsi imperfe-
cta, placeant: vt in quo homo renascitur, & nouæ vitæ ve-
ræque iustitiæ originem sumit, ex eodem etiam omnium
in homine virtutum veritas oriatur: & incipiunt in nobis
opera nostra ex benigna Dei acceptione, ad perpetuam
gloriam proficere ex Baptismi beneficio, quæ ex seipsis
vix ad temporalem vanæ gloriæ mercedem peruenirent.

Nec præteritorum solummodo peccatorum remissionem præstat Baptismus, verum etiam in eorū, quæ postea
perpetrantur, condonatione vim suam exercet. Nam
& leuiore offensæ, sine quibus humana vita non agitur,
veniales sunt: & grauiora delicta sunt remissibilia ex vi
fœderis, Baptismi, quod inuicem Deus & homo contra-
xerunt, Domino per Prophetam promittente: Propitiabor
iniquitati eorum. Non enim ad delenda subsequen-
tia peccata prodesse vlla pœnitentiæ aut pietatis opera,
nisi Baptismus nos in Christo renouasset. Cuius re-
nouationis virtus, non eo tantum momento valet, dum con-
fetur: sed per omnem vitam hominis se extendens, etiam
ea mala, quæ postea per ignorantiam aut infirmitatem
committuntur, sanat & condonat: non quod toties Baptis-
mus repetendus sit, quoties peccatur, sed quia semel hoc
in Baptismo datum est, vt venia peccatorum per pœni-
tentiam fidelibus impetretur. Nam sicut pœnitentia ante
Baptismum nihil profuisset, nisi Baptismus subsecutus es-
set: ita pœnitentia post Baptismum nihil prodesse, nisi
Baptismus præcessisset. Itaque in omni peccatorum re-
misione virtus Baptismi operatur, & is, qui in Baptismo
propitiatus est iniquitatibus nostris, idem per reliquam
vitam sanat infirmitates nostras. Sic etiam illud Aposto-
li, *Psal. 102.*
Ephes. 5.

Ephes. 5. si Pauli accipiendum est. Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, vt sanctificaret eam: mūdans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet, sibi ipsi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Non vt non peccarent Baptizati (septies enim cadit iustus. Et. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est) sed vt peccatum illis ad damnationem non inhaereret, subinde etiam eos post Baptismum purgante & sanctificante sanguine Christi (cuius per Baptismum participes effecti sunt) donec purgati ad beatam vitam emigrent, in qua nemo peccabit, sed non perseverabit ruga & maculae expers Ecclesia. Hoc autem dico filioli mei, vt non peccetis: sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

Sed Baptismus, vt omnium peccatorum plenam remissionem donat: sic non omnem vitia naturae infirmitatem in homine aufert. Manet autem etiam post Baptismum concupiscentia ad malum inclinans: cuius tamen reatu Baptismus deleuit, vt iam ad peccatum non imputetur, nisi affectum mentis euicerit, aut hominem in aliquem actum vitiosum impulerit. Relicta autem concupiscentia, luctamen in homine continuū accendit, aduersus cohortes desideriorum per omnem hominis vitam exercendum: ad quod Apostolus iam baptizatos cohortatur. Mortificate membra vestra quae sunt supra terram, fornicationem, immundiciam, &

In eo autem virtus Baptismi non imminuit, immo commendatur, qui non solum omnis peccati reatum nobis semel ademit: sed contra remanentem concupiscentiam & desideriorum bella in nobis cientem, vires suggerit impartito Spiritu sancto: cuius ductum sequentes, contra omnes concupiscentiae insultus securi praeualemus, & domonente & consolante Apostolo. Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Et. Debitores sumus: non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem Spiritus facta carnis mortificaueritis

viuetis. Vides itaque Baptismi virtute totum conferri, vt & praeterita delicta mudentur, & contra futura pugnantur: vires suppellant: & sic omnis in homine sanitas Baptismi virtute incipiat & adimpleatur.

August. contra Iul. li. 6. c. 7.

Hinc, quid interfit inter renouationem Baptismi, & illam qua quotidie magis ac magis nos innouari Apostolicae exhortationes iubent, facile discernitur. De priore dicit Paulus, Et vos cum mortui effectis, in delictis conuiuificauit, cum Christo donans omnia delicta &c. De posteriore autem sic. Deponite vos secundum pristinam conuersationem, veterem hominem: Renouamini autem Spiritu mentis vestrae, & induite hominem nouum, qui secundum Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis. Et alibi. Expoliate vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, cum qui renouatur in agnitione secundum imaginem eius, qui creauit eum. Prior illa in momento fit, cum in Baptismum omnium peccatorum plena remissio donatur. Attamen imago illa Dei, quam in homine peccatum vitiauerat, non eodem mox momento in integrum restituitur: sed indiget secunda reuouatione qua per quotidianos accessus ac magis renouetur in agnitione Dei, & in iustitia, & sanctitate veritatis, Cuius quotidianae renouationis profectum, Apostolus significat dicens. Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem. Renouatio autem ista, ad imaginem Dei in iustitia & sanctitate veritatis, qua quotidie baptizati proficiunt, in nobis debilius, firmiorue subsistit, quo quisque lentior promptiorue ductui Spiritus sancti sese attemperans, ipsius virtute mala concupiscentiae desideria superat, & ad omne opus bonum se accingit, diuinitus illo adiuuante, qui dicit: Sine me nihil potestis facere.

Nec tamen ante in nobis plena renouatio perfici potest, quam exuti hoc mortali corpore cum plena Dei visione in caelis, plenam quoque eius similitudinem in ista imagine perceperimus, de qua Apostolus ait. Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem. Et. Nos

Col. 2.

Ephes. 4.

Col. 3.

2. Cor. 4.

1. Cor. 13.

2. Cor. 3.

autem, reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu. Et Ioannes. Dilectissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.

1. Ioan. 3.

Hinc admonendi homines, vt per omnem vitam ad continuum bonorum operum profectum contendat. Non enim satis est, si per Baptismum pristina delicta abiecerint: sed si in bonis abundauerint, dicente Psal. Declina à malo, & fac bonum. Sicut non omnis fanitas in eo est, si spiculum de corpore euulseris: sed si sequenti curatione cicatricem vulnere superdlexeris.

Psal. 30.

Baptismus morbi causam sustulit, relicta carnis infirmitate, quotidianis per omnem vitam virtutum remediis curanda & sananda. Sic itaq; existiment Christiani, sicut optima vita sine Baptismo (nisi is per necessitatem haberi non possit) nihil ad salutem confert: sic Baptismus suscipisse, non prodesse aliquid, nisi vitæ sanctitas accesserit dicente Bpосто. Nescitis quia qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit Prauium: Sic currite, vt comprehendatis. Et Christus. Omnis arbor non faciens fructum, excidetur, & in ignem mittetur. Idem. Cui nem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum &c. Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est. Sic luceat lux vestra &c. Sicut luminaria lucete in mundo. Perdit enim gratiam quam consequutus est, & grauioribus pœnis se implicat, qui innocentiam ex misericordia donatam, non custodierit. De quo Dominus. Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Et Paulus. Nescitis quia templum Dei estis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis: Si quis autem templum Dei violauerit, perdet illum Dominus. Idem, Irritam quis faciens legem Moyfi: sine vlla miseratiõe, sub duobus aut tribus testibus moritur: quãtò magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui Filiũ Dei

Matt. 7.

Ioan. 15.

Mat. 7.

Mat. 5.

Phili. 2.

Ioan. 5.

1. Cor. 3.

Hel. 10.

concul.

conculauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Et Petrus Apostolus. Si refugiẽtes coinquinationes mundi in agnitione Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim illis esset non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem, rursum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contingit enim eis illud veri prouerbij, Canis reuersus ad vomitum suum: &, Sus lota, in volutabro luti.

2. Pet. 2.

DE MINISTRO BAPTISMI.

Minister Baptismi Sacerdos est, qui qualiscunque tandem sit, siue bonus siue malus, solum ministerium manus & linguæ accomodat. Dispensator, non dominus tanti mysterij: & pro Christo legatione fungens Christo Domino, cuius est Baptismus, per illum baptizante & paruulum sanctificante, qui ministerium Baptismi sui in malos simul & in bonos ministros distribuit. Potestatem autem & virtutem, qua delicta mundantur, & sanctificatur infans, nec boni nec mali ministri habent: sed ille solus confert, de quo Deus Pater testatus est, Ioanni Baptistæ dicens. Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.

2. Cor. 3.

1. Cor. 5.

1. Ioan. 1.

Sentiant ergò Christiani, Baptismi puritatem, à puritate seu malitia ministri penitus distinctam esse, nec meliorem deteroremque Baptismũ à ministro bono seu malo exhiberi: sed inter dispare ministros Domini & Saluatoris nostri, donum semper æquale, semper bonum, & sanctum permanere.

Qui verò ministri vitam & conuersationem attendere voluerit, quomodo, quæso, de salute sua certus & securus erit? Quæ tanta hominis sanctimonia esse poterit, vt spem salutis alteri faciat? Immo maledictus (etiam Domini testimonio) qui confidit in homine, & ponit carnem brachium

Hier. 17.

Pfal. 3. *Pfal. 117.* *Pfal. 59.* *107.* *1. Cor. 1.* *Mat. 3.*
 chium suum, auferens à Domino cor suum. Domini enim
 olus est salus, in quo bonum est confidere, quàm confi-
 dere in homine: Vana enim salus hominis. Lege super ea-
 dem re Corinthios, à Paulo grauiter increpatos, 1. Cor. 3.

Atq; hinc causa apparet, cur post Ioannem virum san-
 ctissimum, ab eo baptizatos Apostoli denuo baptizados
 censuerint, cum post Iudam, inter Apostolos baptizan-
 tem, nemo vnquã duxerit rebaptizandũ. Iudas enim non
 suum sed Christi Baptismum ministrabat, qui per quem-
 cũq; ministrũ datus, semper bonus, semper efficax & san-
 ctus est, nimirum illa sanctissima & potentissima Trini-
 tate cuius nomen inuocatur, paruulum sanctificante. Ioan-
 nes autem suum Baptisma dabat (ipso etiam teste) imper-
 factum. Ego baptizo in aqua, inquit, in pœnitentiam: qui
 autem post me venturus est, fortior me est, cuius ego non
 sum dignus calciamenta portare: ille baptizabit vos Spi-
 ritu sancto & igni. Ergo Ioannis Baptisma non tam pec-
 cata dimittebat, quam Baptisma pœnitentiæ erat in rem-
 sionem peccatorum, id est, in futuram remissionem,
 quæ esset postea per sanctificationem Christi subsequen-
 ra. Hieron. contra Lucifer. August. de Baptif. contra Do-
 na. lib. 5. cap. 10. De consec. Dist. 4. c. Non regenerabatur.

In necessitate quicunq; tandem, etiam Laicus, seu pa-
 ter pueri, seu alienus: seu vir, seu fœmina: seu hereticus,
 Iudæus aut Gentilis, sub recta verborum forma, & iusta
 intentione baptismum ministrauerit, cum inuocatione
 sanctæ Trinitatis alium aqua ablens, perfectus Baptif-
 mus existimandus est. Sic tamen, vt etiam in necessitate
 quoad fieri potest, parentes alienis, mulier viro: hereti-
 cus Catholico, infidelis fidei ministerium baptizandi
 cedant.

DE VS SCIPIENTE

Baptismum.

Vscipientem autem saluat Baptismus gratuito
 Dei beneficio, plenam illi omnium peccato-
 rum remissionem donans, etiam nullo prorsus
 merito præcedente. Non tamen ad Baptismum adultus
 quisquam

quisquam admittendus est, nisi quem iam sordium sua-
 rum & veteris vitæ pœniteat, denunciante Petro Aposto-
 lo, Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum
 in remissionem peccatorum. Hinc etiam tinctionem in
 Ecclesia præcedit abrenunciatio. Atq; adeo sine pœni-
 tentia aditus ad Baptismum nemini patere debet, vt ne
 infantes quidem prius salutarem aquam adire permitten-
 dos Ecclesia censuerit, quàm in abrenunciatione mundi
 & Satanæ, Patrinoꝝ voce suarum sordium pœnitenti-
 am, & melioris vitæ desiderium & propositum, professi
 sint. Si quis ergo Baptismi gratiam petens, plenam qui-
 dem Trinitatis fidem confiteatur, consuetæ autem vitia
 se relinquere non posse asseuerat, procul dubio repelli à
 Baptismo debet. Respondendum enim ei, Baptismum da-
 ri, non vt peccare liceat: sed vt peccasse non noceat. Nec
 remissionem futurorum peccatorum, sed præteritorum
 remissionem Deum pro sua bonitate in Baptismo homi-
 nibus proposuisse. In Baptismo homines membra Christi
 fieri, quod non competere posset ei, qui membra merc-
 tricis deserere nolit.

Si quis autem malitiam animi, verborum dissimulatio-
 ne abscondens, peccatis verbotenus, non ex animo renun-
 ciet, & ministrum circumducens, quasi furto Baptismum
 auferat sanctum quidem Baptismum etiam in ipsa simu-
 latione suscipit, non tamẽ ad salutem sibi, sed ad grauio-
 rem damnationem. Qui, si postea ad cor reuersus, de to-
 ta animi sui malitia pœniterit, sufficit illi Baptismus,
 quem per simulationem suscepit, qui tunc vtique, valere
 ad salutem incipit, cum illa fictio per veracem confes-
 sionem recesserit.

Qui autem serio & pio animo ad aquam salutarem per-
 git, totus in consideratione tam salutaris mysterij animo
 suspensus, Deum in Sacerdotis ministerio operantem ag-
 noscat, qui accedentem sanctificat, & ab omni pecca-
 torum sorde purũ & liberum, ad nouam vitam agendam,
 transmittit. Conetur itaq; Baptizatus, per omnem vitam
 suam Dei gratia istã innocentiam illasam conseruare, vt
 indei

Ag. 2.
Mat. 3.

August.
de fide &
operib. c.
12. & 20

1. Cor. 6.

August.
de Bap.
con. Don.
lib. 4. cap.
2. & 10.

August.
lib. 1. con.
Don.

INSTITVTIO CHRISTIANA

in die Iudicij integram eam in illo inueniat is, qui eandem in Baptismo donauit per misericordiam, Dominus noster Iesus Christus, in secula benedictus, Amen.

DE RITIBVS, IN BAPTIZANDO adhiberi solitis.

Ritus mysticos, quos Ecclesia in huius Sacramenti administratione adhibet, Christiani benè cognitos habere, & eorum antiquitatem simul & significationem diligenter considerare, debent: vt inde contra quorundam temeritatem (illos quasi res ridiculas abiicientium) obfirmantur, & intelligant, hanc Baptismi normam (minimè, vt quibusdam videtur, ociosam aut iocularem) qua hodie Romana vtitur Ecclesia, ab illa primitiua & Apostolica Ecclesia, vsque ad nos serie continua defluxisse: nec esse abiiciendam, quam totius orbis & omnium temporum consensus in Ecclesia Christi roborauit.

Principiò Ecclesia Baptismum ministrat in aqua solemnis verbis, duobus anni diebus: Paschæ & Pentecostes, vnà cum sancti Chrismatis vnctione sanctificata. Hi vero duo dies in primitiua Ecclesia soli extra necessitatem, Baptismo solennes seruabantur. Citò tamen periculi timor persuasit, omnem baptizandi dilationem tollere, & neminem à Dei gratia quantumlocunque tempore differendum esse. Itaque Baptismus in Ecclesia cepit omnibus anni diebus & temporibus ministrari, duobus istis diebus aquæ solum Baptismatis consecratione reseruatâ. Huius obseruationis antiquitatem testantur Cyprianus lib. 1. epist. 12. Et eo antiquor Victor Pontifex Romanus, qui ante annos mille trecentos & quadraginta decreuit, vt exigente necessitate, liceret in aqua non consecrata baptizare. De consecra. dist. 4. ca. Ambros. lib. de Sacra. ca. August. de dictis Basilij, dist. 11.

Prius etiam, quàm fontem vitæ adeant paruuli, Exorcismis & exufflationibus præparantur, & discessus imperatur sæuæ potestati, vt per purum Sacerdotis ministerium

DE SACRAMENT. BAPTIS. 159

sterium, Spiritui sancto cedat refugiens spiritus malignus. Cuius ritus nusquam non extant insignia testimonia apud vetustissimos quosq; Orthodoxos, Tertullia. de corona milit. August. de Eccles. dogma. c. 31. Cælestin. Pap. Baban. de consecra. dist. 4. c. siue paruuli. c. postquam se Bapti.

Rab. de iust. Cler. lib. 1. c. 27

Inter Exorcismos crebrò signantur infantes signo crucis Christi, vt hoc Saluatoris nostri signum aspiciens hostis noster Diabolus, nunquàm audeat eos violare, quos per Baptismum in Christi Saluatoris nomen & tutelam transisse cognoscit, Aug. de Cathesismo contra Faustum lib. 12. super Psal. 141.

*August. li. 12. c. 30
Rab. de iust. cle. li. 2. c. 27*

Per gustum salis infanti præbitum designatur, cum omni iniquitatis fetore carere debere, vt vltra à fordibus peccatorum non putrescat: sed magis illæsus feruetur, ad maiorem gratiam accipiendam, Raban. & Beda de conf. dist. 4. c. ex hinc. Et vt sale sapientiæ condiaur, vt si quando inter infideles aut mundanos homines conuersationem habiturus sit, sciat in sapientia ambulare ad eos, qui foris sunt, & sermonem habere sale conditum in gratia, vt nouerit, quid cuique sit respondendum, vt sine offensione viuat erga omnes, Col. 4.

Dum sputo oris sui nares & aures Baptizandi tangit Sacerdos, innuit aures eius ad audienda Dei mandata aperiri debere, & nares ad odorem notitiæ Dei & pietatis æternæ capiendum, vt dicat Baptizatus. Bonus odor sum & ego Deo. Simul adimplens in illo, quod Christus in cæco prius gessit, quem sputo oculos sublitum, misit ad aquas Siloë. Vnctio vocationem ad gratiam significat, nondum tamen videt vnctus, nisi vocantem gratiam subsequens lauetur in Siloë, id est, in misso, qui est Christus, baptizetur: interim id quoque innuens, nullam quantumuis magnam gratiam, aut vitæ sanctimoniam, sine Baptismo ad salutem prodesse, exceptis his, quos nõ voluntas, sed necessitas, à Baptismo abstinerit.

*Raban. ibidem.
2. Cor. 2. Gloss. 407. super Ioã cap. 9.
Ioan. 9.*

Os autem spūto nō attingit Sacerdos, propter gloriam (inquit Ambrosius) muneris & operis. Munus est Sacramentum corporis Dominici: Opus verò annunciationis Christi, quæ vtraque non nisi post Baptismum homini conceduntur.

Veniens ad fontem Baptizandus, ter abrenunciat Sarranæ, & omnibus pompis eius, & omnibus operibus eius. Cuius abrenunciationis vsum, Beatus Ambrosius explicat. Memor esto, inquit, sermonis tui, & nunquā tibi excidat tuæ series cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius, vt pecuniam eius accipias: teneris astrictus, & reluctantem te fœnerator astringit, atque illic tua cautione conuinceris. Vbi promiseris, conydera, vel cui promiseris. Vidisti Leuitam, sed minister est Christi: vidisti illum ministrare ante altare. Ergo chirographum tuum tenetur in cœlo. Et iterum. Ergo abrenunciasti mūdo, esto sollicitus. Qui pecuniam debet, semper cautionem suam conyderat. Et tu, qui fidem debes Christo, fidem serua. Tu ergo semper recordare, quid promiseris. Si teneas promissionem tuam, tenebis & cautionem. Meminit abrenunciationis Tertull. de corona militari: & passim Chrysofostomus.

Hinc Cathechesi probatus, & fidem Catholicam confessus Baptizandus, vngitur oleo sancto in pectore & in scapulis. Cuius rationem idem Ambrosius explicat. Vntus es quasi Athleta Christi, quasi luctamen seculi luctaturus: professus luctaminis tui certamina. Qui luctatur, habet quod speret: vbi certamen, ibi corona. Augustinus ait. Vngimur in pectore & scapulis, quoniam fides mente concipitur, & opere perficitur. Rabanus sic. Deinde à Sacerdote inungitur, vt ad sacrum Baptismum cum fide accepta custodiatur. Vngitur tunc illius pectus oleo sanctificato, eum inuocatione sanctæ Trinitatis, vt nullæ reliquæ latentis inimici in eo resideant: sed in fide sanctæ Trinitatis mens eius confortetur. Vngitur & inter scapulas de eodem oleo, vt vndiq; muniatur, & ad bona opera faciendā per Dei gratiam roboretur.

Post

Post hæc ad Patrinos sermonem vertens Sacerdos interrogat. Vis puerum leuare de fonte sacro? & prof essos, officij sui admonet, vt meminerint se fidei iussos apud Deum fieri pro his, quos de fonte sacro suscipiunt. Ideoque semper eos admonent, vt castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant. Ante omnia verò Symbolum & orationem Dominicam & ipsi teneant, & eis, quos susceperunt, ostendant. Patrini autem Ecclesiam Christi referunt, quæ infantes in suam fidem receptos, Domino suo offert per Baptismum sanctificandos. Non enim particularis Patrinatorum, sed communis Ecclesiæ fides infantes offert Baptizandos, & eos in hac fide susceptum ipsam fidei Sacramentum reddit fideles.

August.
in serm.
Pp.

Interrogatur etiam Baptizandus, An velit baptizari: & respondet, Volo: ad innuendum, neminem ad Baptismi mysterium suscipiendum vi cogi debere. Non enim inuiti, saluandi sunt, sed volentes, vt integra sit forma iustitiæ. Sicut enim homo propria voluntate serpenti obediens perit: sic vocante se gratia Dei propria mentis conuersione, quisquam credendo saluatur, Dist. 45. ca. de Iudæis ex Concil. Toletan.

Tandem Baptizandus ter mergitur, seu aspergitur aqua Baptismi. Cuius ritus vetustatem & significationem, multi Orthodoxi ostendunt. Hieronymus eodem, Hiero. su inquit, modo in Patrem & Filium & Spiritum sanctum per epist. baptizabamur, & ter mergimur, vt Trinitatis vnum ad Phil. appareat Sacramentum. Augustinus. Tertiò repetita De conse. dimersio, Typum Dominicæ exprimit sepulturæ, per dist. 4. c. eodem. quam Christo consepulti estis in Baptismo, & cum Christo resurrexistis in fide, vt peccatis absoluti, in August. sanctitate virtutum viuatis imitando Christum. Tertul. Hom. 3. lianus contra Praxeam, Ambrosius de Sacramento lib. 3. capite 7.

Baptizatus infans sacro Chrismate in vertice vngitur. Cyp. lib. 1. Cuius rationem tradens Cyprianus, ait. Vngi quoque necesse est eum, qui sit Baptizatus, vt accepto Chrismate,

id

*Ce conse.
dist. 4. c.
Postquã
ascend.
Ambro.
de sacra.
lib. 3. c. 7*

id est, vnctione, esse vnctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit. Rabanus. Postquam de fonte ascendit Baptizatus, statim signatur à Presbytero in cerebro, cum sacro Chrismate, sequente similiter oratione, vt Christi regni particeps fiat, & à Christo Christianus possit vocari. Et Ambrosius pulchrè admodum. Mersisti, inquit, Venisti ad sacerdotem. Quid tibi dixit? Deus Pater, inquit, omnipotens, qui te regenerauit ex aqua & Spiritu sancto, concessitque tibi omnia peccata tua, ipse te vnget in vitam æternam. Vide vbi vnctus es? In vitam, inquit, æternam. Noli ergò hanc vitam illi æternæ anteferre: verbi gratia. Si exurgat inimicus aliquis, si velit tibi fidem tuam auferre, si minatur mortem, vide quid eligas. Noli eligere illud, in quo non es vnctus, sed elige in quo es, vt vitam æternam præferas temporali. In capite autem vngetur Baptizatus, vt norit se Christo capiti insum. Et vt innocentiã, quam accepit, & vitam æternam, in quam vnctus est, in finem conferuet, meminerit è supernis se adiuuandum & protegendum. Et vt hoc signo ostendatur Spiritus sancti descensio, ad habitationem Deo in Baptizatis consecrandam.

*Augu-
stin ver-
ba referri
tur dist.
11. c. Ec-
clesiastica
rum.
Diony. de
Ecclef.
Hierar.
cap. 4.
De conse.
dist. 4. c.
litteris.
Cypran.
Ambros.
Rabanus.*

Ex his obseruent fideles Catholicæ Ecclesiæ filij, vnctionem olei sacri simul & Chrismatis, vetustissimæ obseruationis, & sine dubio (vt Augustinus ait) Apostolica traditionis esse, & iam inde ab Apostolorum temporibus in summa veneratione per omnes totius Christiani orbis Ecclesias habitam, De qua locuplex testimonium præbet Clemens, S. Petri discipulus & successor. Et Dionysius, Beati Pauli discipulus, huius vnguenti confectionem edo cens. Post hos verò Fabianus, Romanus Pontifex, ante annos mille & trecentos statuit, vt in annos singulos, die Dominicæ cœnæ, Chrisma consecratione innouaretur, & vetus in ecclesiis cremaretur igni. Idem Lugdunense Conciliũ decreuit. Cyprani, Ambrosij, Rabani, de Chrismate testimonia, supra videre licet. Hierony. contra Luciferianos Chrismatis meminit in hæc verba. Inde euenit, vt sine Chrismate & episcopi iussione, nec Presbyter, neque Diaconus, ius habeant baptizandi, quod frequenter (si tamen

men necessitas cogit) scimus & Laicis licere. Augustinus Hierony. lib. 1. contra literas P'etilian cap. 104. hunc Psalmi locum explicans: Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam &c. Sacramentum Chrismatis, inquit, in genere visibilibus signaculorum sacrosanctum est, sicut & Baptismus. Hanc autem sacræ vnctionis vetustatem, hunc totius Ecclesiæ Catholicæ perpetuum consensum, hæc tot sanctissimorum & doctissimorum virorum & Martyrum testimonia, fidelibus consideranda ob id proponi debent, vt ea consideratione contra derisum quorundam Nouatorum sese consolantes, salutarem antiquitatem in vnitatem sanctæ Ecclesiæ summa cum veneratione retineant.

Vltimum est, vt alba veste, seu vitta, induatur Baptizatus, sequente oratione ex verbis Rabani desumpta, quibus huius ritus significacionem explicat, dicens, Post Baptismus traditur Christianis vestis candida, quæ significat innocentiam & puritatem Christianam, quam post ablutas veteres maculas, studio sanctæ conuersationis immaculatam conseruare debent, ad representandam eam ante tribunal Christi. Idem. Vtuntur Baptizati albis vestibus, vt quorum primæ natiuitatis faciem vetusti erroris pannus fuscauerat, habitus secundæ regenerationis gloriæ præferat indumentum. Tegitur enim post sacram Vnctionem caput eius mystico velamine, vt intelligat, se Diademate regni & sacerdotali dignitate potiri. Ambros. Acceperisti post hæc vestimenta candida, vt esset indicium, quod exueris inuolucrum peccatorum, & indueris innocentie casta velamina. Tertullianus albam vestem manumissionis & libertatis insigne vocat.

*De conse.
dist. 4. c.
post.
Ambros.
de us, qui
intiditur
myst. 7*

De Sacramento CONFIRMATIONIS.

I N Ecclesiam Christi per lauacrum regenerationis ingressos, Deus, qui diues est, & multus in donis & miserationibus suis, subinde per Spiritum suum aliis nos Charismatibus imbuat, quibus donatam in Baptismo innocentiam aut sua nobis virtute conseruat, aut per novos lapsus amissam, sua benignitate restituit. Siquidem Baptismi gratia (qua deterfis omnibus, tam Originalis quam actualium peccatorum, fordibus, in nouam mundamque creaturam regeneramur) per se ad salutem sola sufficeret in iis, qui aut mox, vt renati sunt, morte soluuntur, & in aliam vitam transeunt: aut per aliquanta vitæ huius curricula promouentes, prius tamen mortem inueniunt, quam acquisitam in Baptismo innocentiam grauioribus delictis obscaueriat. Post Baptismum verò, in hoc seculo ad prouectiorem ætatem duraturis, alia remedia (in tanta vitæ humanæ lubricitate necessaria) liberalis & benignus Dominus prouidit, quibus acceptam in Baptismo salutem tueremur: quam vitæ que nemo quisquam inter tot pericula, quæ tota vita nos circumstant, in finem illæsam & integram potest adducere, nisi quem contra ingruentes aduersitates, nouis subinde præsidis Deus præmuniens, idem qui contulit per misericordiam, virtute sua in eo salutem vitæ que in finem conseruet.

Hæc autem præsidia & remedia posteriora, cætera Ecclesiæ Sacramenta nobis conserunt. Inter quæ primum à Baptismo locum, non sine magna ratione sibi sancta Confirmatio vendicat, quod est incrementi & profectus gratiæ Sacramentum, in quo Spiritum sanctum (qui in Baptismo nobis ad emundationem ani-

mæ infusus est) iam in augmentum gratiæ ac virtutum accipimus, qui quos in Baptismo filios, & hæredes Dei, & novos Christi milites consignauit, nunc porro in Confirmatione, quasi teneros & imbecilles, corroborat ac fouet nouo gratiæ munere, & ad spem promissæ hæreditatis enutrit, atque adeò contra insultus Diaboli & peccati, vires subministrat, & ad ferendam Christi crucem, eorum animis ingerit tolerantiam & fortitudinem.

Etenim Baptismus, vt totum hominem emundat, ideoque mox è vita decedentem saluat: sic amplius victuros non in totum perficit, nec eos extra omne periculum seponit, sed sicut naturali generatione homo quidem integer nascitur, sed imbecillis, & cui ad obeunda vitæ humanæ munia, vires ex progressu colliguntur & accrescunt: sic Spiritus sanctus per Baptismum in homine integram quidem emundationem & sanctificationem efficit. In Confirmatione verò demum robor addit animæ, & vires suffundit renato, quibus subnixus ad omne opus bonum instructus, ad virtutum perfectionem, & plenam synceræ vitæ sanctimoniam, proficit.

Et in Baptismo quidem super renascentes illapsus Spiritus sanctus, in ipsis adoptionem in filios Dei contestatur, eisque hæreditatem æternam consignat in cælo, post cursum huius seculi consummatum, adeundam: interim tamen in mundo inter alienos, & velut orphanis in terra sine patre degentibus, idem ipse Spiritus Paracletus per Confirmationem custodem se, & consolatorem, & tutorem præbet: & destinatum æternæ Patris Testamento, & Christi sanguine conscripam, & in Baptismo iam ex parte acceptam hæreditatem, pupillis in Christo regeneratis conseruat, defendit & adauget: & contra omnes hostium insultus, quos in omni vita varios perpetiuntur, pro pupillis Christi fortem se propugnatorem opponit.

X. ij. Quem

Quemadmodū enim filij Israël post maris rubri tran-
situm, & deuictū ac submersum Pharaonem, per deserti
horrores, & multiplices hostium conflictus, ad terram
promissionis tendebant: & ne saluati per aquam, de-
mum inter vastæ heremi aduersitates perirent, aut nouo
rum hostium impetu elisi, aut fame & siti eneçti, aut du-
ris tempestatibus absorpti, complura subinde auxilia di-
umitis emissâ, tota profectioe perceperunt. Nam & nu-
bem expandit Dominus in protectionem eorū: & ignem,
vt luceret eis per noctem. Et ad petitionem eorum ve-
nit coturnix, & pane cœli satiauit eos. Aperuit petram,
& emisit aquas, vt biberent: hostes eorum ipse strauit, &
munitarum urbium mœnia disecit, viam aperiens popu-
lo suo in terram opimam, lacte & melle manātem, quam
diuini inuitati promissionibus sequebantur.

Psal. 77
Exod. 17.
Iosue. 6.

Sic nobis quoque post Baptismum in mundo tota æta-
te victuris, inter multa pericula, & hostes visibiles & in-
uisibiles, gradiendum est: qui, ne ad cœlestem illam
patriam, in Baptismo nobis promissam, perueniamus,
profectionem nostram inturbare & impedire non ce-
sant. Siquidem & mundus nos fraudibus implicare, &
desideriis variis in pernicem tentat pellicere, interdum
etiam persecutione, violentia, suppliciis, & variis mor-
tis terroribus in pios sæuit. Caro autem à peccatis qui-
dem semel abluta in Baptismo, adhuc tamen intra se la-
tentem concupiscentiam, & ad malum pronitatem reti-
nens, continuum bellum mouet contra spiritum, &
multiplici infirmitate ceptum iter nostrum remoratur.
Diabolus verò (Piratarum more, qui naues vacuas
præterire sine molestia patiuntur, mercibus onustas ho-
stilititer impetunt) contra mundanos homines, à Deo &
salute alienos, vitiis autem omnibus & veteri dama-
nationi obnoxios, lentior quidem insurgit: in Baptismo
verò renatos, & omnis generis spiritualibus muneribus,
& vitæ æternæ promissionibus oneratos, graui succensus in-
uidia, omnibus machinis oppugnat. Contra tales hostes
cū nobis inexpiabile bellum restet, tota ætate nos-
tra, donec ad illam promissionis terram deuenimus,
depu-

depugnandum: Christus illius prioris populi Typos in
nobis adimplens, post Baptismum multiplicia alia no-
bis præsidia, per reliqua Ecclesiæ Sacramenta prouidit,
quibus nos in Baptismo ad spem cœlestis hæreditatis
erectos, præmunit intra insultus hostium, ne illorum
impetu elisi, in via mundi huius deficiamus, priusquàm
ad patriam illam euaserimus.

Præcipuè verò in Confirmatione Spiritum sanctum
nobis impartit, qui quos in Baptismi fonte vestiuit inno-
centia, his in Confirmatione augmentum præstat ad
gratiam: quos in Baptismo regenerauit ad vitam, post
Baptismum confirmat ad pugnam: qui in Baptismo ab-
bluti sunt, in Confirmatione roborantur. In Baptismo
militiæ Christi nomen dedimus, & Imperatoris nostri
Symbolo consignati sumus: In Confirmatione vngimur
ad robur, tali militiæ idoneum, & contra luctamen seculi
huius Spiritus sancti virtute præmunimur.

Ex decre.
Melchias
dis papæ.
De confir.
dist. 5. c.
Spiritus
sanctus.

Vtrunque ergò magnum Sacramentum est, & præci-
pua veneratione tenendum. Sed Baptismus ad peccato-
rum remissionem plus valet: Confirmatio verò maius ac
amplius gratiarum & virtutum augmentum præstat. Nec
est in renatis alterum ab altero seiuendum, aut hoc
post illud, nisi morte præueniente, omittendum, vt ple-
ni Christiani inueniantur: & dum Spiritus sancti, septi-
formis gratia, cum omni sanctitatis & scientiæ & virtutis
plenitudine in Confirmatione infunditur, corda fide-
lium sic confirmatorum ad sanctam prudentiam & con-
stantiam dilatentur.

de conse.
dist. 5. c.
de his.

Huius Sacramenti institutio ex Sacris literis confir-
matur: habet enim Domini & Saluatoris nostri Iesu Chri-
sti luculentas promissiones. Deinde Apostoli & Aposto-
lici viri, in Ecclesia Christi perpetua successione, iuxta
promissum Domini, donum sacrosanctæ Confirmatio-
nis & ipsi susceperunt, & per ministerium suum in alios
transfuderunt.

Christus enim in vltima cœna loquês Apostolis suis (quos certò priùs Baptismum, & in Baptismo Spiritum sanctum ad emundationem & remissionem peccatorum suscepisse, Christi testimonio liquet. Qui locus est in-
Ioan. 17. quientis) non indiget, nisi vt pedes lauet: sed est mundus totus, & vos mundi estis) aliud, tamen Spiritus sancti donum necessarium vtiq; & vtile futurum, quò pleniùs instruerentur & confirmarentur, promissit, dicens. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia: & suggeret vobis, quacunque dixerò vobis. Et. Adhuc multa habeo vobis dicere: sed nò potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Petro autem dixit. Non potes me sequi modò: sequeris autem postea. Et post resurrectionem suam, adhuc timidos Discipulos, & de discessu Magistri triste consolans, ait. Ego mittam promissum Patris in vos. Vos autem sedete in ciuitate, quoad usque induamini virtus ex alto. Has autem promissiones, non ad solos Apostolos, sed ad totam Christi Ecclesiam per illos congregandam pertinere, sequens sermo Christi ostendit, quem dixit.
Ioan. 17. Non autem pro eis rogo tantùm, sed & pro his, qui credituri sunt per verbum eorum in me. Idem & donum illi Spiritus per manus impositionem Apostolorum, eorundemq; successorum per totam Christi Ecclesiam longè lateq; diffusum, satis manifestè conuincit.

Iam quomodo post Christi ascensionem Spiritus sanctus, nouo gratiæ munere in Apostolos illapsus, Domini promissionem abundè impleuerit, Sanctus Lucas in actibus Apostolicis locuplete testimonio edocet. Hic autem quanta in Apostolis etiam post Baptismum hæreticis infirmitas, & quantum illis robur in Confirmatione sancti Spiritus virtute succreuerit, non est inutile consyderare. Diuina Domini miracula Apostoli præsentibus inspexerant, cœlestem eius sermonem aure & corde hauserant, certissimis argumentis ipsius cognouerant diuinitatem. Iam & ablui erant & mundati per Spiritum sanctum, & in filios Dei adoptati, hæredes regni Dei, & con-

fortes Christi futuri: nec tamen hæc omnia animorum imbecillitatem cohibere potuerunt, quin in passione Domini vsq; ad fugam & negationem pauerent: & parum aberat, vt tanta crucis Christi ignominia, tanta aduersitatum procella, fidem Christi prorsus ex animis eorùm emouisset. Sperabamus (inquiunt) quòd ipse esset redempturus Israël, & nunc super hæc omnia tertius dies est hodie, quòd hæc omnia facta sunt. Sed & cùm resurrexisset Dominum, & magna virtute ad cœlos ascendisset, conspexissent: tamen ianuis clausis sedebant, propter metum ludæorum. Quos Dominus, etiam ipse conscius infirmitatis eorum, iussit expectare, donec per nouam Spiritus sancti Confirmationem virtute induerentur ex alto. Quam simul atq; acceperunt in die Penthecostes, còtinuò in apertum prodeunt iam verè confirmati, & omni metu humano per virtutem Spiritus superiores redditi, cum fiducia loquebantur sermonem Dei, & resurrectioni Domini nostri Iesu Christi, quam hætenus per metum quasi absconderat, iam in publico coram ipsis Principibus Sacerdotum & populi, quos huius facti inuidia contingebat, magna virtute reddebant testimonium contra omnes mundi huius & minas & pœnas, tanto animorum robore muniti & confirmati, vt iam gloriosum sibi ducerent, quoquo modo pro Christi nomine contumeliam pati.

Tu ergò, qui Apostolorum post Baptismum infirmitatem consyderas, quis es, qui te ampliore Spiritus sancti profectu post Baptismum indigere non existimes? Baptizati Apostoli tamen, timore hominum & crucis ignominia perculsi, in fide Christi multùm nutabant, donec nouo Spiritus sancti dono confirmarentur. Disce ergò tu quoq; contra seculi huius seu terrores, seu blanditias, nouo Spiritus sancti gratia animum tuum præmunire & corroborare, vt fidem Christi, quam corde credis ad iustitiam, coram mundo fortiter, & absque vlla verecundia, audeas ore profiteri ad salutem.

Huius autem sacrosanctæ Confirmationis donum, quod in se salubriter experti erant sanctæ religionis nostræ

Principes Apostoli, nequaquam neglexerunt in omnes, qui verbum eorum credentes baptizabantur, ministrando transfundere: signo visibili, quod manus eorum impositionem sequebatur, eos, qui Baptismum ritè perpeperant, confirmantes. Cuius rei apertissima testimonia facris literis traduntur Act. 8. Cùm audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quòd Samaria recepisset verbū Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem, qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis vt acciperent Spiritum sanctum: nōdum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant, in nomine Domini Iesu. Tunc imponebāt manus super eos, & accipiebant Spiritum sanctum, Act. 19. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu, & cū imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & prophetabant.

Hic admonendi sunt nostri seculi homines, cū in p̄mitiua Ecclesia Christiani tātam Dei gratiam ex Confirmatione perceperint, quam nequaquam Apostoli & Apostolici viri credentibus negligendam putabant, ne ipsi, qui hodie sub Christi nomine in Ecclesia militant, quasi rem nihili, & non valde necessariam, negligant. Magis verò eandem sine dubio gratiam, quæ olim credentibus & baptizatis per Cōfirmationem in manuum impositione tribuebatur, ipsi per idem Confirmationis Sacramentum etiam nūc ambiant & accipiant. Siquidem idē Spiritus sanctus, qui à primordijs nascentem fouit Ecclesiam, etiam hodie eandem Christi Ecclesiam in terris, similibus donis fouet & tuctur, vt nihil, quod ad fidelium p̄fectam salutem attinet, vel olim defuisse, vel nunc deesse patiatur.

Sic ergo Christi promissionibus institutum sanctæ Confirmationis Sacramentum, & per Apostolos in omnes, qui crediderunt, promulgatum, sancta & Catholica Christi Ecclesia suscipiens continua successione, nec vnquam interrupto vsu, quasi per manus traditum, in hæc vsque tempora nostra transmisit: id quod sanctorum Patrum (quorum doctrina & pictate post Apostolos Christi Ecclesia

clesia multū viguit) clarissima testimonia & p̄sentis Ecclesiæ consuetudo satis probant.

Itaque grauari nemo debet, post scripturæ sanctæ testimonia, etiam veterum Orthodoxorum Patrum de Sacramento Confirmationis pias & luculentas sententias audire, ad coarguenda seculi nostri temeraria iudicia, quibus opponenda sunt sanctissimorum & doctissimorum Episcoporum & Martyrum testimonia, qui in carne viuētib; Apostolis discipuli & sectatores adhæserunt, & post Apostolos, Christi Ecclesiam eadem doctrinarum ac rituum similitudine, quemadmodum ab Apostolis didicerant, piè & fœliciter rexerunt.

Clemens Beati Petri Apostoli discipulus, eiusq; in sede Romana successor, & in glorioso martyrio æmulus, in Epistola ad Iulium & Iulianum Episcopos, de Sacramento Confirmationis loquens, ait. Omnibus festinandū est, sine mora renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo, id est, septiformem Spiritus sancti gratiā percipere: quia incertus est vnus cuiusq; exitus vitæ. Cū autē regeneratus fuerit per aquā, & postmodum septiformi Spiritus gratia ab Episcopo, vt memoratum est, confirmatus (quia aliter perfectus esse Christianus nequaquam poterit, nec sedem habere inter perfectos, si non necessitate, sed incuria & voluntate remāserit) vt habeat, quod à Petro accepimus, & cæteri sancti Apostoli, p̄æcipiēte Domino docuerunt.

Apud Dionysium, sancti Pauli Apostoli discipulum & sectatorē, in Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 4. Vniuersum simul ritum, quo tunc in confirmandis Baptizatis Ecclesia vti consueuerat, explicatum videre licet.

Vrbani Papæ & sanctissimi Martyris, qui sub Alexandro Seuero gloriosum pro Christi nomine Martyriū per tulit, in Decretis Pontificijs extat de Confirmatione testimonium in hæc verba. Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniātur: quia cū Spiritus

Clemens epistola. 4

Dionysius ad Iulianum epistola.

D: cōsec. dist. 5. ca. omnes

Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatur. De Spiritu sancto (vt idem ait) accipimus, vt amore æternæ gloriæ & ardore succensi, erigere à terrenis mentem ad superna & diuina valeamus.

Et egregiè Melchiades Papa Decreti sui cap. 2. eos coarguens, qui post Baptismum Confirmationem quasi superuacua negligebant, dicit. Quia diximus, quod manus impositio & Confirmatio, ei, qui iam in Christo regeneratus est, conferre aliquid possit, fortè cogitet aliquis. Quid mihi prodest, post mysteriū Baptismatis, mysteriū Confirmationis? aut quantum video, non totum de fonte suscepimus, si post fontē adiectione noui generis indigemus? Non ita dilectissimi. Attendat charitas vestra, sicut exigit militaris ordo, vt cum Imperator quemcunq; militum receperit in numerū, non solum signet receptum: sed etiam armis congruentibus instruat pugnaturum. Ita in Baptizato illa munitio est: Dediti militē, da ei adiumenta militiæ. Nunquid prodest, si quisquā parentum magnā paruulo confert facultatem, nisi prouidere studeat & tutorem? Ita Paracletus regeneratis in Christo custos, & consolator & tutor est. Ideo dicit sermo diuinus. Nisi Dominus custodierit ciuitatē, frustra vigilat, qui custodit eam. Ergo Spiritus sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinē tribuit ad innocentiam, in Cōfirmatione augmentū præstat ad gratiā. Quia in hoc mūdo tota ætate victuris inter inuisibiles hostes & pericula gradiēdum est. In Baptismo regeneramur ad vitam: post Baptismum confirmamur ad pugnam. In Baptismo abluimur: post Baptismum roboramur. Hæc ille.

Innocentius.

Innocentius Papa ad Decentium Eugubinum Episcopum, Confirmationem appellans consignationem, aperte indicat, Ecclesiam hūc ritum, quo hodie vtitur, vt fronte signo crucis Christi de sacro Chrismate cōsignentur, etiā tunc tenuisse. De vnctione & manuum impositione, Tertullianus (clarè Confirmationis Sacramentum indicans) ait. Caro vngitur, vt anima consecretur. Caro signatur, vt anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur,

Tertull. lib. de Resurrectione carnis.

tur, vt anima Spiritu illuminetur. Nota sunt seutorum Patrum, Cypriani, Hieronymi, Ambrosij, Augustini, Gregorij, Rabani, aliorumque de Confirmationis Sacramento, testimonia.

Illud autem nullius animum offendere debet, quod qui hodie confirmantur, Spiritum sanctum non in forma visibili accipiunt, quem admodum inter primordia nascens Ecclesiæ, ad impositionem manuum Apostolorum, Spiritus sanctus in signo visibili in confirmatos illabebatur: sicut nemo Christianus dubitare debet, Spiritum sanctum in lauacro regenerationis super baptizatos etiam hodie effundi, eosq; innouare & mundare, & in filios Dei adoptare: tametsi nunc nihil horū nostris oculis apparet, sicut olim, cum Christus baptizaretur, Spiritus sanctus in specie columbæ visus est, descēdere super eum, & vox Patris insonuit. Hic est Filius meus dilectus. Semper enim (vt inquit Chrysostomus) inter initia spiritualium apparere visiones visibiles, vt ea, quæ semel facta videas, post ea fidei ardore suscepta retineas. Et in eandem sententiā Diuus Augustinus. Neq; enim (inquit) tēp. alibus & sensibilibus miraculis attestātib; per manus impositionem hodie datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectet, vt hi, quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repente incipiāt linguis loqui? Sed inuisibiliter & latēter intelligitur, per vinculū pacis corū cordibus diuina charitas inspirari, vt possint dicere, Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctū, qui datus est nobis. Hæc Aug.

August. de Bapt. cōtra Donat. lib. 3. cap. 16.

Nec hoc moueat, quod Apostolos sine vsu Chrismatis, sola manu impositione in ipsis Ecclesiæ initijs tribuisse Spiritum sanctum sacræ literæ commemorant. Nam cum tunc Spiritus sanctus ad euidentiore recentis adhuc fidei commendationem visibili signo influeret confirmatis, externa vnctione, quæ illam internam Spiritus sancti vnctionem designaret, tunc non erat opus. Quid enim referret, quod per se manifestum erat, elemento adhibito vellet

velle denotare? Postea verò, cū iā stabilita fide, & dilatata Ecclesia, vt cumulatius esset fidei meritum, visibilia signa apparere cessarent: mox in locum visibilis signi vnctio Chrismatis successit, quæ his, qui confirmarentur, luculentiorē internæ & spiritalis vnctionis representationem exhiberet, vt quid intus ageretur per gratiam, foris visibili aliquo signo cognosceretur, & verbi fidem in confirmandis externi elementi similitudo confirmaret.

*De cons.
dist. 3. ca.
litteris.*

Sacri autem Chrismatis vsum, Apostolis adhuc in terra degentibus, in Ecclesia Christi cœpisse, multis sanctissimorum Martyrum, & doctissimorum Episcoporum testimoniiis, qui ante annos mille Christi Ecclesiam doctrinis & exemplis auxerunt & rexerunt, sed & communi Ecclesie vniversalis consensu, comprobatur. De qua re extat S. Fabiani notissimum testimonium, qui vicinus Apostolorum temporibus de Chrismatis annua refectione scribens Orietis Episcopis, inter cætera ait. Ista à sanctis Apostolis & eorum successoribus accepimus, vobisq; tenenda mādamus. Hæc sancta Romana & Antiochena Ecclesia, à temporibus Apostolorum custodit: hæc Hierosolymorum & Ephesiorum Ecclesia tenet, in quibus Apostoli præsidentes hæc docuerunt.

Quid clarius aut magis fide dignum quis quæserit hoc sanctissimi Martyris testimonio, Chrismatis vsum ad Apostolicam traditionem referentis? Cuius vtique traditionis tam latè diffusæ, Fabiani temporis, quod ab Apostolorum temporibus non multùm distabat (quippe qui ante annos mille ducentos & nonaginta, sub Decio Imperatore, capitis obruncatione Martyrij gloriam meruit) neq; oblitterata nec obscura memoria esse potuit. Sic Clemens, sic Dionysius, Apostolorum Synchroni & Sectatores, sacri Chrismatis Vnctionem ex Apostolorum traditione in Ecclesia Christi receptam esse, manifestis testimoniis ostendunt.

In hoc itaq; Sacramentum Confirmationis fidelibus sefit, vt per septiformem Spiritus sancti gratiam corroborentur,

rentur & muniantur vndiq; vt ad omne opus bonum instructi, efficaces & validi, & ad malum euitādum propellendumq;, cauti & fortes existant: vt in fide alacres, & ad confitendum glorificandumq; nomen Domini, Spiritus sancti virtute intrepidi euadant: vt contra omnes externorū internorūq; hostiū insultus, infracti, inuictiq; perdurent, & innocētia & gratiā in Baptismo acquisitā, Spiritus sancti tuitione illesam cōseruet: vt ad mādata Dei faciēda, per augmētū charitatis prompti & seduli accurrāt: vt virtutis omnis & spiritalis roboris plenitudinē & consummationem, per infusionem septiformis gratiæ Spiritus sancti percipiant. Pro qua accipiēda, Ecclesia in exhibitione huius Sacramenti, sic ad Deum pro confirmandis orat. Omnipotens sempiternæ Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua & Spiritu sancto, qui dedisti eis remissionem omnium peccatorum: emitte in eos septiformem Spiritum tuum sanctum Paracletum de cœlis: Spiritum sapientiæ & intellectus: Spiritum consilij & fortitudinis: Spiritum scientiæ & pietatis. Adimple eos Spiritu timoris tui, & consigna eos signo crucis Christi in vitam propitiatus æternam. Atq; hic effectus est Confirmationis.

Verbum autem, quo hoc Sacramentum in credētes administratur, hoc est. Consigno te signo sanctæ crucis, & confirmo te Chrimate salutis, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: vt replearis eodem Spiritu sancto, & habeas vitam æternam. Hæc verba duo in nobis fieri inuēt. Primò enim signum Imperatoris nostri Christi accipimus in fronte, qui est locus verecundiæ & pudoris, in quo metus, verecundia, adeoq; omnis interna animi passio se prodit. Hunc ergo locum in Confirmatione signum Christi occupat, ne in posterum confirmatus vllā verecundia, vllōue seu ignominie seu pœnæ metu, à publica & frequenti nominis Christi Confessione retrahatur. Dein de vngimur, idq; ad robur. Christi enim milites sumus, ideoq; quemadmodū in seculō pugnaturi neruos & membro olei vnctione fouere solent: sic nos contra carnis nostræ debilitatem, & cōtra spiritalium hostiū insultus, sancti

sancti Spiritus virtute roboramur & confirmamur, vt aduersus hostes spirituales, vbi nostrae vires non sufficiunt, Dei virtute robusti & fortes effecti, tuto praestemur.

Materia huius Sacramenti Chrisma est. Huius Chrimatis vnctio, Spiritus sancti interior vnctio, quam in Confirmatione accipimus, quadam similitudine nobis innotescit. Vngimur autem, vt cum Christo etiam in nomine participemus, qui cōsortes eius in Spiritus sancti vnctio, ipsius dignatione, efficitur, vt quemadmodū à Chrimate Christus: sic nos ab illo Christiani appellemur.

Cū autem Chrisma & oleo oliuae & Balsamo commisceatur, per oleum (quod pinguedine sua ignem fouens, & calorem simul & splendorem efficit) diuinæ gratiae pinguedo, fidei splendor, & charitatis ardor, designatur: quae omnia confirmatis per Spiritus sancti infusionem vberima contingunt. Balsamum verò Spiritus sancti suauitatem innuit, qua nos ad se trahit Christus, vt eius bonus odor simus, simul vt & nos meminerimus, per charitatem, quae diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui nobis in Confirmatione datur, sanctae vitae & bonorum operum odorem ad alios homines spargere: vt videtes opera nostra, & conuersationē sanctā, attracti hoc odore, glorificent & ipsi Patrem nostrum, qui in caelis est.

Rom. 5.

*Matt. 5.
1. Pet. 2.*

Act. 8.

Minister autem Sacramenti huius, est Episcopus. Nam & Philippus Diaconus Samaritanos, quos sua praedicatione conuerterat, confirmandos Apostolis referuauit. Et de eadem re ingens omnium veterum Orthodoxorum Patrum consensus extat. Nec tamen Episcopi sua potestate dare Spiritum sanctum existimandi sunt: sed Ecclesiae ministerium gerentes pro accipiendo Spiritu sancto, voce totius Ecclesiae ad Dominum orant, & suo ministerio Dei dona in credentes ministrant. Nec humanum hoc est opus (inquit Ambrosius) neque ab homine datur: sed inuocatus à Sacerdote Spiritus à Deo traditur, in quo Dei munus, ministerium est Sacerdotis.

Alapam cōfirmato impingit Episcopus, & pacem conprecatur, illam quam Christus dat, & quam mundus dare

noa

non potest: vt iam inde assuescat, quantum in ipso est pacem habere ad omnes, & non sibi graue ducere, pro Christi nomine persecutionem & contumeliam pati, & Domini sui exemplo violentiam & conuitia illata, non talione rependere, sed in bono vincere, Rom. 12. 1. Pet. 2.

Solis autem Baptizatis conferri sacrosanctae Confirmationis Sacramentum debet, quos pro tanti muneris diuini reuerentia, utique ieiunos (si adulti sunt) & purgatis per Confessionem animis, accedere ad huius Sacramenti susceptionem decet. Nec sunt tamen paruuli ab hoc Sacramento abstinendi. Nam quum in Confirmatione susceptus Spiritus sanctus augmentum gratiarum praestet, & antea Baptizatis iam consolator, custos, & tutor adueniat, utique tantae aetulae Spiritus sancti tutela, & diuinæ gratiae munimen per necessaria sunt: nec est dubitandum, qui infantes confirmantur, cum ad prouectiorem aetatem peruenerint, quin ex eadem Spiritus sancti gratia, quam in Confirmatione acceperunt, & robur contra vitia insidiasque Diaboli, & per charitatem in bonis operibus sedulitatem, & perseuerantiam in se experturi sint, nisi acceptam gratiam interim nouis peccatis obruerint aut amiserint.

*De conse.
dist. 5. ca.
Vt ieiuni.*

Affectum autem, qualem adferre ad huius Sacramenti perceptionem Christianis cōuenit, haec quae diximus, rite intellecta & bene confyderata, in eorum animis excitabunt: si meminerint & credant, in hoc Sacramento se per Ecclesiae sanctae intercessionem, & Sacerdotis ministerium, accepturos Spiritum sanctum, qui septiformi gratia sua omnis scientiae, virtutis, & roboris spiritualis plenitudinem & consummationem in ipsis sit operaturus, iuxta Domini promissionem, Ioan. 14. 15.

Patrum autem sibi in hoc adhibet cōfirmandus, vt ante Deum se humiliet, quasi suae imbecillitatis conscius, per alium sustentandus, ad Deum pro Confirmatione & corroboracione per Spiritum sanctum accipiendam aduenit. Patrum autem officium erit, eum, quem in Confirmatione tenuit, in fide instruere, Symbolum & orationem Dominicam edocere, & vt ubique pietatem seruet, sedulo admonere.

De Sacramento POENITENTIAE.

C Ommendat erga nos Deus multiplicem & immensam misericordiam suam, qui non solum vniversa prioris vitæ delicta per Baptismi gratiam semel nobis cōdonat, sed etiam sequētibus lapsibus nostris eadem sua bonitate subuenit: vt cūm regenerationis dona, vel malitia nostra: vel ignorantia, vel infirmitate prolapsi, violauerimus, nec sic tamen nos Misericors Dominus abiicit, sed nolens perire quos condidit & redemit, non cessat nos reuocare ad veniam, & spem nobis æternæ vitæ per Pœnitentiæ medicinam restituit. Salutaris enim Pœnitentia (ad quam nos semel ablutos, post iterata peccata inuitat Benignus Dominus) omnia in nobis, quæ peccata vitauerant, redintegrat, & reuersas post primam emundationem peccati sordes ipsa rursus detergens, pristinam nos reddit puritati. Hæc ouem perditam reportat ad caulam, & filium dissipatorem reducit ad patrem. Hæc creaturam suo reddit Creatori, & peccatorem, ex profundo flagitiorum subleuat, & inferni faucibus ereptum, inter Angelos collocat. Hæc Christi in terris repurgat Ecclesiam, exhibens eam Christo gloriosam, nõ habentem maculam, neq. rugam, sed vt sit sancta & tota pulchra: non quod in ea peccata non fiant, sed quod peccata in ea hæreere nequeat cūm quotidie per Pœnitentiæ subsidia expellantur.

Pœnitentia enim Nitrum est, & herba Fullonum, quæ non corpora, sed animas nitidas reddit: & resina illa Galæad, quæ tametsi carnem quadam mordacitate pungit, & corrumpit, tamen mentis medetur vitis, & internum hominem renouans, ad firmiorem indies prouehit sanitatem. Et si qua reliqua sunt Pœnitentiæ bona, quæ cūm plura sunt, quàm vt enumerari queat, ea saltem ex aliqua sui portione

portione expedit cognoscere.

Primum quidem esse decebat, quod idem tutissimum esset & saluberrimum, vt homines innocentiam, in Baptismo donatam, sanctis exercitiis per omnem vitam conseruent: sed vbi eam non tenuerint, proximum est, ad Pœnitentiam illos inuitare, quam esse optimam, ac homini valde salutarem, credere conuenit, vel ex eo, quod tantopere eam Deus nobis commendat. Cū enim Deus summe Bonus sit, nihil eū, nisi quod bonum est, delectare potest. Adeo autem delectat Deum peccatorum per Pœnitentiam conuersio, vt non solum crebro præcipiat, sed ad eam cohortetur & præmio salutis inuitet: iurās etiam per semetipsum, cūm per maiorem iurare nequeat. Viuo ego, dicit Dominus, quia nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat. Nunquid meæ voluntatis est mors impij, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat? Conuertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas vestra. Quare moriemini? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: Reuertimini, & viuite.

Exe. 18.
33.

Non est autem dimidiata Domini Bonitas, sed integra, & perfecta eius miseratio, quæ omnem profusum malitiam peccatoris vincere, & per Pœnitentiam reuertenti omnia delicta condonare valet. Non est infirma Domini medicina, cui aliquis morbus incurabilis resistat: sed omnem profusum infirmitatem per Pœnitentiæ remedia curare & potest & vult, iuxta promissionem suam. Si dixero impio, dicit Dominus, morte morieris: & egerit Pœnitentiam à peccato suo, & fecerit iustitiam & iudicium: vita viuet, & non morietur: omnia peccata, quæ peccauit, non imputabuntur ei. Hinc & Psaltes plenam, & ex omni parte perfectam, Dei medicinam commendans, ait. Benedic anima mea Domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum.

Psal. 102.

Y Quæ

Luc. 15.

Eph. 5.

Hier. 8.

2. Cor. 4

Quem ad Pœnitentiam non inuitet:quem non compellat ad conuersionem considerata tanta Domini Bonitas! Qui peccatis nostris iustam Dei iram commeruimus, ne expauescamus redire ad eum. Bonus est, Benignus, non secundum iniquitates nostras retribuet nobis: non ut iudex conuictis nobis debitam infliget pœnam, sed ut Pater gratuitam nobis ad se reuersis retribuet misericordiam. Sic nobis fecit, cum inimici essemus, per mortem suam nos reconcilians Deo, multo magis reconciliatis nobis, miserendo perget esse sui similis: tu tantummodo Noli obliuisci omnes retributiones eius. Nec nos magnitudo præteritorum criminum, aut cauendo futura imbecillitas absterreat, quo minus redeamus ad eum, qui propitiatur omnibus iniquitatibus nostris, & qui naturæ nostræ infirmitatem paratus est contra insequentia vitia per gratiam suam roborare.

Et cur non tam ingens præmium nos impellat, ut optimi Medici curæ nos libenter submittamus, qui non tantum sanat infirmitates nostras, sed sanatos in super æterna gloria coronat per misericordiam & miseratiões suarum? Et omnem profus indigentiam nostram suæ Bonitatis diuitiis explet, in bonis replens desiderium nostrum, ubi nosmetipsos illi per Pœnitentiã reddiderimus, qui quam diu ab illo per ægrè manemus, satis esurimus.

Sed quantos Bonitatis ac miserationum suarum thesuros ab initio Deus in homines per Pœnitentiam dispensauerit, per sacras historias decurrèti vndiq; apparet. Nā antiquum populum, si quando per peccatum in manus hostiles inciderat, Pœnitentiam reduxit ad pristinam libertatem, quos hac vsos consuetudine sacris historiis proditur, ut quoties ærumnis variis inuoluerentur, Dei implorati auxiliū, ciliciis sese induerent, cineribus conspergerentur, ieiuniis & fletibus corpora affligeret: quos sic per Pœnitentiã disciplinam humiliatos, miseratio Domini ab angustis mox eripiebat. Multos ipsorum Reges Pœnitentia aut obsidionibus exemit, aut captiuos, liberauit. Iosaphat ubi se cum toto populo in Pœnitentiam coram Do-

mine

mino prostrauisset, contra Amonitas & Idumæos, numero militum & armis multo superiores, victoriam Deo auxiliante obtinuit. Achab ingens malum à capite suo per Pœnitentiam depulit.

2. Par. 20
3. R. 21.

Immò vero tanta vis est Pœnitentiæ, ut ipsa Dei immutabilis sententiam mutare posse videatur, & cum Dei voluntati resistere nemo valeat, tamen contra excitatam iram eius Pœnitentiæ vires resistunt. Locutus est Dominus contra Niniuitas, ut disperderet eos: mox ut illi priorem peccatorum suorum fastum Pœnitentiæ humiliatiōne mutauerunt, Dominus quoq; rescissa pœnarum sententia, iram suam in subitam commiserationem conuertit. Vidit enim Deus opera eorum: quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit. Sic alibi ipse etiam Dominus testatur, iram suam contra Pœnitentiam non præualere. Repente loquar aduersus gentem, & aduersus Regnum: ut eradice & destruam, & disperdam illud. Si Pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam: agam & ego Pœnitentiã super malo, quod cogitavi, ut facerem ei: & subito loquar de Regno illo, ut plantem & ædificem illud.

Ion. 3.

Hier. 18.

Non autem simulatione (non enim irridetur Deus) sed ex toto corde prægenda est vera & salutaris Pœnitentia. Nam ex corde proficisci oportet, quodcūq; apud Deū vel pœnam meretur vel præmium. Siquidem Deus in omnibus actionibus nostris, non tam actiones ipsas, quam voluntatem respicit & remunerat: quæ actionum omnium origo, & omnium meritum mensura est. Parata autem ad Pœnitentiam voluntati, adiungenda est vera & submissa oīm actionū humilitas. Resistit enim superbis Deus humilibus autem dat gratiam: adeo, ut ne iustus quidem placere Deo, nisi per humiliatiōnem valeat: quanto minus peccator veniam impetrabit, nisi dum pœnitet, etiam humilietur? Id quod Dominus exigit, dicens. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & plantatu: & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.

1. Pet. 5.

Luc. 18.
Ioel. 2.

Y ij Multum

Iacob. 4. Multum autem efficax ad veniam erit Pœnitentia, si internum cordis dolorem foris oculorum lachrymæ demonstrent, ad quas Iacobus Apostolus nos inuitat. Emundate manus o peccatores, & purificate corda, duplices animo. Miseri esote, & lugete, & plorate: risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem. Humiliamini in conspectu Domini: & exaltabit vos.

Mat. 7. Sed ne lachrymæ etiam simulationem abscondere putentur, veram cordis tristitiam, verasq; lachrymas, vicus vestitusq; ac totius vitæ austeritas commendet, vt quod per voluptatum illecebras caro peccauit, externa ista afflictione dependat. Ad quod nos Dominus hortatur, dicens. Intrate per angustam portam: quia angusta est porta, & arcta est via, quæ ducit ad vitam.

Iob. 6. Per hanc viam arctam sancti ac pij homines, in cœlum sibi conscendendum putauerunt. Qui sceleribus quotidie inquinamur, nisi tandem eadem via incesserimus, qua se nobis polliceri cœlū audemus: Si in illorū vestigia, qui illic nos præcesserunt, oculos intenderimus: videbimus, beatū Iob hac viuendi ratione se Deo cōmendasse, vt ad Deū per multam vitæ asperitatem contenderet, vnde vsq; ad illam illustrem tentationem Domino charus fieri meruit.

Saccum consui, inquit, super cutem meam, & operui cinere carnem meam: Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligauerunt.

Dan. 9. Daniel Propheta, fidei & innocentie merito egregius, post multiplicem Domini circa virtutes suas cōmédationem manifestis iudiciis ostensam, ieiuniis tamen affligebat carnem suam, vigilabat, in sacco & in cinere voluabatur. Posui, inquit, faciem meam ad Dominum Deum meum, rogare & deprecari in ieiuniis, sacco & cinere. Et Ego Daniel iugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, sed neq; vnguento vnctus sum.

Ioannes Baptista, Christi testimonio omnibus de muliere genitis sanctitate prælatus, in Euangelicis literis de

asperitate victus & vestitus, insignem commendationem tulit, qui Pœnitentiæ Prædicator in publicum prodians, prius illam in se viuendi ratione, quàm in sermone prædicationis ostendebat.

Talem vitæ austeritatem, ac tam arctam Pœnitentiæ disciplinam, sancti Dei homines, magnorum criminum immunes, vtro sibi induxerunt. Quam igitur non afflictionem carnis, hi qui omnibus sceleribus facti & impuri sunt, vt mundationem accipere mereantur, sustinendam sibi putabunt?

Neq; tamen existimet quisquam, plenam & Deo gratam Pœnitentiam externa corporis afflictione consummari, nisi vsq; ad cordis emundationem ista humiliatio penetret: ita, vt homo depositis vitæ prioris flagitiis, & sanctè ac pie viuendi exercitiis se tradens, dignos Pœnitentiæ fructus ex tota vndiq; vita sua depromat, vt superbiam pellat humilitas, libidinem castitas excludat, auaritiam liberalitas, crapulam abstinentia, charitas odium, vitiaque omnia virtus contraria compenset. Sic enim & Apostolus iubet. Deponite vos, inquit, secundum pristinam conuersationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris: Renouamini autem Spiritu mentis vestræ, & induite hominem nouum, qui secundum Deū creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis. Sic & alibi idem Apostolus, Pœnitentiam veram illam esse ostendit, qua post peccatorum purgationem, fauente Spiritu sancto, mens hominis illuminatur, & ad virtutum amorem incenditur, vt expiata penitus ab his, quæ Deo displicent, incipiat illa cogitare, quæ Deū valde delectant, Tit. 2. Col. 3.

Ephes. 4.

Nec est homini peccatorum quasi difficilis desperanda Pœnitentia, quam multi, abiecta grauisimorū vitiatorum sarcina, peregerunt: aut certè si qua difficultas inest, ea hominis vitio inter moras dilationesq; conuersionis crescit. Quantò enim diutius conuersio suspenditur, tantò grauiore tandem labore peragitur, velut quò quis longius errando abierit, tantò laboriosius redit. Et qui oneri suo quotidie addit, nisi tandem adimere incipiat, crescente grauitate, citius opprimitur.

Quod si cui assueti relinquere graue & durum videatur, ita, vt violentis cupiditatibus suis imperare non possit: det operam vt possit, auferat sibi cupiditatum occasiones & à malorum hominum cōsortio paulatim se subducens, melioribus adiungatur, quorum consuetudine vitia priora deducatur. Socios criminum aut secum conuertat, aut si conuerti nolint, fugiat: ne communiis cum interitus inuoluat. Melius est enim, oculo seandale: tate eruso & abiecto, lacu introire in regnum Dei, quam duos oculos habētem mitti in gehennā ignis. Melius est sine amicis, si corrigi noluerint, in celi ingredi, quam cum his indefinitibus tedi supplicis. Quod si quis omnino in se nō inuenit, vnderatē corporis sui vitiorū sustibus demersam, ad virtutis portū reducere possit: ille vt possit, Dei opē imploret, quāuisquā nō sua gratia adesse periculis suis, si ad ipsius opē cōfugerint, dignatur. Nemo ergo restē imbecillitatem suā excusare potest, cui auxilium à Deo offeratur gratuitū.

Vnde satis constat, omnem conuertendi dilationem et hominum culpa prouenire, dum aut vitiorum cōsuetudine alligati, & cupiditatum occasibus vincti, circumsepti, daram sibi Pœnitentiam cōsumunt: nec certē spe vitæ longioris sibi proponēt, intentionē cupiditatis suis blandiuntur, & voluptuam illucubrē de die in diē indigetates, conuersionem suam in aeternam feram suspendit. Qui per illud nihil periculosius excogitari potest. Dum enim Pœnitentiam de die in diem differunt, interim Pœnitentiæ tempus præterit, & adiuuam pœnitendo vitiorū de vios repentius occupat inuenias.

Quicumque igitur salutem suam diuinam habet, sollicitus prouidebit, ne cum inimicis suis decipiat, ne robuste vires, & corpus salubre & validum periculosam illam conuertendi dilationē sibi perfundat. Pœnitentiam secum cogitabit humana natura cōsuetudinem, quæ omnia nobis à hac vita inuicta dedit & fragilitate sic, vt hunc Spiritum leuissimæ quæque occasiones, & plerumque ignorat, aut certe improbita, extinguat. Sicut enim dies cum, quem nō exortens sanum hōtorem, vidit, ad occasum declinat cōspicitur exanimem conuulsis. Inuidentis est ergo, nihil

humani

humani à se alienum putare, & quæcunque aliis accideret potuerunt, eadem in seipso expectare ac providere: nec committere, vt dum Pœnitentiæ remedia spe longioris vitæ in seram ætatem differt, de repente fraudatus spe sua, & sine Pœnitentia hinc sublatus, æternis tradatur incendiis.

Nulla quidem ætas hominis ad Pœnitentiam sera est: quandoquidem ille paterfamilias, etiam nouissima hora in vineam venientibus, iussit integram totius Diei mercedem persolui. Sed stultissimum & miserrimum est homini, cum exitus vitæ prorsus in incerto sit, multos sibi vitæ suæ dies polliceri, & in his semper postremum expectare velle, ne fortē hodiernus aut crastinus dies viuēdi finem adducat, & tunc mori necesse sit, cum se victurū speraret. Vnde vtilissimum sibi homo putet, & sapientis consilio auscultare. Non tardes conuerti ad Dominum, nec differas de die in diem. Subitō enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.

Hæc, vt homines salutis suæ admonerentur, de veris Pœnitentiū officiis præmonere oportuit: videlicet, vt ex corde conuertantur, qui veram Pœnitentiam desiderant: vt volentes, non inuiti, ad eam accedant: vt fœditatem & miseriam suam respicientes lugeant, & humilientur: vt vitam asperiores sibi indicant, & præterita flagitia succedentis probitatis meritō rependant: vtque in primis curent, ne tempus Pœnitentiæ, conuersionis suæ procrastinatione amittant. Et cum hæc omnia perfecerint, nihil tamen de suis meritis putent prouenisse, sed gratiæ Dei totum ferant acceptum, cum Propheta dicentes. Scimus Domine, quia non est hominis via eius, nec est viri, vt dirigat gressus suos.

Beati ergo, si quos Domini misericordia huc direxerit, vt salutarem illam Pœnitentiæ medicinam amplexentur, vt lauent stolas suas in sanguine agni, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem. Beati quibus contingit peccatorū suorū sordes abluere,

Y iiii

quæ

quæ tamen in solo agni sanguine lauari ritè queunt. Nil enim hominem iuaret Pœnitentia, nisi sub peccato & maledicto venundatos preciofo sanguine suo Christus redemiffet. Cuius sanguine lauantur peccatores, dum in ipsum credentes misericordiam eius pœnitendo & fperando implorant, & peccatorum fuorum veniam eodem miserante accipiunt.

Hæc de Pœnitentiæ vtilitate præmoniffe fufficiat. Nunc, ne quis tam falutarè animæ fuæ medicinam ignoret, Pœnitentiam per fuas partes diftributam, iuxta facræ fcripturæ & veterum Orthodoxorum fententiam, breuiter & dilucidè doceri conueniet.

Pœnitere itaque dicitur, cùm ea, quæ priùs fecimus, poftèa difplicere incipiunt, & molefta effe. Quomodo prophani homines fape etiam de bonis factis Pœnitentiam fumunt, & tùm pœnitere dicuntur, cùm quod priùs fecerunt, poftèa in feipfis quodam animi dolore reprehendunt, fiue malum illud fuerit quod egerunt, fiue bonum: iuftum feu iniuftum: turpe feu honeftum.

Auguft. lib. de Pœnitentia. In præpofito Pœnitentia dicitur quædam animi, oberratum feu delictum aliquid, dolentis vindicta, qua quis in fe reprehendit, & punit, quod dolet commiffiffe.

Hæc in veram & falſam Pœnitentiam diftinguitur. Falſam multiplices cauſæ efficiunt, vel cùm adhuc iniuſtitiam in corde incluſam retinet, qui Pœnitentiam fimulat: vel cùm quis pœnarum metu, non propter offenſam Dei, de peccatis ſuis dolet: vel cùm de quibuſdam verè doleat, tamen reliquorum delectationem non excludit, de quibus in progreſſu pleniùs dicitur.

Vera Pœnitentia Interna & Externa eſt. Quæ tamen duæ ſpecies vnã perfectã & plenã Pœnitentiam abſoluunt. Interna Pœnitentia dicitur, quatenus ad animi dolorem, qui pro admiſſis concipitur, refertur. Externa verò, dum Abſolutionem Sacerdotis, & Pœnitentiæ illam actio-

actionem, & dignos Pœnitentiæ fruſtus, reſpicit. Hæc poſterior rurfus in publicam & priuatam diuiditur.

Tres autem veræ Pœnitentiæ actiones in Eccleſia vſatatas Diuus Auguſtinus commemorat, quas hîc recenſent nec inuile, nec à propſito alienum eſt.

Auguſt. de Pœn. med. c. 2. & de vtilitate ag. Pœn.

Vna eſt, quæ Baptiſmum antecedit in adultis. Nemo enim iam voluntatis fuæ factus arber, ad Sacramenta fidelium admitti debet, nec nouam inchoare vitam poteſt, niſi eum vitæ prioris pœniteat: adeo, vt etiam infantes ad Baptiſmum non recipiantur, niſi priùs in abrenunciatione Satanæ ac operum eius, mundi etiam & luxuriæ ac voluptatum eius, Patrinnorum voce vetuſta fœditatis Pœnitentiam, & melioris vitæ defiderium, profiteantur. Ad hanc Pœnitentiæ actionem Petrus Apoſtolus Iudæos inducens, ait. Pœnitentiã agite, & baptizetur vnufquiſque veſtrum in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti.

Act. 2.

Altera Pœnitentiæ actio eſt, illa fidelium quotidiana & per totam hanc vitam durans Pœnitentia, perpetua ſupplicationis humilitate ſubeunda: quæ ex præſentis vitæ, & quæ eam conſequentur, calamitatum tædio, & futuræ vitæ defiderio, exurgit. Eos enim, qui ad patriã illam cœleſtem, & domum non manu factam, ſed æternam ſuſpirant, futuræque vitæ gaudia ſecum cogitant, non poteſt non infœlicis huius peregrinationis pœnitere: ata, vt cum Dauide ſucclament: Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata eſt: cum Paulo ingemiſcentes in hoc tabernaculo grauati, bonam voluntatem habeant magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum. Nec id ex impatientia aduerſitatũ, ſed quòd in iſta peregrinatione ad futuram patriam tendentibus, hæc præſens vita innumera obiicit offendicula, & de amittenda ſalute non rarò facit periclitari. Vnde Beatus Iob non ſolum in hac vita tentationem eſſe, ſed ipſam hanc vitam eſſe tentationem, verè pronũciauit. Hinc itaq; pij homines

Pſal. 119. 2. Cor. 5.

Iob.

Gal. 5. nes, etiam si nullis lethalibus vulneribus sauciantur, quæ-
 lia sunt, homicidium, adulterium, & similia, de quibus A-
 postolus dixit, quod qui talia agunt, Regnū Dei non pos-
 sident: tamen propter leuia ista & quotidiana delicta,
 sine quibus hæc vita nõ agitur, quotidiana Pœnitentia se
 humiliant, tundentes pectora sua, & dicentes. Pater, di-
 mitte nobis debita nostra. Hæc enim quotidiana delicta,
 etsi parua sunt, ex neglectu fiunt grauiora, & tandem simul
 congregata, velut scabies ipsa multitudine necant, & spi-
 ritualis hominis decus foedant, vt ab illius sponsi præ filiis
 hominum speciosi castissimis separent amplexibus, nisi
 medicamento quotidianæ Pœnitentiæ deficcantur.

2. Cor. 12. Tertia Pœnitentiæ actio, est illa grauior & maiore lu-
 etu transigenda Pœnitentia, à qua præcipue in Ecclesia
 pœnitentes nominantur, quæ pro illis peccatis subeunda
 est, quæ legis Decalogus continet, quam Apostolus in-
 nuens, dixit. Timeo, ne iterum cum venero ad vos, hu-
 miliet me Deus apud vos, & luceã multos ex his, qui ante
 peccauerunt, nec egerunt Pœnitentiã super immundicia
 & fornicatione, & impudicitia sua, quam gesserunt.

Nunc igitur ad huius veræ & præcipuæ Pœnitentiæ
 descriptionem, posteaquam hæc non inutiliter præces-
 runt, iam inde procedendum.

Eph. 4. Vera itaq; Pœnitentia totam hominis vitam completi
 debet. Estque integra & plena veteris hominis mortifi-
 catio, & exinanitio, & assumptio noui, qui secundum Deum
 creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis. Quæ vita
 nouitas, cum per omnem ætatem deceat hominem Chri-
 stianum, vtique & Pœnitentiæ exercitium per omnem
 vitam durare debet. Semper enim in ista naturæ huma-
 næ lubricitate, homo in se inuenit, vnde vitam suam to-
 ta vita sua depleat.

Sed tunc vera Pœnitentia agitur, cum homo à malitia
 & impietate sua euigilans, & ad Deum se conuertens,
 præterita peccata sua cum graui animi mœnore remittit
 si

sci, eaque odisse ac detestare incipit, cum proposito simi-
 lia non iterum committendi, sed vitam suam per Dei gra-
 tiam in melius commutãdi. Vnde Beatus Ambrosius Pœ-
 nitentiam pulchrè definiens, ait. Pœnitentia est mala præ-
 terita plangere, & plangenda iterum non committere.
 Sic Augustinus. Pœnitentia vera, est pœnitenda non ad-
 mittere, & admissa deslere. Sic Gregorius. Pœnitentia est
 ante acta peccata deslere, & deslenda non committere:
 siquidem delectatio peccati, & voluntas iterum peccãdi,
 Pœnitentiam prorsus euacuant, & inutilem reddunt.

Concordi autem Ecclesiæ ac sanctorum Patrum sen-
 tentia, tres partes veræ Pœnitentiæ numerantur. Con-
 tritio, Confessio, & Satisfactio. Nam quod aliqui fidem
 Pœnitentiæ partem adnumerant, certum est fidem in om-
 ni Sacramento (non tamen tanquam eius partem) requiri.
 Sic etiam veræ Pœnitentiæ fundamētum fides est, quæ
 omnis bonæ actionis initium & basis est, & sine qua ni-
 hil boni esse potest. Omnis itaque Pœnitentia, quæ ex fi-
 de non procedit, velut inutilis refutanda est. Siquidem
 vbi fides deest, ibi nec Christus adest. Extra Christum au-
 tem remissionem peccatorum, quam per Pœnitentiam
 ambimus, quærere velle, & impiũ & inane existmandum.

DE CONTRITIONE, PRIMA
 parte Pœnitentiæ.

OEnitentiæ prima pars est Contritio, quæ
 interna seu cordis Pœnitentia appellatur.
 P Estque vrgens animi dolor, & vehemens ama-
 ritudinē cõscientiæ, quæ se peccatis suis sentit
 iram Dei commeruiffe, adeoque peccasse vehe-
 menter dolet, & irata peccatis suis, propositum assumit
 vitæ in melius commutandæ: iam non deprecans so-
 lum ad Dominũ pro delictis præteritis, sed & pœnam,
 quamcunq; iusta Domini misericordia, & misericors
 iustitia irrogare voluerit, suscipere ac sufferre parata &
 voluntaria. Tria enim hæc simul iuncta, verã Contritio-
 nē constituunt. Displectiã peccati præteriti, & Propositũ
 non

non iterandi (sine his duobus non agitur, sed fingitur Pœnitentia) & tertium, Voluntas in pœnam parata, quæ odio peccatorum suorum in ultionem sui insurgens, proclamat ad Dominum. Peccavi, quid faciam tibi: quasi dicat. A deo me peccatorum meorum & tuæ offensæ pœnitet, vt non velim contra me offensam tuam non vlciſci: ostende ergo, quid supplicij de me exigas, quod pro offensa tua tibi sufficiat.

Psal. 37.

Ex tali Contritione illa vox prorupit. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. Et. Non est ianitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum, & cætera quæ sequuntur, quibus subdit.

2. Cor. 7.

Quoniam ego in flagella paratus sum. Hæc est tristitia secundum Deum de qua Apostolus gaudet, quæ Pœnitentiam ad salutem stabilem operatur, excitâs in homine secundum Deum contristatio sollicitudinem, defensionem, indignationem, timorem, desiderium, æmulationem, vindictam. Sollicitudinem: qui enim ob peccatum suum & Dei offensam in corde suo conteritur & tristatur, utique sollicitus est, ne denuo peccet, & iterum offendat Deum. Defensionem: quia apud Deum excusatus est, qui proprio dolore seipsum pro peccatis suis pungit. Timorem: quem ostendit se habere in peccatis suis, qui delicti veniam implorat. Desiderium: nam emundari se cupit, qui suæ malitiæ irascitur. Vindictam: Deum enim, quem offendit, contra seipsum vindicat, qui pro commissis sese affligit. Talis Contritio peccatorem reducere incipit, vt reddat eum Deo, iuxta orationem trium puerorum. In anima contrita, & spiritu humiliato suscipiamur Domine à te.

Dan. 3.

Hinc autem apparet, quàm necessaria sit peccatori vera cordis Contritio, quod anima per peccatum alienata à Deo, à salute quoque aliena erit, nisi ad Deum reuerſa, cū illo rursus cōiungatur. Non fit autem ad Deum reuerſio, & cum Deo coniunctio, nisi per contritionem de peccatis commissis, & detestationem omnium eorū, quæ à Deo animam separauerunt. Non redit ergo ad Deum, qui super peccatis suis non conteritur: qui non redit, non saluatur.

natur. Peribunt enim omnes, qui se à te elongât Domine. *Psal. 71*

Matt. 15.

Et quoniam ex corde, seu fonte, peccata omnia in membra corporis promanant, à membris verò in opus diriguntur: utiq; iustum est, discessum à peccatis vicissim in corde inchoari, vt ipsum cor hominis, quod peccati initium fecit, primò pro peccato dolore vexetur & remordeatur per contritionem, ac deinde ad carnem, cordis in peccando ministram & adminiculam, pœna transeat per Satisfactionem. Vnde verò Contritio in corde peccatoris hauriri & concipi valeat, iam inde demonstrandum.

Multi sunt excitandæ & concipiendæ veræ Contritionis modi, inter quos præcipuus est is, qui provenit ex timore, quem peccatorum nostrorum recordatio, & districti iudicij Dei seria consideratio in nobis gignit, per quem à vanitate peccandi ad iustitiæ obseruantiam incipit conuersio, iuxta illud: Timor Domini initium sapientiæ. A timore enim (Augustino teste) Pœnitentia concipitur: adeò, vt qui sine timore est, iuxta dictum Sapientis, iustificari non possit.

Nemo tamen sic existimet, quasi timor ille seruilis, quo propter sceleratè facta nostra, districtam Dei iustitiam & grauem iram metuimus, veram Contritionem solus absoluat. Cui per seipsum solum adeò nihil in conuersione peccatoris tribui debet, vt eum desperationi, quam conuersioni aptorem esse iudicari oporteat. Nec à malo recessisse putandus est, qui timore prohibitus, malum perpetrare abstinet. Nam qui metu pœnæ non peccat, adhuc eo ipso peccat, quòd peccare vellet, si impunitus posset, & innocentiam coram Deo velle eo amittit: quia desiderio peccat. Per accidens tamen seruilis timor ad Pœnitentiam & conuersionem peccatoris plurimum deseruit. Siquidem ad iustificationem hominis, quam per Pœnitentiam inquirimus, propinquus gradus est, à peccando desistere. Per hunc gradum paulatim subducit hominem timor, qui vitia reprimit, & improbas cupiditates metu futuræ pœnæ restinguit. Quod Sanctus Basilius pulchra admodum tremendi

*Basil. sū-
per Psal.*

33.

tremendi iudicij Dei præmonitione demonstrat, dicens. Quando fortè ad aliquod peccatum te videris paratum, illud horribile Christi iudicium cogita, in quo iudex in alto sedens Tribunali, circumfusos vndiq; populos coram habebit, astabitq; omnis creatura, eius aduentū gloriosum exhorrens, rationem gestorū redditura. Deinde, qui mala in vita admiserunt, tristes & timidi apparebunt, vicinum aspicientes ignem, sæuas flammās respirantem. Deinde Barathrum, & tenebras inaccessas. Et post multa. Postremo omnium durissimam pœnam probrum illud, & vercundiam sempiternam. Hęc tu timebis, hoc demum timore institutus, quodam quasi fræno tuam cohibebis à prauis concupiscentijs animam.

August. de pœn. med. c. 2.
Non dissimili Iudicij Extremi apparatu, Diuus Augustinus ad peccati horrorem & detestationem nos inducere tentat. Ascendat, inquit, homo aduersus se Tribunal mitis suæ, si timer illud, quod oportet nos exhiberi ante Tribunal Christi, vt illic recipiat vnusquisque, quod per corpus gessit, siue bonum siue malum. Atque ita constituto in corde iudicio, absit accusatrix cogitatio, testis cōscientiæ, carnifex timor, inde quidem sanguis animi contentis per lachrimas profluat.

Ex his apparet, timorem seruilem, qui ex peccatorum consyderatione concipitur, Pœnitentiæ & Contritionis excitandæ vtilem ministrum esse.

Tertull. de pœn.
In consyderatione verò peccati, homo Dei præcepta in consilium adhibeat, vt sciat omnia ista in peccato deputare, à quibus eum per legis præcepta Deus arcet. Nec minus circa animi quàm corporis delicta, Dei iram exhorrescat. Cum enim ex corpore & anima homo cōstet: quorum illud Deus manu sua condidit ex limo: hanc afflatu suo inspirauit, ideoq; vtraq; res Dei est, quæ ambæ vnum hominem faciunt. Quodcumq; corū deliquerit, scias ex æquo Deū offendi. Tuum est peccatū, siue corpus tuum, siue anima tua peccauerit, vtriusq; peccato Deus æquè offenditur, qui vtrunq; fecit. Et vtriusq; delictū pari pœna diluc.

luendum est, siue pro eo tu tibi vltro pœnam irrogaueris, vt Deus parcat: siue tibi indulgendo Deum in vltionem tuam excitaueris.

Interim autem, dū seruilis timor, inter examen grauissimorum peccatorum, miserā hominis cōscientiā pauore æterni ignis flagellat, mens mœrorem cōcipit, & peccata sua, vt quæ ei tanti mœroris causa sunt, incipit detestari. Et iam, procul dubio, incipit tanti mali remedia circūspicere, & (cum quisq; natura perditionem sui abominetur) incipit ex his malis liberari velle, & auxilium desiderare.

Hic iam succedat viuida illa fides, quæ mentē peccatoris in Dei misericordiam dirigat, & quæ ex multiplicibus Dei promissionibus, anxietate peccatoris cōscientiæ persuadeat, Deum nequaquam mortem peccatoris velle: sed vt conuertatur & viuat. Si timor cōscientiam tuam desperatione exagitare contendat, quæritans. Tu canis horribilis oculis Dei, toties reuersus ad vomitum, quò te vertes? Respōdeat tibi fides tua. Quò te vertes, nisi ad misericordiā eius pœnitēdo, cuius potestatem offendisti peccando? Nemo enim rectè fugit à Deo, nisi ad Deū, videlicet ab eius iustitia & seueritate, ad bonitatem ipsius & misericordiā. Nisi enim Deū fugiens, ad Deum fugeris, nusquam eū effugies, qui quocumq; te vertes, illic adest. Si fugis, nolēs accedere ad veniam, ipse te comprehendet, & retrahet ad pœnam. Accipe ergò pro timore fiducia, & ad Thronum gratiæ eius adproxima, vt misericordiam cōsequaris. De Dei Bonitate miserum & stultū est desperare. Nam ob hanc causam tibi vitā istā hucusq; protraxit Deus, vt sua patientia te expectaret ad veniā, qui nisi misereri & sanare vellet, hanc vitā tibi nunc, cū eū offenderes, statim abrupisset.

Sic pro delictis suis trepidum peccatorem, & grauiter dolentem, ac Dei misericordiam, quem peccato irritauit, magna Contritione interpellantem: Deus, qui diues est in misericordia, & multus ad ignoscendum, de proximo aspicit, secundum quod scriptum est. Iuxta est Dominus his, qui obtriuerunt cor, eumque benignè suscipit, & gratiam

Exec. 18. Prou. 26 2. Pet. 2.

Psal. 33.

ei infundit, qua imbutus, peccata sua incipit vehementer odisse, sed iam non tam ex metu pœnæ, quam ex amore Dei & iustitiæ: pergitque dolore, non iam ob id solum, quia pœnam peccando meruit, sed quia misericordem, & bonam Patrem Deum offendit: sicq; paulatim succrescens in eo charitas, timorem illum seruilem abijcit & expellit, alium inducens timorem, sanctum, permanentem in seculum seculi. filialem videlicet, quo Deum homo iam vt Patrem veretur, nolens offendere, quem post tanta bonitati & misericordiæ beneficia meritò amat & diligit.

Atque hoc interest inter timorem illum seruilem, & hunc filialem, quod primus timor indignâ causam habet: quippe, quem metus generat, nec amare Deum potest, quem vt punitorem exhorrescit. Alter vero filialis, nobilem ducens originem, ex charitate prouenit post gustatam Dei Bonitatem, & non ideo timet Deum, ne puniat: sed ideo reueretur, ne is, quem amat, nouo offensus delicto, deserat & discedat. Talem timorem perfecta charitas nõ eijcit, sed inducit & gignit.

Aug. sup.
per Epist.
Io. Tract.
10. 9.
Psal. 127.
Greg. mo.
14. lib. 13
cap. 12.

Hos duos timores Beatus Augustinus exemplo duarum mulierum, Adulteræ & castæ, designat. Gregorius vxoris virum amantis, & ancillæ. Adultera sic virum timet, vt odio eum habeat: quia cupiditatibus ipsius obfistit, alioqui in alienos amplexus promptissima veniret, nisi iram viri timeret & verbera. Ancilla Dominum metuit, & odit præsentem suæ operæ inspectorem: timens, ne quid in ipsa reprehendat & puniat. Vxor autè casta, virum suum timet, obseruans diligenter, ne quo facto dictæ animam eius offendant, ne offensus à se discedat, cuius præsentiam semper desiderat, cuius iucundo & læto amore mirifice delectatur.

Vides ergò, quæ sint seruilis timoris in excitanda Contritione partes: quomodo à timore vera Contritio ritè sumat initium? Ex eo enim, quo quis mala sua timet, incipit ea corrigere, & meliora desiderare. Et (cùm aliunde falsus non appareat) necessitate compulsus, incipit ad Deum pro delictorum suorum remissione clamare. Et sic seruilis timor,

timor,

timor, post peccati detestationem, per Dei misericordiam introducit in cor hominis charitatem, & ipse timor iam non amplius manet, sed recedit adueniente charitate. Nõ aliter, quam seta linum inducit in corium, & ipsa, vt linum introire possit, necessario exit. Et sic quidè seruilis timor, Exempla sunt Augustini. Ex peccatorum recordatione exoricens, peccata nequaqua sanat, sed magis exasperat, & acerbius dolere facit: sanatis tamen per misericordiam Dei querendæ, & per charitatem perficiendæ, ipse initium præstat. Quemadmodum ferrum medici, dum putrem carnem de vulnere excecat, vulnus non sanat, sed amplius facit, & cruciatum auget. Interim tamen medicaminibus locum aperit, vt per ea sanitas vulneris reparetur, & dolor omnis sedetur.

Hunc Contritionis excitandæ & concipiendæ modum, ubiq; sanctorum Patrum sententiæ monstrant, & scripturæ sacræ testimonia manifestè approbant. Tertullianus *Tertull.* timorem Poenitentiae instrumētum appellat, sine quo im- *de pœn.* pleri Poenitentia nequaquam possit. Basilius timorem Pæ- *Basil. su-* dagogum ad pietatem & Isagogicum nominat, à quo in- *per psal-* structos charitas suscipiens perficere solet. Nec abudit ab *mo. 32.* illorum sententia, quod Chrysostomus dixit. Compendiosam ad veniam viam esse, peccatorum suorum scditatem & magnitudinem diligenter intueri. Et. Maximè esse peccatorum remedium, continuam eorum memoriam. Idem verò Basilius in Regulis Monachorum cap. 50. eundem Poenitentiae modum multis verbis explicat. Beatus Cyprianus ad seriam peccatorum consyderationem exhortans. *cyprian.* Vos fratres, inquit, quorum timor in Deum pronus est, pœ- *de lapsis* nitentes ac dolentes peccata vestra perspicite, & grauissimum conscientiae crimen agnoscite: ad intelligentiam delicti vestri oculos cordis aperite, nec desperantes misericordiam Domini, nec tamen iam veniam vendicantes. Fecit hoc idem Ezechias, dicens. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Beatus Augustinus *Augusti-* compunctionem definit esse, quando consyderatione *de Spiritu* malorum suorum cor interno dolore tangitur. Et idem. *de anima* Bonus est, inquit, iste timor, licet insufficientis, per quem *cap. 50.* paulatim fit consuetudo iustitiæ.

Z Eodem

- Eodem scripturæ testimonia tēdunt: statim enim ab in-
 titio tentauit Deus hominem à peccando, pœnarum timor
 abducere, interminans mortem primis parētibus, si de po-
Gen. 2. mo vetito gustauerint. Nec est quicquam tritū magis, te-
 passim obuium inuenire in omnibus Moyfi ac Prophe-
 rum scriptis, quàm quòd ubiq; transgressoribus pœnæ de-
 cernuntur. In nouo verò Testamento, Ioannes Baptis-
Matt. 3. tæ pœnitentiæ annūciator, ab incutiēdo timore sumpsit
 prædicationis exordia. Progenies viperarum, quis vos de-
 cuit fugere à ventura ira! Iam securis ad radicem arboris
 posita est, omnis arbor, quæ non fert fructum bonum, ce-
 cidetur, & in ignem mittetur. Sequitur eundem ordinem
Luc. 13. Christus. Nisi Pœnitentiam egeritis, simul omnes peni-
Mat. 10. tis. Et. Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam
 tem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui po-
 test corpus & animam perdere in gehennam ignis. Et
Matt. 5. hoc timore corda hominum alligaret, non cessauit ubiq;
 inculcare gehennæ incendium, ignem æternum, tenebras
Mat. 25. exterioris, sletum & stridorem dentium, aliaq; similia, quæ
 horrorem inferunt mentibus humanis, & sollicitudines
Matt. 22. eis iniiciunt, aut prorsus cauendi mala, si possent, aut tamen
 non cauerint, per Pœnitentiam rursus diluendi, ne miser
 eos diuinæ comprehendant.

Eisdem ergò vestigijs Concionatores sibi quoq; nota-
 rint insistendū, vt feueris cōminationibus è scriptura de-
 sumptis, à peccando homines arceant, æterni ignis sup-
 plicia transgressoribus ob oculos ponētes: iustis verò æterni
 vitæ præmia pollicētes, vt sic eos (cū sibi ipsi propter pe-
 catorum suorum agnitam fœditatem viluerint) paulatim
 per timorē Dei ad misericordiæ eius fiduciam subducant.

Hunc veræ Contritionis modum, concordēs Orthodoxo-
 rum Patrum sententiæ, sacræ scripturæ authoritate subor-
 dinate, veluti præcipuum tradunt. Interim tamē nemo nega-
 quin ad cordis Contritionem alia via alij peruenire so-
 leant. Cū enim hominis conuersio, Dei donum sit: nihil
 prohibet, Deū opus suum ex quacunq; causa, & quocunq;
 modo in homine, auspiciari & perficere.

Reuocatur ergò quidam ad sui cognitionem, & conuer-
 sionem ad Deum, ex inspiratione diuina bonos motus &
 ad æterna sollicitantes, ipsis immitente. Alij vel monitis
 vel exemplis iustorum. Alij necessitate ad conuersionem
 adiguntur, dum ingruentibus aduersitatibus compulsi cō-
 punguntur, & ad Deum se conuertūt, quem in rerum pro-
 speritate sequi contempserant, iuxta illud. Clamauerunt *Psal. 106.*
 ad Dominum cū tribularētur, & exaudiuit eos, & de ne-
 cessitatibus eorū liberauit eos. Quidam verò, dū immen-
 sam Dei Bonitatē intuetur, qua nos condidit, cū non esse-
 mus: & cū perijssimus, nos redemit, redemptosq; cōseruat
 & tuetur, & erga hæc omnia suam ingratitude & indi-
 gnitatem considerantes ingemiscunt, tundentes pectora
 sua, abhinc totos sese ad amandū & colendum tam miseri-
 cordem Patrem, & beneficium Dominū conuertūt. Sic in-
 uentus est, qui visa deformi bestiola, statim in vberes la-
 chrymas solutus est, gratias agens Deo, quòd se hominem
 erectum in cœlum, & rationis capacem, non autē tam de-
 formem bestiolam condidisset. Nec dubitandum est, hunc
 Contritionis modum (si cui ex Dei misericordie donetur)
 optimum ac perfectissimum esse, quæ charitas inchoat &
 perficit, atq; vtinā tales oēs essemus per gratiam Dei, vt
 amor potius, quā timor nos alligaret, & illud sanctissimæ
 cuiusdam animæ votū, omniū corda verissimè eructarent,
 quæ Deum deprecās, ait. Da optime & sanctissime Deus,
 vt si etiam damner, tamen in æternū te diligere valeam.
 Sed illū alium Cōtritionis modū, qui ex timore est, magis
 cōem facit nostra peruersitas, qui vix aliter, quàm malis
 emendatur. Sicut hi, qui rebus secundis incrassati, recal-
 citrabant: cū verò occideret eos Dominus, quærebant
 eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum. *Deut. 32. Psal. 77.*

Hic verò admonendi sunt homines, ne conuersionem à
 peccatis de suis viribus præsumant, sed à Deo precibus,
 lachrymis, totiusq; pietatis exercitijs expectāt, oblatamq;
 totam Deo ferāt acceptā, ex quo omnis est sufficiētia no-
 stra, qui & velle in nobis operatur & perficere. Et sine quo
 sufficientes nō sumus, vel cogitare aliquid ex nobis, quasi
 ex nobis. Nec est in re satis manifesta diuini immorādū. *2. Cor. 2. Phil. 3.*

Hominis enim fragilitatem per se, sine Dei auxilio, ad Pœnitentiam conuerti non posse, Prophetice orationes satis declarant, quibus pro conuersione sua clamant.

Tren. 5. Dominum. Conuerte nos Domine, & conuertemur. *Psal. 84.* uerte nos Deus salutaris noster. Deus virtutum conuerte nos. Et Hieremias idem testatur, dicens. Postquam con-

Hier. 31. uertisti me, egi Pœnitentiam. Per conuersionem a peccatis peruenitur ad Christum, ad quem nemo venit, nisi per te traxerit eum: sicut & Petrus non prius negationem suam dolere, & amarissimis fletibus restringere coepit, quam illum Christus respexisset. Et Apostolus aperte indicat neminem agere Pœnitentiam, nisi quem Deus illuminauerit, & gratuita misericordia sua conuerterit, dicens. Ne fortè det illis Deus Pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, vt respiscant à Liaboli laqueis, 2. Timo. 2.

Ioan. 6. Firmissime autem tenendum est, Benignum & liberum Deum, nulli homini, quantumuis malo & peruerso, gratiam suam subtrahere. Qui iuxta Ioannis testimonium litat singulorum ostia, & pulsatos ad se, vt etiam auersos à se, retro sequatur, & ad gratiam suscipiendam amanter inuet. Si dimiserit vir uxorem (inquit Propheta) & illa reuertens duxerit virum alium: nunquid reuertetur ad eum? tra: nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu verò fornicata es cum amatoribus multis, tamen si me reuertere, dicit Dominus. Et in Ezechiele post peccatores clamans Deus. Quare, inquit, moriemini? nunquid meæ voluntatis est mors impij, & non magis vt conuertatur, & uiuat? Reuertimini, & uiuite.

Hier. 3. Firmissime autem tenendum est, Benignum & liberum Deum, nulli homini, quantumuis malo & peruerso, gratiam suam subtrahere. Qui iuxta Ioannis testimonium litat singulorum ostia, & pulsatos ad se, vt etiam auersos à se, retro sequatur, & ad gratiam suscipiendam amanter inuet. Si dimiserit vir uxorem (inquit Propheta) & illa reuertens duxerit virum alium: nunquid reuertetur ad eum? tra: nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu verò fornicata es cum amatoribus multis, tamen si me reuertere, dicit Dominus. Et in Ezechiele post peccatores clamans Deus. Quare, inquit, moriemini? nunquid meæ voluntatis est mors impij, & non magis vt conuertatur, & uiuat? Reuertimini, & uiuite.

Ezech. 18
C. 33. Vbi duo nobis consideranda veniunt. Vnum, Si quis in conuersione nostrum est, id solum est, quod oblatum Dei gratiam non repellimus, sed vocanti Domino præbeimus assensum. Qui assensus noster, cum admodum sit inbecillis, nequaquam conuersionem meretur: sed admittit solum, & suscipit. Itaq; hoc necessario relinquatur, vt tota conuersionem nostram in Deum referamus, gratias agentes illi, qui in nobis & velle operatur & perficere. Alterum est, vt cogitemus, quam impudenter scelerati & impij ho-

mines malitiam suam in Deum velut authorem reijcientes, quod conuerti non possint, infirmitatem suam excusent, cum vtique ne mo rectè infirmitatem suam præterderit, cui vbiq; præfens adest Dei gratuitum auxilium.

Post hæc omnia, iam non est difficile, quæ ad plenam & veram cordis Contritionem requirantur, dispicere. Principio enim inualida & noxia est Contritio, quæ in solo timore subsistit: quæ vt vera reddatur, eò vsq; progredi debet, donec iam fide, spe, & charitate fulciatur, vt iam non tam doleat peccator, quod pernam meruit, quam quod Deum offendit. Nec solum ex peccatorum suorum conscientia timorem colligat, sed ex Bonitate Dei & misericordia fiduciam capiat. Non enim rectè agitur Pœnitentia, nisi etiam indulgentia speretur. Placent enim Domino timentes eius, & qui sperant super misericordia eius. *Psal. 146*

Rursus illa quorundam facilitas vel maxime culpanda est, peccata sua post paruulum Contritionis momentum, rursus à memoria dimittentium, cum vtique non sufficiat ad perfectionem, destitisse à peccatis pristinis: sed oportet etiam de his peccatis, quorum culpa nobis per Dei misericordiam remissa est, subinde tamen pœnam à nobis ipsis exigere, eaq; per Pœnitentiæ dolorem, per humiliationis gemitum, per cordis Contritionem, & dignos Pœnitentiæ fructus, penitus conterere & delere. Non enim hoc solum nobis indicit sacra scriptura, vt post priora peccata non iterum adijciamus peccare: sed vt de præteritis deprecemur Dominum, vt nobis dimittantur. *Eccle. 21.*

Mundam etiam oportet esse Contritionem, vt ne quid de proposito amplius delinquendi cum ea misceat peccator, & ne cum de quibusdam peccatis verè dolet, de alijs tamen retineat voluptatem. Deus enim non suscipit diuisam & dimidiatam Pœnitentiam, qui aut totum remittit, aut nihil, iuxta Apostoli Iacobi sententiam. Si quis totam legem seruauerit, offendat autem in vno: factus est omnium reus. Nullius enim delicti veniam accipit, qui non omnia delicta relinquit: & Irrisor est non pœnitens, qui inter

pœnitendum adhuc vel agit vel præsumit aliquid, Pœnitentia dignum. Et ne parua quidē delicta leuiter transmittat peccator, sed & illa Dei misericordiam deprecando deploret, ne quod minus esse videtur in qualitate delicti, in neglecta satisfactione cumuletur.

Omnes etiam peccati occasiones sibi abscindat, qui verè de commissis dolet.

Deinde feruidam & amaram valde Contritionem suscipiat peccator, perpenſa peccatorum suorum multitudine & grauitate, vt dicat cum Ezechia. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Et cum Dauid. Laboraui in gemitu meo. Miser factus sum vsque in finem. Rugiebam à gemitu cordis mei. Et ne quis foris humanarum cōstitutionum seueritatem in hoc inerepet, quasi nimiam illæ de peccatis animi acerbitatē, & externam corporis afflictionem, exigant: hic Deū audiatur, acerbam valde & laboriosam Pœnitentiā exigentem. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, in fletu, & planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.

Ergo qui pœnitet, & tota mente ad Dominum conuertatur, & Pœnitentiā criminum suorum veris doloribus exprimens, Dei misericordiam deprecetur: illi se animi prosternat: illi merita satisfaciatur: illi spes ois incumbat.

Tantum autem Pœnitentiæ luctum his temporibus, in quibus pietas penè omnis ad ruinam inclinatur, rarus admodum inter homines inuenias: sed cum profusus in dissuetudinem animorum nostrorum peruerſitas adduxerit, qui si quid ex his diuitijs fortunæ casu perdimus, si quæ de charis nostris mortalitatis exitu amittimus, ilicò vberes lachrymas fundimus: facie tristi & nubila, ac circæ totum corporis habitum negligentes & inculti, indicia morris nostri promimus. Cùm verò animam nostram peccatis nostris occidimus, & in æternos cruciatus perdimimus (heu malum) lachrymas pro remedio non assumimus.

Postre-

Postremò, qui delictorum suorum veniam cordis gemitu apud Deum ambiunt, ipsi quoque ex corde remittant omnem iniuriam & offensam proximis suis. Nisi enim dimiseritis hominibus (ait Christus) nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra.

DE CONFESSIOE.

Equitur Confessio, altera Pœnitentiæ pars. Cuius nominis duplex vsurpatio in sacris literis inuenitur. Aut enim in laude est Confessio sicut est illud. Cōfiteor tibi Pater Domine cœli & terræ: quia hæc abscondisti à

sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Aut Confessio est, dū quisque peccata sua confitetur, vt veniam præstet eis, cuius indeficiens est misericordia, de qua similiter Euangelicæ literæ meminerunt. Baptizabantur à Ioanne in Iordane confitentes peccata sua. Hæc posterior Confessio, non solum agnitionem peccatorum significat (siue generalis sit illa agnitio, qua nos à peccatis non immunes agnoscimus, admonente Ioanne Apostolo. Si dixerimus nos, peccatum non habere, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est: siue specialis & determinata sit agnitio, vt certis quibusdam delictis sese occupatum homo profiteatur) immò magis vera Confessio in hoc consistit, vt quisque peccata sua sub cognitione seu æstimatione peccati, agnoscat & confiteatur, hoc est, vt ea quæ gessit, non solum se gessisse non neget: sed eadem facta sua quæ gessit, sub peccati intelligentia & cognitione, tanquam iniusta & mala, nō sine animi dolore agnoscat, confiteatur, & damnet. Multi enim quæ nequiter ad miserunt, non negant nec dissimulant, quos tamen nemo recedè dixerit confiteri: Quippe, qui ita scelerum suorum memoriam recedent, vt de his nec erubescant, nec doleant, sed iactent potius, & expugnatam à se alienam pudicitiam aut oppressam iustitiam, aliisque à se commissa flagitia, gloriantur & in laude sibi ducant.

Istam autem veram & seriā peccati Confessionem duplicem sacræ literæ docent. Vnam, quæ Deo fit: alteram,

Z iij quæ,

quæ fit homini. Quæ Deo offertur Confessio, interna, seu cordis Confessio dicitur, quòd intra cordis secreta, sola cogitatione ritè expediri queat. Tamen si verè confitentes Deo, plarunq; intimo animi ardore successi, leguntur Confessionem suam ore peregisse. Sæpe etiam Deus laborauit, vt in vocem produceret Confessionem criminis, interrogans. Adam vbies? Et ad Cain. Vbi est Abel frater tuus? Semperq; graue piaculum est habitum, vocalè Confessionem Deo exigenti non reddere.

Est autem Confessio coram Deo, qua quis præterita vitæ suæ actus secum reminiscens, ea quæ impiè, malitiosè, cõtra Deum, vel cogitatione, vel verbo, vel opere perpetravit non sine acerbò animi dolore damnat & detestatur, deq; iis apud misericordem Patrem contra seipsum queritur, à Deo veniam & consolationem votis animi exquirens, cum proposito similia non iterum perpetrandi.

Hæc Confessio adeo naturæ nostræ conueniens est, vt etiam gentium animis inditam videamus. Passim enim etiam gentes abominationem vitiorum, & contrariæ virtutis amorem, naturali quodam motu conceptum, inter se tenent: quo instigante, de multis factis suis Pœnitentiam & pudorem adiungunt, suaq; ipsorum facta in seipsis cum odio & animi dolore reprehendunt. Itaq; inter omnia bona, quæ à Diis immortalibus homini optanda existimauerunt, velut præcipuum numerant, Animum rectè sibi conscium. Rursus inter acerbissimas pœnas deputant, Vltricem conscientiam, cum animus hominis malè sibi conscius, inhonestè factorum recordatione seipsum arrodit. Qui etiã seueram cœlestis Iudicis pœnam, quam sceleribus eorum irrogabit, distante sua ipsorum conscientia, iuste sibi accidere cognoscent, iuxta illud Apostoli. Gentes, quæ legem nõ habent, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimoniũ red dente illis conscientia ipsorum, & inter se cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, in die cum iudicabit Deus occulta hominum per Iesum Christum.

Inutilis

Inutilis tamen est omnis illa infidelium Confessio aut detestatio peccati, qua solam peccati turpitudinem naturali animi motu detestantur, & peccatum oderunt ob id, quòd aut gloriam temporalem obscuret, aut pœnam damnò inferat, nullo diuinæ Maiestatis, quam offenderunt habito respectu. Talem peccati agnitionem, Deus nec curat, nec amat: sed illã potius exigit, qua homo de offensa Dei sollicitus, super peccato suo, vero cordis dolore angitur, & propositum vitæ melioris concipiens, ex animi errore ad Deum pro indulgentia & admissorum condonatione suspirat.

Semper autem apud pios homines, & Deum timentes, huius internæ Confessionis vsus ita inualuit, vt eam non vtilem solùm, sed ad salutem omnino necessariam merito quis existimet. Sic Deus ab initio cordis Confessionem super admissis peccatis, semper ac passim exegit, vt per omnes legis ac Prophetarum scripturas discurrrens, nunquam inuenias, alicui peccatum sine Cõfessione dimissum esse. Mox verò, vt hi, qui in aliquod peccatũ pro lapsi erant, humilem cordis Confessionem Deo obtulerunt, tam paratum ad ignoscendum inuenerunt Deum, vt suã miseratione Confessione ipsorum penè præueniret, & máxima plurimãq; eorum crimina celeri indulgentia aboleret.

Vis videre Deum, ante Confessionem non rem itentem peccata hominum? Tabescit, inquit, in iniquitatibus suis in terra inimicorum suorum, donec confiteantur iniquitates suas, & malorum suorum recordentur. Eadem de causa, Deus primos homines ad delicti sui Confessionem interrogatione urgebat. Adam vbi es? quos ad excusandum quàm confitendum priores auersatus Paradiso expulit, & cum tota posteritate grauius afflixit. Cain parricidium suum impudenti negatione obuolare conantem dedignatus Dominus grauius increpitum extorrem egit super faciem terræ. Israëlitas sub lege delinquentes (iam non contentus sola cordis Confessione) per sacrificiorum genera Dñs ad peccati Confessionem compulsi, singulis delictorũ speciebus proprias expiãdi hostias destinãs, vt visa oblatione, sacerdos mox peccati genus agnosceret,

Rursus

Gene. 3.
Gene. 4.

Gene. 3.

Gene 4.

Leui. 4-5
6.

Rom. 2.

Psal. 31. Rursus confitentibus peccata sua, semper facilius ad ignoscendum se præbuit Deus. Vnde Dauid testatur. *Ps. xi.* Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domine, & tu remisisti impietatem peccati mei.

Huius diuinæ voluntatis conscij homines Dei, tam pro suis quam populi sui delictis in exomologesi coram Deo certatim sese prostrauerunt, multo periculosius ac magis inuisum Deo existimantes, delicta non deslere & confiteri, quam ea deliquisse. Sic Neemias, sic Daniël, sic tres illi nobiles & innocetes pueri, sua, patrumque suorum, ac populi sui peccata coram Deo profitentes, misericordiam eius humilitate Confessionis prouocabant. Nec solum simplicibus istis & innocentibus propter Confessionem propitiatus est Deus: sed nocentissimos etiam & sceleratissimos, exomologesi illorum delectatus absoluit. Sic enim Manasses, post nefandas Idololatrias, & immanissima scelera, Domino propter Confessionem ipsius ignoscen-
2. Par. 33. te, in Regnum rediit. Sic Dauid adulterij & homicidij reus, tantorum criminum indulgentiam à Deo postulare ausus est, nullam aliam pro promerenda Dei Maiestate causam allegans, præter delictorum Confessionem. Miserere mei Deus, inquit, & à peccato meo munda me: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.

Ad istam etiam cordis Confessionem, tanquam remediū peccatorū saluberrimū, passim sacræ literæ adhortantur. Ne confundaris confiteri peccata tua. Non demeris in errore impiorū, ante mortē cōfiteri: à mortuo enim quasi nihil perit Confessio. Qui abscondit scelera sua, non dirigitur: qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiā consequetur. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & iustus, ut nobis dimittat peccata nostra.

Hoc autem non est ignorandum, sic Deum peccati Confessionem ab homine requirere, non solum ut homo velut ignorantia Deo aperiat & renarret, quæ gessit. Nihil enim ignorat Deus, qui non facta solum nostra cernit, sed

& cogitata & cogitanda perspicit. Nec illa est Confessio dicenda, si quis non neget, quod admiserit: velut si fur de furto, & adulter de libidine, interrogatus: non neget. Sed vera peccati Confessio illa est, peccatum sub peccati cognitione agnoscere. Nā qui in aliquo delinquit, aut fructu oblectatiōis, aut iudicio bonæ de eo opiniois illud pertrat. Itaq; tūc peccatū suū Deo confitetur, nō cū renarrat Deo quod fecit (isto enim non indiget Deus, qui videbat cū fieret) sed cū peccatum suum sub ratione & cognitione peccati coram Deo profert, id est, cum ex eo oblectationem seu boni opinionem abiicit, & id quo prius delectabatur, iam ut amarum iudicat & detestatur: & quod prius bonum opinabatur, nunc vere malum & perniciosum sibi agnoscit: & quod lucrum videbatur, nūc ut detrimentum exhorret. Deinceps verò, quod sic peccatum esse agnouerit, non iterum committat. Confessio enim peccati, professio est desinendi.

Sunt etiam aliæ multæ utilitates in Cōfessione peccatorum, ob quas Deus, quem nihil latet, tamen admissorum Confessionē à nobis exigit, volens nos singillatim omnia delicta nostra recensere, ut per id in clariorem delictorum nostrorum cognitionem deuenientes, quantum nobis debitum remittatur, agnoscamus. Ideo autem vult nos criminum nostrorum magnitudinem scire, ut gratiæ ipsius in condonatione nostrorum peccatorum eminentiam perspiciamus, & post tantam Dei bonitatem nobis ostensam ad peccandum tardiores, ad gratias verò agendas alacriores & promptiores euadamus. Nemo enim diuinæ miserationis gratiam rectè aestimare potest, qui criminum suorum multitudinem non perpendit.

Deinde etiam ob id Confessionem nostram quærit Deus, ut nostro ipsorum testimonio agnoscamus, malitiæ nostræ nos ipsos auctores esse. Nam hoc omni crimine grauius est, quòd quidam ad Deum referunt, si quid peccauerunt, & rearus proprij turpitudinem in omnibus bonitatis

Philip. 3.

Chrysof. de Laxa. ro.

Ambro.

de Cain et Abel lib. 2. c. 9

tatis & innocentie authorem respurgunt.

Sed & Diabolo vult Deus os occludere, ne amplius iniustitiae pretextu ad poenam nos exposcere audeat ob delicta, quae per confessionis humilitatem mihi Domino satisfacientes, deleuerimus. Deus enim, qui delinquentibus iuste irascebatur, & poenas intentabat, non fit iniustus, sed misericors, cum postea humiliatis & confitentibus parcat.

In hac interna Confessione tradenda, longiore oratione vtendum fuit, non quod eam, tanquam dubiam & controuersam, stabiliri necesse sit: sed vt hominibus magis commendaretur, à quibus nunc velut res ipanis periculosè negligitur, quam oportebat esse frequentissimam. Nimirum nos, qui Dei populus esse volumus, Domini nostri voluntatem turpiter ignoramus, & saluberrimum delictorum remedium periculosè contemnimus: non attendentes, Deum peccatis sine cordis Confessione omnino non ignoscere. Grauisimum est ergo, quod in omnes vitiorum formas velut laxatis habenis irruimus: sed ecce periculum maius & perniciosius multo. Deliquisse videlicet, & delictorum Confessionem non suscipere. Non statim damnat hominem peccasse, alioqui simul omnibus pereundum esset: sed peccata nolle confiteri, haec vero praesens est perniciès & certissima damnatio.

Inter alias collapsae disciplinae Ecclesiasticae ruinas, penè suppressa iacet salutaris illa Ecclesiae Confessio, quam auricularem vocant, & rara admodum apud paucissimos conspicitur. Sed nec illa quicquam prodest, nisi ubi haec interna cordis ad Deum Confessio praecesserit. Deus est enim, qui in ministerio Sacerdotum remittit peccata confitentium. Ergo stultè & inaniter salutem sperant, quicumque hanc coram Deo Confessionem, vel ignoratam vel contemptam omiserint. Quae cum his temporibus profusus intercederit, ideo manent in nobis peccata nostra, quae seuera & iusta Dei ira, tot tantisque malis (quae vindi-

vndique nobis incumbunt) contra nos quotidie vindicat: nec auerteretur à vindicandis peccatis nostris iusta Dei ira, nisi prius nos ea agnoscentes & confitentes, veniam ab ipso postulauerimus.

Nonne videmus sanctos, mites, & innocentes homines, licet bene sibi conscios, coram Deo tamen exomologesim dolenter facientes? Nobis, qui Deum nulla interposita peccandi mora offendimus, graue non sit, vel saltem diebus festiuis & Dominicis, actus nostros in memoriam reuocare, & pro commissis nostris Domini misericordiam confitendo ac dolendo deprecari, donec tempore opportuno, coram Ecclesiae ministro, conscientiam nostram omni peccatorum sarcina per Confessionem Ecclesiasticam exonerantes, iuxta Domini ordinationem per ministerium Sacerdotis & Dei gratiam, plenam delictorum nostrorum indulgentiam consequamur.

Dan. 3. 9

DE CONFESIONE, CORAM

homine facienda.

Aluberrimam & vtilissimam confitendi rationem, qua Deo cordis nostri secreta nunquam incognita, per humilitatem pandimus, & conscientiae reatum coram illo spe veniae dolenter conquerimur, dicendo absoluiamus.

S

Restat, vt Confessionem, quae secundum Deum homini fit, non minus ad salutem nostram necessariam discamus. Non autem vno modo coram homine delicta nostra confitemur. Vna enim coram homine Confessio est, cum quis coram eo, in quem deliquit, peccatum suum agnoscit, & vt offensam sibi remittat, deprecatur. Quam nobis Dominus praecipiens, ait. Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersus te, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Haec

missi

- Matt. 5.* mutua inter fratres reconciliatio & condonatio, tam est necessaria, vt sine illa frustra delictorū nostrorū veniam à Deo speremus. Nisi enim hominibus dimiserimus peccata eorum, nec Pater noster cœlestis dimittet nobis delicta nostra. Remittentibus verò nobis offensam proximis nostris, vicissim promptus est Pater noster cœlestis, & nobis condonare peccata nostra.
- Matt. 6.*

Matt. 13 Est alia valde vtilis coram homine Confessio, qua quis correptus à fratre, culpam suam confitetur & emendat. Quam nos ab inuicem exigere Christus præcepit dicens. Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum, inter te & ipsum solum. Quæ nisi & ipsa remissionem peccatorum apud Deum impetraret, non addidisset Dominus. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

Hæc tamen Confessio, ad priuatam offensam magis referenda est: nec extendi debet ad grauiora illa peccata, de quibus Apostolus. Quoniam qui talia agunt, regnum Dei possidere non possunt. Talia enim peccata, illa Pœnitentiæ humilitate, quæ in Ecclesia datur, sananda sunt.

Aliter homini confitentur, qui in via salutis amplius erudiri cupientes, aliis piis & sapientibus viris suam insufficientiam aperiunt, & defectus suos ipsis confitentibus consiliis eorum emendari & adiuuari postulant.

CONFESSIO SACRAMENTALIS.

Ed illa, de qua præsens negocium suscipitur, Confessio Sacramentalis est, qua coram Ecclesiæ Sacerdotibus conscientiam nostram detegimus, & nostra ipsis peccata recensemus: submittenes nos, Dei vice, ipsorum arbitrio, quibus Christus, sicut reliquorum Sacramentorum dispensationem, ad Ecclesiæ suæ ædificationem & vtilitatem commisit: ita etiam remittendi & retinendi pecca-

ta potestatem tradidit. Hæc Confessio publica est & priuata. Publica, quando pœnitentes crimina sua coram omni multiudine Ecclesiæ proferentes, veniam eorum per Pœnitentiæ remedia postulant. Priuata verò, cum clanculum in aurem Sacerdotis conscientię nostræ secreta, remotis arbitris, infundimus.

De priuata igitur Confessione (quam alij vulgato nomine Auricularem vocant, nos Ecclesiasticam & Sacramentalem appellamus) iam non illud in controuersiam adducitur, sit ne vtilis illa Ecclesiastica Confessio, quam omnium sententiæ (etiam eorum, qui alioqui disciplinam Ecclesiæ nimis audenter conuellunt) vtilissimam & saluberrimam pronunciant: sed hoc inquirendum potius, an ad Confessionem, cum enumeratione eorum peccatorum, quæ memoriam non subterfugiunt, coram Sacerdote faciendam, salutis nostræ necessitas, & diuinum mandatum nos urgeant: de qua re his temporibus alij aliter sentiunt. Vetus Orthodoxorum sententia, & vnanimis totius Ecclesiæ consensus, Confessionis huius, qua Sacerdoti peccata nostra retegimus, institutionem ad Christum refert, eiusque faciendæ, pro remissione peccatorum consequenda, necessitatem nobis à Christo impositam, asseuerare nõ dubitat. Atq; hæc sententia primo luculentis sacræ scripturæ testimoniis, hinc concordia omnium veterum Orthodoxorum Patrum consensu stabilitur & confirmatur.

Christus Dominus & Saluator noster, à Patre missus in hunc mundum, vt hominem Diaboli inuidia Paradiso extorrem factum, & in æternam damnationem præcipitatum, liberaret, & regni cœlestis illi reseraret aditum: factus Patri obediens, seipsum in Ara crucis pro peccatis generis humani hostiam obtulit, & sacri sanguinis sui effusione, vt Apostolus ait, æternam redemptionem inuenit, hoc est, omnibus seculis duraturam pro omnium peccatis expiationem sufficientem absoluit.

Hanc

Hanc autem Christi sanguine comparatam redēptionem Deus in medio posuit, volens quidem omnes homines de illa participare & saluos fieri: attamen soli hi, qui Christum fide apprehendunt, de eius redemptione participāt. Et ne hi quidem nuda fide, Christi in se merita transferunt: sed ita diuinæ visum est Sapientiae, vt saluberrimæ istius oblationis Christi fructus & efficacia, per Sacramenta, quæ Christus Ecclesiae tradidit, quasi per canales quosdam in eos, qui crediderunt, transfunderentur.

Christus itaque, postquam compleuisset omnia, quæ pro redemptione hominum consummāda Prophetae de illo prænuuciauerant: rediurus ad Patrem, ne beneficiorum suorum in terris memoria periret, aut salutaris cessaret dispensatio meritorum suorum, Apostolos eorumque successores, Episcopos & Sacerdotes instituit, qui beneficiorum suorum memoriam inter homines docendo & exhortando conseruarent, & Sacramentorum dispensatione suscepta, per illam eadem Christi beneficia & merita creditibus populis distribuēt, quod Apostolus inueniens, ait. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.

Inter reliqua verò salutis nostræ instrumenta, per quæ Christi merita in nos influunt: qualia sunt, Baptismus, Eucharistia, & cætera Sacramenta, quæ Christus Apostolis, eorumque successoribus, dispensanda commisit, eisdem etiam remittendi & retinendi peccata potestatem tradidit. Cuius rei Beatus Ioānes clarū ferens testimoniū, de Christo post Resurrectionē suam discipulis apparēte, ait. Stās in medio eorum dixit eis. Pax vobis. Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos. Hæc eū dixisset, insuflauit, & dixit eis. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis peccata, retenta sunt.

Vt autem intelligerent homines, quàm seria illa potestas esset, cui se necessariò subdere debent, quicumque remissionem peccatorum suorum accipere, & salutem con-

consequi volunt: idem qui tradidit, potestatem illam clauis Regni cælorum appellauit, dicens Petro. Et tibi dabo clauis Regni cælorum. Et quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis: à re notissima trahens similitudinem, quæ potestatem illam (id est, Sacerdotum in relaxandis peccatis ministerium) hominibus Regnum cælorum introire volentibus, vt salutarem, vtilem, & quodammodo necessariam, commendaret. Qui enim Clauis domus alicuius accepit: is in eam intrare volentes, per vsum Clauium vel admittere, vel ab ingressu arceret potest. Nec quisquam in eam ingreditur, nisi is, qui Clauis tenet, aditum illi reserauerit. Sic est potestas Clauium in manu Sacerdotum, qui ministerio suo regni cælestis introitum hominibus aliis aperiunt, aliis occiudunt, & alios alligant, alios solunt. Eorum autem dispensationem is, qui omnium est dominus, ratam habet, & sua assistentia per gratiam suam reddit efficacem, vt quoscunq; illi ligauerint (iuxta Christi testimonium, qui veritas est infallibilis) ligati sint in cælis: & quos illi soluerint in terris, soluti sint in cælis.

*Vide
Chrysost.
de Sacer-
dotio:*

Nec tamen quisquam existimet, Sacerdotes in relaxandis delictis hominum, ita liberam tenere potestatem, vt pro voto suo quoscunq; soluere aut ligare queant. Imò verò seruos se esse meminerint, & rem alienam sibi creditam dispensare. Itaque in Domini sui voluntatem diligenter intueantur, & in rerum dispensatione non suam, sed eius, à quo misi sunt, voluntatem sibi nouerint esse obseruandam. Huc eos respicere & Christus voluit, eū dixit. Sicut me misit Pater, ita ego mitto vos: qui alio loco de se testatur, dicens. Ego descendi de cælo, non vt facerem voluntatem meam: sed eius, qui misit me Patris. Sic à Christo misi Sacerdotes, in remittendis aut retinendis hominum peccatis non id sequantur, quod ipsi volunt, sed quod Dominum velle cogouerint. Soluant iuxta Domini commissionem, sed solutione dignos, & quos tales cognouerūt, vt credant, eos etiam iustissimum Dominum suum solutos velle. Alligant,

gent, sed reos tantum, & quos ita conueniant, vt eos etiam Domini sententia ligatos esse non dubitent.

Hinc euidenter apparet, Ecclesiæ Ministros hac potestate remittendi aut retinendi peccata, vt nec posse nec debere, nisi prius super his, qui remissionis peccatorum beneficium ab ipsis postulant, arbitros se præbuerint, & de peccatis eorum acriter & cauta disquisitione cognouerint, vtrum ne secundum Domini sui voluntatem solui ligari mereantur: ne dum ministri ipsi delictorum qualitatem ignorant, de iis disponendo, in Domini mandatum peccent, & aut soluant ligandos, aut ligent solutione dignos: contra Domini præceptum interficientes animas, quæ non moriuntur: & viuificantes, quæ nõ viuunt: mentientes & decipientes miseros, qui de tali solutione in vnum fortè auderent confidere.

Ex his autem & illud manifestum euadit, Confessionem coram Sacerdote cum distincta peccatorum enumeratione faciendi necessitatem, nobis à Christo impositam esse. Nam cum nos nostraque peccata Sacerdotum ministerio Christus subiici voluerit: sic tamen, vt pro diuersitate aut remittant peccata, aut retineant. Dicit enim. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Neutram potestatem in nos exercebunt Sacerdotes, nisi prius arbitrium præcesserit, & accuratum iudicium: vt sciant, hac ne illa potestate, retinendi videlicet an remittendi peccata, in nos defungi debeant. Tale autem arbitrium, aut necessariam istam cognitionem, non aliundè, quàm ex recensione peccatorum, haurire poterunt. Quomodo enim ea, quæ tu sine teste gessisti, & quæ mente occultas, Sacerdotes diiudicabunt, vtrum ne remissione an retentione digna sint, nisi tu ea proruleris?

Ipsi certè Sacerdotes, si alienæ potestatis temerarij videntes esse nolunt: continebunt se, nec pro commissa sibi potestate vel soluent vel ligabunt, priusquàm quid soluendum ligandumve sit, diiudicatione præmissa, probè didicerint.

Cum

Cum itaque omnes homines peccatores sint, nec quatenus peccatores sunt, discerni ab inuicem queant, nisi sola discretione, quæ ex diuersa qualitate peccatorum exurgit: quis non videt, pro remissione peccatorum per Ministerium Sacerdotis consequenda, necessarium esse, vt singuli coram eo criminum suorum qualitatè recensendo aperiant, vnde discat Sacerdos, quorum peccata remittere, & quorum retinere debeat, cum vti que par ius ligandi & soluendi à Domino acceperit?

Hic si quis dicere audeat, potestati ligandi materiam non ex occultorum reuelatione querendam esse, sed eam contra publicis criminibus infames esse distringendam: is manifesta ratione redarguitur. Vtraque enim, tam soluendi quàm ligandi potestas, æquè latè extenditur, & tam occulta, quàm ad publica & manifesta crimina pertinet. Generatim enim de omnibus peccatis pronunciauit Christus. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt: nullum ponens discrimen inter ea peccata, quæ in luce, & quæ in occulto fiunt. Quod ita omnino necesse est. Nam cum occulta peccata æquè animam sauciant & occidant, & interdum manifestis non paulò grauiora & periculosiora sint: vti que conuenit, remedium illud æquè ad occulta adhiberi. Sed nemo Sacerdos tam ineptus est, aut temerarius, qui de his quæ ignorat, iudicium sibi ferendum existimet, & occultæ tuæ vel ligare vel soluere audeat, nisi prius per Confessionem te proferente qualia sint, cognouerit.

Atque hanc tam occultorum quàm publicorum peccatorum discretam & exactam discussionem, non solum Sacerdotalis ministerij ratio exigit (quod in soluendo & ligando consistit, quæ duo non nisi criminum diuersitate cognita, à se inuicem discerni possunt) verum etiam consentium vtilitas talem peccatorum recessionem requirit, ad quorum commodum & vtilitatem, non vnam, sed vtranque ex æquo potestatem remittendi & retinendi peccata, Christus instituit. Nã qui retentione dignum peccatum perpetravit, is procul dubio maiore suo comodo ligatur,

AA ij quàm

quàm absoluitur. Siquidem hoc præstat eius alligatio, vt & cæteri eius exemplo à peccando absterreantur, & ipse citius sanetur: ne dum sacratissimis cœnæ Dominicæ mysteriis indignus sese & intemptius ingereret, iudicium sibi & maiorem dannationem acquireret, aut præmaturè à pœna temporali solutus, iustam Dei iram & æternam vindictam in se prouocaret.

Dicet aliquis: Sacerdoti, vt inter ligandos & soluendos peccatores discernat, hæc discretionis nota sufficere debet, vt sciat credentes solui, incredulos verò ligari debere: vt non sit necesse, illum ligandi soluendive arbitrium ex peccatorum enumeratione & qualitate colligere. Huic respondendum. Christum Ecclesiæ suæ clauis Regni cœlorum, hoc est, remittendi & retinendi peccata potestatem tradidisse, quam illa non in alienos, sed in eos, qui subsunt Ecclesiæ, exerceret. Quid enim curæ est Ecclesiæ de his, qui foris sunt, iudicare? & non potius de his, qui intus sunt? Itaque si is, qui frater nominatur, & Ecclesiæ filius, illi ex aqua & Spiritu sancto generatus, postea incipiat fornicator esse, aut auarus, aut ebrius, aut maledicus, aut aliquo peccatorum lethali vulnere laiciari: tales Ecclesia curare intendit, & per Clauium remedia reducere ad sanitatem sollicitè satagit.

Ex his ergò qui subsunt Ecclesiæ, si qui post delictorum vulnera, tacti Pœnitentiæ sollicitæ matris curæ se sanandos submiserint, illa morbi qualitatem accuratè æstimans, & peccata eorum solerti indagatone disquirens, iuxta Domini mandatum, aut remissionis gratia, aut retentionis feueritate succurrit, pro vt iudicauerit vel pro aliorum emendatione conducere, vel pro reorum salute expedire.

Itaque Sacerdos soluendi aut ligandi arbitrium non solum ex fide aut incredulitate, cum incredulis nihil ad Ecclesiam pertineat: sed potestatem remittendi & soluendi inter solos fideles exercens, cognita peccatorum qualitate, diiudicat, qui solui ligariue iuxta Domini sententiã debeant.

beant. Si pergat aliquis contentiosus esse, & dicat, De vtilitate Confessionis persuaderi mihi patior: nondum tamen video, qua ratione cogi ad eam homines debeat, de qua præceptum in scripturis sanctis saltem expressum ostendi nequeat. Respondendũ. Eos qui perire sua sponte nolunt, ad confessionem faciendam præcepto non alligauit Christus, sicut ne ad Baptismum quidem suscipiendum præcepto adigit quenquam. Cùm tamen is, qui veritas est, ad cœlorum regnum sine Baptismo neminè peruenturum denunciauerit, dicens. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum: an non qui saluari volunt præcepto satis efficaci, nimirum animarum suarum salute, ad suscipiendum Baptisma vrgentur?

Sic qui amissa Baptismi innocentiã, iteratis delictis aditũ cœlestis regni sibi præclusit, cùm audit Ecclesiæ minis tris regni cœlestis Clauis à Christo traditas, vt quoscunq; illi soluerint in terris, soluti sint in cœlis: profecto si sapit, satis sibi præceptũ putabit, vt p̄ solutione sua impetrada ei se submittat, qui soluendi potestatem habet, nisi malit retẽta peccatorum suorum sarcina æternis suppliciis deputari.

Satis autem supra ostensum est, Ecclesię ministros nulli peccata sua vel remittere vel retinere debere, & ne possent quidem, nisi per Confessionem ipsis cognita, ne temeritatis incusentur: cùm distinctim remittendi aut retinendi peccata potestatem acceperint, si in alterutrã partem audeant sententiam proferre, priusquam peccati cuiusque meritum accurata disquisitione expenderit.

Si quis verò, qui peccatis suis ingressum regni cœlestis sibi præclusit, neglectis aut contẽptis Ecclesiæ Clauibus, aliunde sibi aditum in cœlum aperire contẽdat, & remissionem peccatorum sine Sacerdotum aut Ecclesiæ ministerio sibi polliceri audeat: is non solum Ecclesiam contemptiũ habet, sed Christi ordinationẽ in primis vt inane & stultam deridet, quasi sine causa Ecclesiæ Clauis nulli vsui futuras tradiderit. Quid enim attinebat, Eccle

ſua ministros regni cœlorum Claves tenere, ſi iis etiã in-
conſultis cuiſlibet promptum eſt & liberum, ſine harum
Clauium ministerio aliunde in cœlũ irrumperet? Ad quid
in Eccleſia ſoluendi & ligandi poteſtas reſidet, ſi qui li-
gatus eſt, ſolui alia ratione poteſt, etiamſi pro ſolutione
ſua nec orationem Eccleſiæ, nec ministerium eius expe-
tuerit?

Ergo diſcipulos ſuos inanibus promiſſis decipit Chri-
ſtus, Claves cœlorum & ligandi ſoluendive poteſtatem
ipſis contradens, ſi æquẽ ſine Clauibus ingreſſus patet in
cœlum, & ſi æquẽ ſine ministerio ipſorum remiſſio ſpe-
randa eſt peccatorum? Abſit autem, vt Chriſtum fallacem
promiſſorem vel leuis ſuſpicio fingere audeat.

Tametſi interim non negandum, ob validam & vehe-
mentem cordis Contritionem, Deum aliquando Sacerdo-
tum ſuorum ministerium peccatorum condonatione præ-
uenire. Sed ne tunc quidem ſuperuacanea exiſtimãda eſt
Sacerdotum remiſſio, nec ſpe diuinæ huius condonatio-
nis omittenda, præſertim cum Contritioni ſuæ nemo cõ-
fidere tutõ queat aut debeat, cum ignoret an tâta ſit, pro
qua Deus peccata ſic dolenti & contrito condonare ve-
lit. Contrã verò per Sacerdotum ministerium indubitata
peccatorum remiſſio accipitur, propter Chriſti promiſ-
ſionem (qui vt falli non poteſt, ita fallere nec poteſt nec
vult) qua dixit. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur
eis. Iſta enim peccatorum remiſſio, quam per ministeriũ
Sacerdotis quærimus, nõ ex virtute Contritionis noſtræ
(quæ ſemper nobis vt inſufficiens ſuſpecta eſſe debet)
ſed ex merito & gratia Chriſti pendet, & ex eius promiſ-
ſione certa ſit & efficax. Qui ſecundum id quod promiſi-
t, aſſiſtens ministerio Eccleſiæ in diſpenſatione myſterio-
rum ſuorum, gratiam largitur per humilitatem confiten-
ti, etiamſi minũs plena ſit eius Contritio, & remiſſionem
peccatorum in eo ipſe operatur: ita, vt Chriſti miſericor-
dia & Sacramenti virtus per ministerium Sacerdotum
in confitente ſuppleant, quod propriæ Contritionis infir-
mitas & inſufficientia non merebatur.

Quapro-

Quapropter ſalutis ſuæ rationem ponit in periculo &
pari pendit, qui dubio conſiſus remedio, certum, quod in
promptu eſt, remedium ſuſcipit. Idem docent Auguſtinus
& Gregorius, qui Lazari reſuſcitationem hominis ex pec-
cato reſurgentis Typum faciunt, quem eſti Dominus vo-
ce ſua prius ad vitam excitauerat, tamen ſolui per Apoſto-
los iuſiſit: ſic ſi cui ob vehementem cordis Contritionem
peccata indulſiſſet Deus, hunc tamen per Sacerdotum mi-
nisterium Eccleſiæ reconciliari, & à delictis ſuis autori-
tate Eccleſiaſtica ſolui decorum & vtile fuerit, & huic ſen-
tentia Chriſti multũ conſonum, quam ad Eccleſiæ mi-
nistros locutus eſt. Quorum remiſeritis peccata, remittũ-
tur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.

Oſtenſa eſt efficax ratio, quæ nos cogat ſub periculo
ſalutis noſtræ Confessionem coram Sacerdote facere, cũ
enumeratione peccatorum omnium, quæ memoria non
exciderunt, vt Sacerdos, cui ſoli peccatorum noſtrorum
arbitrium à Deo permiſſum, & remittendi aut retinendi
peccata poteſtas tradita eſt, de ijs accuratẽ iudicare poſſit
& dignoſcere, quæ remitti, quæve retineri debeant: quip-
pe, qui non abſolutam & ita liberam accepit poteſta-
tem, vt aut remittat ſolũ, aut ſolũ retineat, ſed con-
ditione diuiſam obinet poteſtatem, vt aut remittat pec-
cata, ſi remittenda præiudicauerit: aut retineat, ſi præco-
gnouerit retineri digna. Et vt aut ſoluat conſentẽ, ſi ta-
lem cognouerit, qualem credat, volente & iubẽte Chriſto,
ſolui debere: aut liget, ſi deprehenderit, eum etiamnum
diuina ſentẽtia alligatum teneri. Hæc ratio præcipua eſt,
cur diſtincta peccatorum coram Sacerdote Confefſio exi-
gatur, non eſt autẽ ſola, immò verò aliæ plerũq; rationes
numerantur, quæ magna nobis vtilitate perſuadeant, vt
nihil eorum in Confefſione abſcondamus etiã quæ in oc-
culto, aut intra cordis noſtriſ ſecreta, ſola cogitatione ma-
litiõſe peregrinamus, quarũ aliquas ſubiungere non pigebit.

Vna eſt diſtinctæ Confefſionis vtilitas. Vt erubeſcẽtia
illa, quã in malitiæ noſtræ recenſione ſufferimus, pro pœ-
na ſit, & remiſſionẽ à Deo citius mereatur. Vnde Diuus

AA iiii Auguſti-

August. Augustinus loquens de eo, qui Confessionis pudorem spe
de vera veniæ sustinet: Dignus est, inquit, misericordia, qui spiri-
& falsa tali labore petit gratiam. Laborat autem mens patiendo
pœnit. erubescantiam. Et quoniam verecundia magna est pœna,
qui erubescit pro Christo, sit dignus misericordia. Ambro-
sius Confessionem peccati nominat compendium pœna-
rum, nimirum ob verecundiam, quam Pœnitentiæ non mi-
nimam portionem æstimat. Et Chrysostomus: Confessio
de Cain peccatorum, inquit, testimonium est conscientiæ timentis
22 Abol. Deum. Qui enim timet iudicium Dei, peccata sua confite-
Chrysof. rinon erubescit: qui autem erubescit, non timet. Perfectus
in Matt. enim timor, soluit omnem pudorem Illic enim turpitudi-
Hom. 3. Confessionis aspicitur, vbi futuri iudicij pœna non credi-
tur. Nunquid nescimus, quia Confessio peccatorum habet
pudorem: & quia hoc ipsum erubescere, grauis est pœna.
Sed magis nos iubet Deus confiteri peccata nostra, vt ve-
recundiam patiamur pro pœna. Nam & hoc ipsum pars est
iudicij. O misericordia Dei, quæ toties ad iracundiam pœ-
nuocauimus, & sufficit ei solus timor pro pœna. Hæc ille.

Et certè diligenter commonendi sunt homines, ne pu-
doris magis quam salutis suæ memores, abscondant scie-
lora sua, & abscondendo grauiissimam damnationem inue-
niant: quorum celerem indulgentiam Confessionis humi-
litate apud misericordè Deum impetrare possent, ne ve-
lint similes esse ijs, qui in partibus corporis verecundia-
ribus contracto morbo, conscientiam medicorum resu-
gientes, cum ipso suo noxio pudore percunt.

Grauis est molestia, confiteri peccata: sed illa tamen spe
veniæ deuoranda est. Sicut acerbum est secari, aut caute-
rio exuri, aut pulueris alicuius mordacitate vexari: hæc ta-
men omnia superuenturæ sanitatis emolumento videntur
homines incunctanter sustinere.

Sed, obsecro, qualis pudor! quæ præposterus! Cùm pec-
catorum sordibus aspergeris, non erubuisti: nunc in ab-
luendo erubescis. Fœdari non erat pudor: emundari ve-
rò pudendum existimas. Ex Diabolo est ista verecun-
dia,

dià, cùm in peccando audaces sumus, & frontem non ha-
bemus: dum verò remedia sanandis peccatis adhibere
debemus, pudore suffundimur. In perpetrando nec Deum
nec hominem respicimus: vt confiteamur quod perpetra-
uimus, tantopere conscientiam hominum formidamus.

Et quæ tandem vtilitas est, coram homine abscondere
delicta nostra, cùm interim Deum non lateamus: aut rur-
sus quod istud damnum, si homo sciat delicta nostra, mo-
dò illorū Deus obliuisci velit iustus iudex, cui soli de no-
stris peccatis vindicta debebatur?

Quicumque ergò ad criminum suorum absconsonem
pudore compellitur, sentiat, se fraude Diaboli circumue-
tum detineri, qui non ignorat Deum iudicem nostrum, vt
pudore reorum & humilitate mitigari, & peccata remit-
tere: sic obstinatione tegendi peccata & tergiuersatione
grauiter offendi, & vindictam suam magis astringere, &
velociùs accelerare.

Huic succedit alia vtilitas, vt Confessionis humilitate
mentis humanæ contra Deū se efferentis superbia deprimatur.
Vix enim alia maior submissio inueniri possit,
quàm vt mortali homini, & ipsi peccatori, nos submittentes,
ea quæ sine teste aut etiam sola cogitatione gefsimus,
spe veniæ illi aperiamus: præsertim cùm nonnunquã ta-
lia quædam sint, quæ sine ingenti pudore recenseri non
possint. Sed eo vsque elatæ hominum mentes, difficulter
humiliantur. Nec est præter superbiam alia causa, quæ sa-
luberrimam peccatorum medicinam, Confessionem vi-
delicet, passim ex Ecclesijs nostris abegerit. Quis enim
nescit, peccati absconsonem ex superbia cordis nasci?
Ideo enim peccata abscondimus, ne mali videamur, &
ne tales nos esse homines cognoscant, quales dudum nos
diuino conspectui exhibere non timuimus. Est autem spe-
cies superbiæ, meliorem videri velle, quàm quis se fa-
ctis præstitit: & hypocrisios se reum facit, qui vel tergi-
uersatione peccata sua minuere, vel reticèdo penitus ab-
scondere, tētat. Vbi ergò superbia vel hypocrisis regnat,
hu-

humilitas locum non habet. Sine humilitate verò veniam delicti sperare non licet. Superbis enim resistit Deus, humilibus dans gratiam. Non ergò vbi taciturnitas est Confessionis, venia speranda est criminis.

Nec illa parua est aut contemnenda Confessionis vtilitas, vt pij & eruditi Sacerdotis instructione & salubri cõsilio discat peccator, inter peccatum & non peccatum discernere, & cognitis morbis conuenientia adhibere remedia. Prudens enim & fidelis Sacerdos (qualem deligere præcipua Confessuri cura esse debet) peccatorum vultu nera, per Confessionem deprehensa, non desistet cõmoda sermonis arte sanare. Iam torpentem adhortationibus excitabit ad capeffenda pietatis studia. Pusillanimum cõsolatione eriget: durum & præfractum, aut minis deterrebit, aut aeternæ vitæ promissione mollire contendet.

Tandem & orationibus Ecclesiæ, cui Sacerdotis ministratio reconciliatur, peccator multùm adiuuabitur, in eo vel maximè suæ Confessionis salutarẽ fructum referẽs, quòd Sacerdotem, cuius munus est, Ecclesiæ nomine orationes Deo offerre, iam etiam pro suis peccatis apud Deum per Confessionem, deprecatorem acquisiuit.

Ad has distinctæ Confessionis vtilitates recensendas, causam dedit loci istius Euangelici, qui est apud Ioannẽ 20. explicatio, cum id præcipuè institutum esset, ostendere, Confessionem peccatorum, quæ Sacerdoti fit, à Christo institutam, & nobis ex diuino præcepto obseruandam esse. Cui sententiæ asserendæ, plerique alij scripturæ loci seruiunt, qui huius Confessionis exempla simul & testimonia præbent, qualis est ille apud Matthæum. Et in Actis Apostolicis. Multi credentium veniebant consistentes & annunciantes actus suos. Ex quibus locis, Hilarius & Basilius Confessionis Sacerdoti faciendæ exemplum pariter & præceptum desumunt.

Simili-

Similiter alij Catholici Patres, ex alijs scripturæ locis hanc Confessionem astruunt. Tertullianus ex Confessione prodigi. Pater peccaui in cœlum, & coram te, &c. Origenes ex verbis Psal. 31. Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino. Et Psal. 37. Iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. Cyprianus ex Confessione trium puerorũ & Danielis. Hilarius ex verbis Psal. 118. Vias meas enunciaui, & exaudisti me. Hieronymus, ex verbis Esaia. Dic tu prior iniquitates tuas, vt iustificeris. Ambrosius ex parabola Salomonis. Iustus prior est accusator sui: Et ex loco Ioannis, quem supra citauimus. Quorum remiseritis peccata &c. Augustinus ex verbis Christi, iubentis leprosos se ostendere Sacerdotibus. Sed & ex multis alijs scripturæ locis dilucidè apparet, semper in populo Dei ex præcepto Domini Confessionem viguisse, non solùm qua coram Deo occultè criminata sua deplorarent: sed qua coram hominibus etiam peccatorum suorum conscientiam excuterent, vt est Iosue 5. 1. Reg. 12. 2. Paralip. 36. Esd. 9. Iudith. 7. Esa. 64. Vbi peccata sua, vt citius veniam impetrarent, Deo simul & hominibus manifestabant.

Illud etiam Iacobi Apostoli Confessionem, de qua agitur, disertè iubet. Confitemini, inquit, alterutrum peccata vestra, vt saluemini. Cuius loci autoritatem, pro Confessione Ecclesiastica fortiter faciẽtem, vt maximè attenuet hi, qui contra vniuersalem Ecclesiæ omnium temporum consensum, priuatam Confessionem, quæ fit Sacerdoti, oppugnant: tamen hoc nobis dare coguntur, ad Confessionem peccatorum suorum, non soli Deo, sed etiam homini faciendam, Christianos hoc Apostoli præcepto astringi, si criminum suorum cõdonationem assequi velint. Hoc ipso autem, quod necessariò fatentur, Confessionem coram homine faciendam: illam, quæ coram Sacerdote fit, Confessionem velut necessariam approbant. Si enim homini est cõfitendum, non vtiq; cuius homini, sed soli Sacerdoti Confessionem fieri debere, necessario consequitur, cũ apud solos Sacerdotes Pœnitentiæ ministerium, & absoluendi potestatem, residere Christus voluerit, quibus solis dixit.

Quorum

Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Cum itaq; per Confessionem consolatio & tranquillitas conscientia ex verbo absolutionis quaeratur, ius autem absoluendi solis Sacerdotibus à Deo permittum sit: utiq; qui à peccatis solui postulat, Sacerdotes absoluendi potestate vtentes adire debent, ne si alium quemlibet sibi hominem deligere vellet, cui peccata sua adaperiat, sine spe remedij vulnera sua medico imperito, & non sanaturo, in vanum denudet.

Hanc sententiam magno consensu veteres Orthodoxi tuerentur, qui Confessionis ministerium ad solos Sacerdotes, quibus solis remittendi peccata potestas à Deo permittitur, auctoritate sacrae scripturae trahunt. Hilarius, peccatorum Confessionem Apostolicæ prædicationi dicit connexam esse: sentiens, eisdem, qui prædicationis munus à Christo accepissent, etiam Pœnitentiæ & Confessionis mysterium dispensandum competere. Siquidem Christus, ubi Apostolos verbi sui præcones instituit, mox illis etiam Pœnitentiæ ministerium credidit, & iudiciũ & potestatem de peccatis hominum permittit. Sicut me misit Pater, ita & ego mitto vos: & cum hoc dixisset, insufflauit, & dixit eis. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Basilius interrogatus, an quibuslibet, an solis Sacerdotibus peccata confitenda sint: Necessarium inquit, videtur, iis, quibus dispensatio mysteriorum Dei commissa est, confitenda esse peccata. Idem. Confessio peccatorum hæc habet rationem, quam vulnus habet aliquod corporis, vel passio, quæ medico demonstranda est. Sicut ergo non omnibus, quis vitia vel vulnera corporis sui reuelat, nec quibuslibet, sed iis tantummodo, qui summæ peritiæ testimonium & curæ ac medelæ disciplinam habent: ita Confessio peccatorum fieri debet apud eos tantummodo, qui curare hæc prævalent & emédare. Ambrosius, Dominus par ius soluendi & ligandi esse voluit, qui vni- que pari conditione permittit. Ius enim hoc solis permittum Sacerdotibus est. Recte igitur Ecclesia vendicat, quæ veros Sacerdotes habet: hæresis vèdicare non potest, quæ

Sacerdo-

Sacerdotes Dei non habet. Huc illud pertinet Gregorij. Dominium summi iudicij Sacerdotibus est commissum, qui loco Dei quibusdam peccata retinent, aliis remittunt.

Ex his satis liquet, peccatorum Confessionem non cuius homini, sed solis Sacerdotibus vtiliter fieri, qui soli remittendorum peccatorum ius ac potestatem à Deo acceperunt.

Quod autem Iacobus non dixit: Confitemini Sacerdotibus: sed contentus fuit dicere: Confitemini alterutrum: id hac ratione fecit, quòd satis putaret, hanc dedignationem animis hominum eximere, ne grauentur Sacerdoti & ipsi homini mortali, ac forte etiam peccatori, conscientia suæ secreta reuelare. Ideoq; spe veniæ & pollicitatione ingentis præmij, ad tantam humiliationem extimauit deducendos esse. Confitemini, inquit, alterutrum, id est, non vt olim soli Deo, sed homo homini, mortalis mortali: & adiiciens tantæ humiliationi locupletem mercedem, ait: Vt saluemini. Inter homines autem ad solos Sacerdotes Confessionis ministerium pertinere, iam antea Christianis satis cõstabat, ex institutione Domini, Ioan. 16. Mat. 16. 18. & idem Iacobus Apostolus aperte eodem loco innuerat, qui illo ipso contextu, quo sacram Vnctionem à Sacerdote suscipiendam præcipit, etiam Confessionis faciendæ legem induxit: vt appareret, Confessionem peccatorũ Presbyteris fieri debere, quos pro Vnctione porrigenda iusserat accersiri.

Post sacrae scripturae testimonia, quibus satis aperte ostensum est, Confessionem, qua hodie vtitur Ecclesia Catholica, non humana confessione receptam, sed iure diuino traditam esse: Nunc sanctorum Patrũ authoritates congerendæ sunt, in quibus præsentem Confessionis morem conspici licet, vt habeant Ecclesiæ filij, quo se contra æmulorum suggillationem perpetuo totius Ecclesiæ Christianæ consensu tueantur.

Et vt integram & perpetuam totius Ecclesiæ consuetudinem, & quasi plenam eius imaginem, quantum ad Confessio-

feſſionem attinet, ab ipſa eius origine in ſententiis veterum liceat intueri: ab iis ordiendum, qui Apoſtoliſ in carne degentibus conuixerunt, & poſt eos Eccleſias Chriſti eadem prorfus doſtrinarum & rituum ſimilitudine, ſicut ab Apoſtoliſ acceperant, ita rexerunt.

Clemens, Petri Apoſtoliſ diſcipulus, & in Cathedra Romana ſucceſſor, idemq; Martyriſ conſors, de Confeſſione in hanc ſententiam ſcribit ad Iacobum fratrem Domini, Hieroſolymitanum Epiſcopum. Quòd ſi forte in cor alius cuius vel liuor vel infidelitas, vel aliquod malum exhiſ, quæ ſuperius memorauimus, latent irrepſerit, non erubeſcat, qui animæ ſuæ curam gerit, conſiteri hæc ei, qui præeſt, vt ab ipſo per verbum Domini & ſalubre conſilium curetur, quòd poſſit integra fide & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ vitæ præmiū peruenire. Et alia multa in eadem ſententiā ſtatim eadem epiſtola ſequuntur.

Dionyſius Areopagita, Sancti Pauli ſectator, per Epiſtolam obiurgat Demophilum Monachum, inſolentis animi hominē, quòd peccatorem ad Sacerdotis pedes prociſidentem, vt ſic peccatorum ſuorum remedia inueniret, calce perculerit contra diſciplinæ ordinem.

Videmus in ipſiſ ſtatim Eccleſiæ initiis, Confeſſionis morem cura ritum noſtri temporis per omnia congruentem. Nam in Eccleſiæ primordio, ſicut hodie fieri cōſueuit, ad Sacerdotem humiliter accedebāt, qui peccatorum ſuorum quærebant remedia, vt Dionyſius indicat: & occulta etiam facinora, quæ vel ſola cogitatione peccauerant, Sacerdoti ſpe veniæ per Confeſſionem prodeban, id quod ex Clementis teſtimonio videre licet. Tantæq; neceſſitatis hiic conſtitendi ritus eſt habitus, vt idem Clemens non dubitauerit aſſerere, aliter eum, qui peccauit, æterni ignis pœnas effugere, & ad vitæ æternæ præmiū peruenire non poſſe.

Eundem ſecretæ Cōfeſſionis modum magnopere commendat ſanctus Martyr Cyprianus, iubēs non ſolum eos, qui

qui in perſecutione Chriſti nominis abnegatione, & deſtandis Gentilium ſacrificiis ſeſe polluiſſent: ſed illos etiam, qui de hoc vel cogitauerint, hoc ipſum apud Dei Sacerdotes dolenter ac ſimpliciter conſiteri, & conſcientiæ exomologēſin facere, animiq; ſui pondus exponere, ac ſalutare medicinam paruiſ, licet & modicis, vulneribus exquirere. Et eo vetuſtior Tertullianus Confeſſionis ritum ſic depingit, vt Sacerdotibus aduoluetur, qui pro peccatis verè ſe humilians, admiſſorum veniam à Deo impetrare contendit.

Nec minus cum præſentis temporis ritu, congruentem ſui temporis conſuetudinem in Confeſſione Diuus Hieronymus indicat in Matthaum capit. 6. Et Eccleſiaſten Salomonis enarrans, de Confeſſione in hæc verba meminit. Si quem ſerpens Diabolus occultè momorderit, & nullo conſcio eum peccati veneno infecerit: ſi tacuerit qui percuffus eſt, & non egerit Pœnitentiam, nec vulnus ſuum fratri & Magiſtro voluerit conſiteri: Magiſter, qui habet linguam ad curandum, facilè ei prodeſſe non poterit. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus ſuum in medico conſiteri, quod ignorat medicina non curat.

Nota ſunt Auguſtini de Confeſſione præclara teſtimonia, qui nepotem ſuum, ad vitæ humanæ exitum properantem, ad mortē præmonendo preparans. Sunt quidam, inquit, qui ſufficere ſibi ad ſalutem autumant, ſi ſoli Deo cui nihil occultum eſt, quem nullius latet conſciētia, ſua conſiteantur crimina. Nolunt enim, aut erubeſcunt, ſiue dedignantur, oſtendere ſe Sacerdotibus: quos tamen inter lepram & lepram diſcernere, per Legiſlatorem conſtituit Dominus. Sed nolo, vt illa decipiaris opinio, quatenus confundaris conſiteri coram Domini Vicario, tabeſcens præ rubore, vel ceruicofus præ indignatione. Nam ipſius humiliter ſubeundum eſt iudicium, quem Dominus ſibi non dedignatur Vicarium. Ergo ad te venire roges Sacerdotem, & fac ipſum conſcientiarum tuarum penitus participē &c. Similia ſunt eiufdem multa teſtimonia Pſal. 66. 105. De vera & falſa Pœnitentia.

Ambroſius verò quàm vbiq; in commemoranda & iubenda

benda Confessione est sedulus? Quod autē de Petri Penitentiā ait. Inuenio quōd seuerit. non inuenio quid dixerit. Et. Lauat lachryma, quod pudor est confiteri: hæc non eō dixit, vt Confessionem negaret Sacerdoti faciendam, quam alibi toties inculcat: sed veræ Contritionis & feriarum lachrymarum vim ostendit, quæ etiam ad maxima illa peccata diluenda valent, quæ sine pudore dici ac proferri non possunt. Nec enim quisquam ibit inficias, ob serium & vehementem cordis dolorem, à Deo aliquando peccatū remitti, priusquam illud Sacerdotū ministerio solui cōtigerit, sed nec ob hanc quidem causam inane aut superuacuum esse Sacerdotis ministerium iam supra ostensum est: quia semper vt insufficiens suspecta esse debet propria Contritio. In Confessione verō & Sacerdotum ministerio indubitata exhibetur peccatorum remissio, etiam si minus plena sit & perfecta cordis Contritio. Ista enim, quæ per Sacerdotum ministerium conferitur peccatorum remissio, non ex virtute propriæ Contritionis, sed ex merito & gratia Christi pendet: qui assitens ministerio Sacerdotis, secundum promissionem suam peccata soluit humiliter confitentis, etiam si cordis dolor peccati magnitudinem non adæquet. Ambrosius itaq; non sustulit Confessionem toties à se laudatam, sed cordis Contritionem vt longe vtilissimam, sine qua inanis est omnis illa oris Confessio, persuadere voluit (in quo cum eo omnes pij & veritatis Catholicæ assertores semper cōsenserunt) Nec statim est putandus inter duo vtilia alterum reiecit se & contempnissse, qui alterum præ illo commendat.

Sententiæ posteriorum, qui ingenti consensu in Ecclesia Confessionem approbarunt, plures sunt, quàm vt tanta testimoniū nube legentis animus prægrauandus sit. Et forte operæ precium non esset, omnes illorum sententias huc transcribere, cum illorum lucubrationes nūquam non inter manus hominum versentur, vnde illæ recte peti possunt.

Nunc ex Ecclesia Græca pro Confessione testimoniā producenda sunt, quibus eundem Confessionis ritum ab ipsa Ecclesiæ origine etiam apud Grecos viguisse, manifestum

festum euadat. Origenes, Græcæ author, locis pluribus secretæ Confessionis ritum, qualem nunc Romana obseruat Ecclesia designat. Præcipuè verò super Psal. 7. Homel. 2. Quoniam iniquitatem meam pronuntiabo &c. Pronunciationem, ait, iniquitatis, id est, peccati Confessionem frequenter diximus. Vide ergo, quid docet nos scriptura diuina? quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortassis enim sicut hi, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho grauitè & molestè imminentiā, si vomuerint, releuatur: ita etiam hi, qui peccauerunt, si quidem occultant & retinent intra se peccatū, intrinsecus vrgentur, & propemodum suffocantur à phlegmate vel humore peccati. Si autē ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum & confitetur, simul euomit & delictum, atq; omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspecte diligenter, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante: flere cum flente: qui condolendi & compatienti nouerit disciplinam, vt ita demum, si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum medicum ostendit & misericordem, si quid consilij dederit, facias & sequaris. Si intellexerit & præuidebit, talem esse languorē tuum, qui in Conuētū totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facile sanari: multa hoc deliberatione, & satisfecitō medici illius consilio procurandum est. Hæc Origenes.

Vides hic secretam Confessionem, qualis hodiè obseruatur, designari? & eorum errorē manifestè coargui, qui priuatam Confessionem, quæ coram Sacerdote fit, olim in vsu non fuisse existimant: sed omnem tunc Confessionis & Absolutionis ritum fuisse publicum contendunt? Origenes, qui Martyrū temporibus in Ecclesia ante mille & trecentos annos floruit, priuatæ Confessionis ritum, qualem hodie Romana tenet Ecclesia, suis temporibus in Ecclesia viguisse, apertè demonstrat, vbi peccatorem iubet non Deo tantum, sed homini etiam prudenti & medendi perito, sua crimina sigillatim reuelare, & omnem profusus

occulti morbi causam aperire, & si tandem, si ita criminum magnitudo postulet, ex consilio Sacerdotis de priuata Confessione ad publicam Pœnitentiam transire.

Basilium, cognomento Magnus, Cæsareæ Cappadociæ Episcopus & ipse Græcus, de Confessione secreta multis locis luculenta profert testimonia. In institutione Monachorum rogatus à Monacho, quibus confiteri peccata oporteat? Respondet. Clementia Dei erga eos, qui deliquerunt, manifesta est, secundum quod scriptum est. Qui non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Quia ergò Confessionis modus ad hoc aptus est, & conuertens se à peccato, fructus dignos ostendere debet Pœnitentiæ, secundum quod scriptum est. Omnis arbor, quæ nõ facit fructum bonum: excidetur, & in ignem mittetur: necessarium videtur iis, quibus dispensatio myriorum Dei commissæ est, confitenda esse peccata. Sic enim & hi, qui antiquitus pœnitebant, inueniuntur apud sanctos confessi esse peccata sua. Scriptum est enim in Euangelio: Quia Iohanni Baptistæ confitebantur populi peccata sua. Et in actibus Apostolorum. Apostolis hi, qui baptizabantur. His fere similia apud eundem leguntur, cap. 18. 98. instituit. Monast.

Chrysostronus, Basilij Synchronus, & earundem disciplinarum sacris cum eo initiatus, tum eisdem vsus præceptoribus. Cum quo, vt summa animi consensione vixit, sic nimirum similem sententiam de Confessione tenuit, & ostendit lib. 2. de Sacerdotio. Vbi Sacerdotalis officij grauitatem, precipuè ex Pœnitentiæ & Confessionis ministerio, quod Sacerdotibus commissum est, colligit, quòd admodum difficile sit, inter diuersa hominum ingenia curandis singulorù peccatis apta remedia adhibere. Si blandius cum tractes (inquit) cuius affectum corpus sectione eaq; magna indiget, ac nisi altam infixeris plagam ei, qui ea opus habet, nimirum fiet, vt vulnus ipsum partim de resectù partim relictù. Rursus, si nulla ex parte parcere volens, debitam adhibueris resectionem: fiet sæpe, vt anim ille doloris impatiëntia despondens, atq; oia simul derectans, ut phar-

pharmacum tum vinculum, se ipse præcipitem ferat, contrito iugo ac confractio laqueo. Et post pauca. Quocirca multa quidem opus est pastoris prudentia, sexcentis etiam (vt sic dicam) oculis, vt recte vndiq; humani animi habitum circumspicere possit. Et li. 3. idem Sacerdotalem potestatem & dignitatem, supra omnem seculi Principatum extollit, ex eo quod Sacerdotes adhuc in terris viuentes, ea quæ in cœlis sunt, dispensent, quibus dicitur. Quæcumq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Per Sacerdotum manus Baptismi salutaris aqua nobis aspergitur, & corporis & sanguinis Domini Sacramentum nobis exhibetur, sine quibus rebus nemini ad regnum cœlorum aditus patebit, nemini vita æterna continget. Sacerdotes nõ solum in Baptismo, sed etiam post Baptismum in Pœnitentiæ ministerio condonatorum nobis peccatorum facultatem obtinent, iuxta illud. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Hac ibidem. sed per omnes cõciones suas in persuadenda Confessione, multus & feruens est Chrysostronus. Quòd autem locis aliquot non exigit à peccatore, vt conferuis suis peccatum suum prodatur, aut presentibus testibus confiteatur: per hoc non abiicit Confessionem priuatam, sed eum, qui occultè peccauit, à publica tantum Confessione liberat, ne quis cogatur peccatum suum verbo vel iudiciis publice in vulgus prodere, vnde vel vitæ vel famæ periculum subeundum sit, cum sufficiat Sacerdoti, cui à Deo remittendorum peccatorum potestas permisa est, conscientiam secreta aperire, & iuxta ipsius arbitrium, pro morbi ratione, debita & apta suscipere remedia. Quemadmodum in Romana quoq; Ecclesia publicæ illæ Confessiones (quarum olim frequens vsus erat) iam dudum obseruari desierunt, etiam sacrorum Canonum autoritate compressæ, inter alias causas forsitan ob illam præcipuè, ne quem infamiae metus à Confessione peccatorum suorum absterret. Cui timori nunc satis prospectum est, postquam Ecclesiastici Canones grauissimam pœnam depositionis, ignominiae, ac peregrinationis perpetuæ irrogauerunt Sacerdoti, qui aliquid enunciat ex his, quæ didicit per Confessionem, De Pœnit. dist. 6. c. Sacerdos.

De Pœnit. dist. 2. Quamuis plenitudo

Nec impugnat hanc Confessionem, quod de Nectario Constantinopolitano Episcopo quidam adserunt, eum priuatæ Confessionis vsum ex Ecclesia Constantinopolitana sustulisse. Nam si maximè concedendum esset quod illi asserunt, iam inde constaret Confessionis huius antiquitas. Si quidem nihil abrogari potest, quod nõ aliquando fuit. Nec est statim in exemplum trahendum, quod vnicus Episcopus furore sæuientis populi compulsus fecit. Nec statim iustè factum est, quod aliquis quacunq; ratione fecit. Et nõnunquam ob iustam causam pro tempore & loco rectè & vtiliter aliquid omittitur, quod tamen nequaquam est abrogandum apud eos, quos similis necessitas ratioq; non astringit.

Tamet si penitus Sozomæni verba introspicienti, quibus Nectarij factum refert, apparet, Nectarium non tantam Confessionem priuatam sustulisse, quam publicè pœnitenti diis, qui crimen aliquod occultum confessi essent, necessitatem remisisse, singulos suæ conscientiaë iudicio relinquẽtem, vt ante communionem vel publicam Satisfactionem subirent, si vellent: vel priuatam Confessione, quam sacerdoti suo fecissent, eaq; Satisfactione, quam Sacerdos in occulto peragendam illis imposuisset, contenti, ad mensam Domini accederẽt, nec amplius potestas esset vlli Sacerdoti, aliquem pro occultis peccatis, quæ in Confessione ipsi aperuisset, ad Pœnitentiam publicè faciendam inuitum ac nolentem adigere. Verba Sozomæni, quibus Confessionis priuatæ antiquitatè indicat, & communentorius Ecclesiæ in ea obseruanda consensum, vnus Nectarij abrogationi disertè præfert, ita habent.

Quoniam omnino non peccare (inquit) diuinum & vtra humanam naturam cognoscitur: peccantibus autem & Pœnitentiam agentibus, veniam Deus dari præcipit. Qui verò confiteri refugiunt, maius peccatorum onus acquirunt. Propterea visum est antiquis Pontificibus, vt velut in theatro sub testimonio Ecclesiastici populi delicta pandantur. Ad hanc rem Presbyterũ bonæ conuersationis, seruantemq; secretum, ac sapientem virum statuerũ, ad quem ascendentes hi, qui deliquerant, delicta propria

fate-

farebatur. At ille secundum vniuscuiusq; culpam indicebat & multam. Quod etiam haftenus diligenter in Occidentalibus obseruatur Ecclesiis, & maximè apud Romanos. Porro Constantinopoli Presbyter super pœnitentes fuit, vsq; ad illud tempus, quo quædam mulier nobilissima, cum peccata sua fuisset confessa, & ei à Presbytero fuisset præceptum, ut ieiunaret, & Deo operibus supplicaret: cum hoc obseruaret, crebrius in Ecclesia cum Diacono se concubuisse confessa est. Hoc cum populus cognouisset, seuebat in Sacerdotes, quasi per eos facta fuisset iniuria Ecclesiæ. Tunc Nectarius Episcopus remouit Diaconum sceleratum, & quibusdam suadentibus, vt singulos ad communicandum iudicio conscientiaë suæ relinqueret, etiam Presbyterum nequaquam super pœnitentes esse præcepit. Ex illo antiquitatis consuetudo sublata est, cum (vt arbitrò) minora peccata pro pudore Confessionis, & subtilitate examinantium patrarentur.

Hæc, quæ de Confessione dicta sunt, si quis ritè perperderit, facile cognoscet, Confessionẽ illam secretam, quam hodiè Catholica obseruat Ecclesia, apertis sacræ scripturæ testimoniis, ac veterum Orthodoxorum luculentis sententiis (quibus illi perpetuum totius Ecclesiæ pro Confessione priuata consensum astruunt) abundè firmatam esse. Nunc pauca quædam, quæ ad Confessionem ritè perficiendam pertinent, adiiciuntur.

Principiò, qui per Confessionem coram Sacerdote, Dei ministro, vitæ suæ rationem Deo redditurus est, conscientiam suam seria & diligenti præmeditatione examinet, & Dauidem imitans, annuciaturus iniquitatem suam, de peccato suo prius cogitet, studeatq; in memoriam reuocare omnia delicta sua, eaq; vniuersa, quantum memoria eum fidelitas adiuuerit, coram Sacerdote adnunciet, vt plenæ Confessionis humiliatio vberior de Dei Bonitate misericordiam, & certior de Sacerdotis ministerio Afusionem, consequatur.

Proderit autem ad plenam peccatorum reollectionem, vitæ suæ conditionem considerare, quandoquidem

BB iij peculiare

peculiares functiones ad delicta etiã peculiaria plarum que occasionem præstant.

Temporis etiam & locorum confyderatio actuum nostrorum memoriam nobis renouat, cogitantibus, quo tempore, quibus locis, diuersati fuerimus.

Similiter & consortium vitæ expendendum est, quibus cum consuetudo nobis intercesserit. In iis tamen delictis quæ affectum feruentem habent: qualia sunt, quæ libidine aut ira inuidiæue perpetrantur, cito à personis, cum quibus commissa sunt, reuocanda est animi intentio, neerosiosa & diligens veteris commissi recordatio, nouæ temptationis occasionem suggerat.

Multum etiam ordo memoriam adiuuat, vt si quis per singula Decalogi præcepta, per omnes mortalium peccatorum species, & ea quæ vnamquacunq; speciem afflicta vitia consequuntur, enumerando eat. Aut si quis in ordinem digerat, quæ contra Deum peccauit: qualia sunt, quæ contra primæ tabulæ præcepta committuntur, idolatria, superstitio, hæsitatio in fide, neglectus diminiatus, indeuota & infida oratio. Deinde, quæ commisit contra proximum, ac demum quæ apud semetipsum peccauit.

Et vt in vniuersum negligens & ignaua præmeditatio in Confessuro reprehensione non caret: ita anxia nimis & morosa, noxia & perniciofa esse solet. Sufficit autem, talis sit Cõfessuri præmeditatio, qualem in re seria & vt de vtili adhiberi decet.

Præterea humilem esse oportet Confessionem. Vnde enim, conueniens est, vt qui cõtra Deum peccato contumaces fuimus, pœnitendo supplices simus, nec Deolum, sed Sacerdotibus etiam & ministris eius humiliter. Interim tamen non sit pusillanimis, sed libera & fortis militas, ne pudori cedat, aut aliquid cogat confitentem reticere, & sic remissionis fructum impediatur, & totam saliam Confessionis molestiam & laborẽ inutilem reddat. Hoc enim vel in primis requiritur, vt quæ frugifera debeat

beat esse Confessio, eadem sit integra, ne quid sibi de peccatis suis (saltem quæ reducere in memoriam potuit) reseruet peccator. Remitti enim non potest quod celatur, & vulnus quod ignorat medicina nõ curat. Qui autem pronunciauerit peccatum suum, remissionem inueniet, iuxta illud. Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei. Et. Qui abscondit scelera sua, non dirigitur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Quicumque enim verecundia victus, seu quacunque impulsus causa, peccatum suum absconderit, sibi quidem spem veniæ abscondit, & nihilominus peccatum ipsius Diabolus, qui inceptor est peccati, & idem accusator, in illo die publicabit. Ipse enim Diabolus hominem ad peccandum instigat, & vt audeat peccare, verecundiam illi admittit: posteaquã peccauerit homo, Diabolus verecundiam eius adauget, vt vereatur homo confiteri: ipse verò, sine dubio, peccatum hominis non finet latere, sed in apertum protrahet, & coram Domino accusabit. Cuius accusationem vt integra Confessione præueniamus, scriptura nos hortatur, dicens: Dic tu iniquitates tuas prior, vt iustificeris. Dic prior, ne te ille Malus præueniat, qui te delicta tua tacentes & dissimulantes, intentus & paratus est ad accusandum. Peccator ergò plenè confitendo Deum sibi facit propitium, quem negando & dissimulando nequaquam reddere potest nescium.

Orige. sit per Leu. Home. 3.

Nec tamen reprehendimus, quod pij quidam & eruditi viri permittunt confitenti, ob certas causas Confessionem suam diuidere, & peccatum aliquod figurare, aliis prolatis, reticere, donec Sacerdotem adire liceat magis idoneum, cui id peccatum ritè reueletur. Vt si famæ aut vitæ periculum ex peccati alicuius manifestatione timeatur, & de Sacerdotis taciturnitate meritò ambigi possit: aut si credibile sit, Sacerdotem illum audita peccati istius qualitate, multum offensum aut ad delictum incitatum iri, aut ad simile peccatum prolapsurum esse. Aut si tale sit peccatum, quod sine prodicione alterius personæ exprimi non possit. Tunc enim reliqua delicta

Aug. de vera Inuoc. cap. 240.

proferat peccator: illud vero singulare referuare pot est, dum Sacerdotem nanciscatur, cui persona altera ignota sit, & à quo nullum (ex his quæ dicta sunt, aut iis simile) periculum sit expectandum.

Cum dolore etiam vero, & multa animi amaritudine, peccata sua exponat confitens, & in tribulatione spiritus sui loquatur. Sic enim ad se conuerti volentibus præcipit Dominus Ioël. 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & planctu, & fletu. Vel saltem hoc doceat peccator, si sentiat, se pro peccatis suis dolere non posse. Irrisio enim est, nō Confessio, si quis mala, quæ perpetravit, cōfiteatur quidē, sed flere & dolere ea quæ cōfessus est, recusat: similis illi, qui subducta veste vlcus suum ostendit, & illud tamen appositis remediis curari nec postulat nec patitur, eoquē nomine bis miser est, quod in posterum super dolorem vlcis etiam pudorem ex aliena conscientia sustinebit.

Sit insuper dilucida & propria Confessio: sic, vt propria peccata nulla verborum ambage obuolare conetur peccator, sed apertis verbis delicta sua obnunciet Sacerdoti, vt is, qui soluendi & ligandi potestatem à Domino accepit, ex qualitate peccati nihil ignoret, quò minus accepta potestate in alterutram partem ritè defungi queat. Vbique tamen honestas verborum & sermonis modestia, in confessione seruanda est. Alienorum autem delictorum mentionem Confessioni suæ admiscere, adeò non deceo, vt reciteri etiam proprium peccatum (ex sententia piorum & eruditorum hominum) debeat, si illud sine alterius personæ prodicione proferri non queat.

Maximè autem ad Confessionis perspicuitatem faciunt prolata: cuiusque peccati circumstantiæ, præsertim illæ, quæ peccatum vel augent, vel in aliam speciem trahunt. Augent autem peccatum (vt Augustinus recenset) status, locus, tempus, perseuerantia, varietas personarum, tentationis qualitas, & crebra repetitio criminis. Sacerdotis enim aut Principis crimen grauius est, quàm inf-

mi cuiusquam & imperiti. Sic etiam ex temporibus & locis aggrauantur peccata, si tempus ieiunij aut alioqui sacrum, quod pietatis studiis debebatur, gulæ, & voluptati, & turpitudini impensum est. Si locus, in quo peccatum admissum est, sacer fuit, aut cui alioqui fides & honestas debebatur. Primi generis sunt Tempia, orationibus & diuino cultui dicata. Secundi, Domus Dominorum, amicorum, & hospitem. Deinde accrescit aliquid delicti grauitati, si quis in eo diu perseuerauerit, & si in grande aliquod peccatum, parua impulsus tentatione, ruit. Sunt enim, qui non solùm non vincuntur tentationis magnitudine, sed vltro peccatis se offerunt, & peccandi voluptatem quadam animi malitia præueniunt, qui grauius multò delinquant, quàm qui magna tentatione impulsu ceciderunt.

Etiam eò perniciosius est peccatum, quò quis plures sibi complices fecit, & in eo perpetrando multus & assiduus fuit. Sic etiam illa iniuria grauior censenda est, quam quis personæ intulit miserabili, vt Viduæ, aut peregrino, aut inopi, aut ei cui præcipuam fidem debebat. Hæ sunt circumstantiæ, augentes & aggrauantes delictū. Aliæ sunt non tam circumstantiæ peccati, quàm ipse etiam peccatum, quæ non solùm exaggerant crimen, sed mutant, & in aliam speciem trahūt. Nam qui cū corrupta & soluta facit consuetudinem, stuprum committit: qui cum alterius vxore, adulterium: qui cum propinqua, incestum. Et hæ circumstantiæ accuratè proferri in Confessione debēt, ne quid Sacerdotè lateat, quo minus pro delicti qualitate ligandi aut soluendi potestatem debitè ac ritè exercere valeat.

Et ne quid integritatem Confessionis impediatur, peccator, post eorum enumerationem peccatorū, quæ post diligentem examinationem occurrebant, generalem omnium peccatorum suorum Confessionem faciat: veniam à misericorde Domino, & solutionem ab ipsius Sacerdotè expetens etiam oblitorum, adeoque omnium delictorum, quorum apud Deum reus constituitur.

Hæc autem, quæ de diligenti peccatorum enumeratione faciendâ dicta sunt, etiam de venialibus, quæ crebro acciderunt, intelligenda sunt: quæ ne ipsa quidem leuiter transmitti debent, cum iuxta Augustini sententiam, nihil intersit ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis obruatur, an paulatim & per guttas instillans aqua insentiam, & per negligentiam derelicta, nauem tandem impleat & submergat. Sic ad animæ periculum nihil refert, vtrum vno grandi peccato, an leuioribus multis animæ sauciata moriatur.

DE ABSOLVTIONE.

Hæc tenus peccatoris animus Confessionis sollicitudine exercitatus est, nunc idem Absolutionis consolatione est erigendus. Postea quia enim peccator omnia delicta sua coram Sacerdote plena Confessione effudit, iam in Absolutionem Sacerdotis animum intendens, nihil amplius humani operis secum agi existimet: sed planè diuinam operationem animo præsumat, & in ministerio Sacerdotis, virtutem agnoscat Spiritus sancti, intus mundantis & remittentis peccata, per merita Passionis Christi, in ablutione sanguinis ipsius, qui effusus est in remissionem peccatorum, & omnino credat veracem Domini promissionem in se compleri, quam Apostolis suis, eorumque successoribus Sacerdotibus dixit. Quorum miseritis peccata, remittuntur eis. Quæ consolatio vt animo peccatoris prescius infigatur, profuerit Absolutionis formulam simplicissimam esse, & ad ea Domini verba quàm proximè accedere, quibus Sacramentum remissionis peccatorum institutum est, & ex quibus tota Absolutionis virtus pendet, cum ait Christus, Quorum miseritis peccata, remittuntur eis.

Hac potestate à Christo suscepta, Sacerdos, volens peccatorem absoluerè, liberam proferat sententiam verbis planis & simplicibus, qua ille, quem absoluendum destinauerit, apertè intelligat, peccata sua Sacerdotis iudicio

Dei

Dei vice sibi remitti, sub hac formula. Ego absoluo te à peccatis tuis, in noie Patris & Filij & Spiritus sancti, Amē.

Hæc formula, vt simplicissima, ita tutissima est. Nam quòd quidam Absolutionis formulâ multis adiectis clausulis inuoluunt, videmus ab eruditis Patribus non immeritò improbari, quòd clausulæ illæ partim superuacaneæ sint, partim conturbent magis animum confidentis, quàm serenent & consolentur: partim etiam fructum Absolutionis periculose impediunt, aut certè minuunt. Vt cum Sacerdos dicit. Authoritate, qua fungor, aut in quantum possum, te absoluo superfluam necit orationem, & ministerij sui potestatem periculose in dubium reuocât. Siquidem Sacerdotale ministerium includit talem potestatem, eaque potestas per Sacerdotis intentionem valida est, qua contentem absoluerè intendit.

Nec ista verba necessaria sunt. Restituo te Communioni fidelium, & Sacramentis Ecclesiæ. Restituitur enim peccator eo ipso, quòd absoluitur. Illa verò nõ ociose tantum, sed cum periculo adduntur. Absoluo te à peccatis, tuis confessis & contritis. Tameñ enim à peccatis, quæ per Confessionem non deteguntur, non absoluit Sacerdos, ea tamen sub generali Confessione comprehensa dimittuntur, si post diligètem examinationè in memoriam reduci, & ita per Confessionem aperiri non poterunt. Secus, si postea in mentem redierint: tunc enim noua Confessione diluenda erunt. Peccata autem etiam nondum contrita satis, per Confessionis humilitatè remittuntur virtute Absolutionis, ex merito & gratia Domini nostri Iesu Christi, de cuius misericordie promissione fiduciam remissionis peccatorum concipimus: cum interit tamen semper velut insufficientis suspecta nobis sit propria Contritio.

Nec tamen pia consuetudo culpanda est, qua quidam Sacerdotes ante Absolutionem pias ad Deum precatationes pro peccatorum remissione præmittunt. Quales sunt illæ. Misereatur tui omnipotens Deus & cætera. Et

Indul

Indulgentiam & remis. &c. Et illa. Dominus noster Iesus Christus per misericordiam & meritum passionis suæ dignetur te à peccatis tuis absolueret: & tum demum subiungunt Absolutionem. Et ego te absoluo, &c. Istæ & similes orationes ad Absolutionis rationem seu necessitatem nõ pertinent, ritè tamen & piè Absolutionem præcedunt. Si quidem confitentis simul & Sacerdotis animum in Deum erigunt, & vtrunque faciunt diuini operis meminisse, vt intelligant, in remissione peccatorum ministerium quidè Sacerdotis, donum autem Dei esse, & Absolutionem humana voce, sed virtute diuina, peragi. Hæc de Confessione (quæ est altera Pœnitentiæ pars) & ijs, quæ ad ipsam pertinent, dicta sufficiant. Nunc ad Satisfactionem, & tertiam Pœnitentiæ partem, accedendum.

DE SATISFACTIONE.

Inter reliqua salutis nostræ Sacramenta, quæ Christus discipulis suis, eorumque successoribus Sacerdotibus, dispensanda commisit, eisdem super peccata hominum potestatem traditam esse, supra ostensum est: non simplicem illam, sed conditione diuina, vt aut soluant, solutione digna, aut alligent quæ oportet: nec liberam, qua pro suo arbitratu vtantur, sed qua ad Domini sui voluntatem respicientes, diligenter considerata criminum qualitate, soluant ligentve, quos diuina sententia soluendos ligandosve cognouerint. Hinc Catholica Christi Ecclesia iam inde ab initio hunc morem, non humana traditione, sed diuino mandato acceptum, obseruauit, vt Ecclesiârû præfides ijs, qui post Baptismi emundationem rursus peccatis inuoluti, quoties respiscere vellèt, secundum delictorum mensuram, Pœnitentiam imponerent: nec eos, nisi quibusdam castigationibus purgatos, ad Sacramentorum communionem admitterent. Hoc enim Euangelij vigor exigit, vt qui post gratuitam Dei misericordiam rursus peccauerunt, non iam gratis, sed per Pœnitentiæ lætæ recipiantur ad veniam, vt peccatorum suorum illecebras

bras molestis quibusdam exercitijs & carnis afflictione dependant. Sic enim temperanda sunt Pœnitentiæ exercitia, vt molesta sint sensui carnis, & pœnam habeant. quò peccatum voluntarium inuoluntaria pœna redimatur, & priora vitia contrarijs virtutibus eluantur, iuxta Gregorij sententiam, qua Christum ait veteri vitæ nostræ in vitijs enutritæ nouitatem suam opposuisse, & peccatis diuersa adhibuisse medicamenta, vt lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinè, elatis præciperet humilitatem. Quod idem Apostolus ferri præcipit. Sicut exhibuistis, inquit, membra vestra seruire immundiciæ, ac iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra, seruire iustitiæ in sanctificationem.

Talia autem pietatis exercitia, quæ per Sacerdotes ijs, qui à peccatis respiscere volunt, imponuntur, Ecclesiastici Patres Satisfactionem appellarunt. Cuius præcipuæ species sunt tres, quas diuus Hieronymus arma Pœnitentiæ non inconuenienter appellat: Oratio, Eleemosyna, & Ieiunium, quemadmodum & peccata ipsa in tres præcipuas species digeruntur. Siquidem omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorû, & superbia vitæ, quæ his Pœnitentiæ armis expugnantur. Ieiunio enim incensa carnis concupiscentia extinguitur, Concupiscentia oculorum (quæ est diuitiarum auiditas) medetur Eleemosyna: Vitæ autem fastum deprimit & effugit Orationis humilitas.

Et cum per peccatum homo aut Deum offendant, aut proximum lædat, aut seipsum destruat: ritè pro peccati remedio tria hæc, Oratio, Eleemosyna, & Ieiunium, adhibentur, vt Oratione Deum sibi peccator recõciliat: Eleemosyna satisfaciatur proximo: seipsum verò sibi restituat salubri Ieiunio.

Interim tamen quicquid piè agitur, Pœnitentiæ appendix est, & inter Satisfactionis opera ritè connumeratur. Tota enim iustitiæ & æquitatis executio ad satisfactionem spectat, vt nihil apud se residere patiaturs, qui satisfacc-

re cupit, quominus alteri, qui Iesus est, vel famæ, vel rerum suarum dispendia integrè fartiantur.

Satisfactionem autem non eo sensu appellant Ecclesiastici Patres, quasi nos operibus nostris remissionem peccatorum nostrorum mereri, aut poenam æternam peccatis nostris debitam, ista Satisfactione nostra abolere valeamus. Illam enim Satisfactionem, qua nobis delictorum nostrorum culpa remittitur, & æterni ignis poena auferatur, soli Christo tribuimus, qui seipsum impendens pro nobis, vt nos à peccatis nostris redimeret, factus est propitiatio pro peccatis nostris, & non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. Cuius merito, absit vt ingrati tatum derogemus, aut operum nostrorum meritis inflati & superbi tatum arrogemus, vt si omnium hominum omnia merita in vnum confluant, pro vnius hominis delictis absque Christi Satisfactione satisfacere posse asseueremus. Ideoq; Ecclesiæ Sacerdotes in virtute & gratia Domini nostri Iesu Christi contentes absoluunt, eosq; de sola Dei misericordia remissionem peccatorum suorum sperare iubent, non ex fiducia Satisfactionis, quæ nostro seculo demum post Absolutionem implenda ipsis imponitur. Quæ tamen sequens Satisfactio in ijs, qui ex Dei misericordia per Absolutionem Sacerdotis plenam criminum suorum remissionem consecuti sunt, multiplici de causa salubris & necessaria esse dignoscitur.

Ephef. 6. Prima est, quod post remissionem peccati (quam per Sacerdotis ministerium de Christi beneficio accepimus) plærung; in nobis adhuc quædam peccati reliquiæ resident, pijs exercitijs eluendæ, & quædam de peccato relicta manet infirmitas, quæ sequentibus remedijs sananda, & ad debitum robur perducenda est. Peccata enim non sordidant tantum animam hominis, sed vulnerat: quæ vulnera est cupiditatis carnalibus sopiti, quasi alienatis mente, non sentimus, demonstrante tamen ac denunciante scriptura agnoscimus. Hinc enim Apostolus iubet nos scutum fidei assumere, in quo possimus omnia tela nequissimi extinguere: sentiens, animam peccatis quasi quibusdam telis vul-

vulnerari, qui tropus Prophetis frequens est. Sordes ergo peccatorum per Dei misericordiam cito abluuntur: ad sanandum vero opus est curatione multa. Tamen enim in Absolutione Sacerdotis ex gratia & veraci promissione Domini omnis peccatorum culpa remittitur, illa tamen ex peccatis residua infirmitas continuis remedijs adiuuanda & stabilienda est, donec ad debitum robur rursus adolefcat.

Bernard.
in Serm.
de Cena
Domini.

Huc illa seruiunt pietatis exercitia, quæ respicientibus post Absolutionem Satisfactionis nomine imponuntur, quæ nisi cautè & diligenter adhibeantur, dum anima adhuc ex peccatis recens & ægra est, facilis sit ad priora vitia; quæ vix dum bene dedidit, relapsus, & in pristinum morbum recidiuatio.

Pauci autem sunt (& qui sint, Deus nouit) quos tanta virtute curet Deus, vt subito & peccati culpa careant, & reliquam ex peccato debilitatem animæ nullam sentiant: qualem utiq; Dauid sentiebat, post dimissam adulterij & homicidij culpam, pro pristina animæ sanitate ad Deum clamans. Cor mundum crea in me Deus. Redde mihi lætitiã salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.

In hanc sententiã pulchrè admodum Origenes differt, ostendit, post peccati remissionem restantes eius reliquias noua Satisfactione & purgatione opus habere: In vulneribus (inquit) corporum, posteaquam curata fuerint, remanet interdum ipsius vulneris signum, quod cicatrix appellatur. Vix enim est, qui ita curetur, vt nullum suscepti vulneris residere videatur indicium. Transi nunc ab ista legis umbra ad veritatè eius, & intuerè, quomodo anima, quæ peccati vulnus acceperit, etiã si curetur, tamen habet peccati cicatricem in loco vulneris residentem. Quæ cicatrix non solum à Deo videtur, sed & ab eis, qui acceperunt gratiã, qua peruidere possint animæ languores, & discernere, quæ sit anima ita curata, vt omni genere vestigium illati vulneris abiecerit, & quæ curata quidè sit, sed ferat adhuc veteris morbi in ipso vestigio cicatricis indicia. Et post pauca. Sed vide quia etiã si mudetur quis à peccato, & iam

Origenes
super Leuit.
Ho-
me. 8.

non

non fit in opere peccati: ipsa tamen vestigia sceleris commisi purificatione indigent. Et ibidem. Vnde mihi videtur quaedam in ipsa purificatione differentias & (vt ita dixerim) profectus quosdam purgationum esse. Potest enim & de illo, qui cessat à peccato, dici, & mundus erit: sed non statim ita mundus erit, vt ad summum puritatis accesserit. Hæc Origines.

Nec mirum videri debet, si post actualis peccati remissionem ex eo tamen quædam naturæ imbecillitas, & pristini morbi reliquæ, in nobis resideant: cum simile euenire in Originali peccato, manifestè deprehendamus. Si quidem omnis culpa Originalis peccati nobis in Baptismo remittitur, attamen sauciaturæ naturæ damna per omnem vitam in nobis sentimus, Concupiscentiæ videlicet repugnantem Spiritui, & ad mala nos sollicitantē, quæ quoad viuimus, pijs exercitijs retundenda & sananda est.

Vides ergò quàm religiosè & salubriter his, qui à peccatis suis vere resipiscere volunt, post dimissam peccatorum culpam, insuper tamen Satisfactionem iniungit Ecclesia, non qua illi peccatorum suorum remissionem mereantur (quam iam gratia & misericordia Dei consecuti sunt) nec qua mortem æternam redimant (iam Christi merito sublatam, sicut scriptum est. Aculeus mortis peccatum. Deo autem gratia, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum) sed vt pio Satisfactionum exercitijs residuas peccati reliquias eluant, & adhibitis remedijs, naturam suam, etiamnum ex peccatis ægram, paulatim consistant, & ad ianitam robustam adducant: nec patiantur, eam ad peccata, quibus vix dum dissiuuit, cito relabi, sed noua viuendi ratione occupatam, à veteri cõsuetudine abstineat, vt sic pristinis peccatis diuersa faciētes, in continua peccatorum displicentiâ perdurent, donec per sanctam illam conuersationem prorsus extincta & abolita veteri consuetudine, in bonis operibus voluntate pariter & exercitio per Dei gratiâ confirmetur. Atq; id est quod Chrysostomus ait, de debita Pœnitentiæ actione loquens. Non satis esse vulnerato, si de corpore spiculum euulserit: sed

sed insuper vulnus fouendum appositis remedijs, donec ad pristinam firmitatem rursus coalescat. Et quod Augustinus Satisfactionem ita definit. Satisfactio est peccatorum causas excidere, & suggestionibus eorum aditum non præbere.

Altera causa est, cur vtilis prorsus & salubris sit etiam pro remissis peccatis Satisfactio. Posteaquam enim omnis peccatorum culpa per Dei misericordiam & gratiam ex merito Christi soluta est, non tamen mox etiam omnis pœna pro peccatis debita, remissa & condonata est: sed Deus vnâ cum peccati culpa æternam quidem damnationem pro peccato debitam, relaxat & condonat: nihilominus tamen temporali pœna in peccata nostra vindicat. Aut si pœnam in hac vita distulerit, saltem in alia vita iusta Dei severitas delicta hominum debitis, licet non sempiternis, supplicijs compensat & purgat. Quod non mirabitur, quisquis Deum simul misericordem & iustum esse cogitauerit, dicente propheta. Iudicium & misericordiam cantabo tibi Domine. Et alibi. Tu Domine Deus miserator, & misericors, & patiens, & multæ misericordiar, & verax. Vnde Augustinus ait. Sic dat misericordiam Deus, vt veritatem seruet, vt non sinat peccata eius impunita, cui ignoscit: ignoscit autem seipsum punienti. Misericordia ergò Dei est, cum hominem liberat à peccati reatu, æternam mortem remittens ex gratia. Iustitia autem & veritas est, cum peccatum temporali afflictione punitur, siue eam homo sua sponte subierit, siue nimium sibi indulgendo Deum in ultionē prouocauerit, vt iudicet & corripiat Dominus eum, qui seipsum iudicare noluerit.

August.
super psal.
mo. 50.

Hæc est ergò Satisfactionis nostræ lex & utilitas, vt cū peccatorum nostrorum, adeoq; etiâ æternæ mortis, quam delicta nostra commeruerant, remissionem & condonationem Deo miserante acceperimus, non tamen cessemus punire in nobismetipsis quod deliquimus, sed per pia Satisfactionis exercitia (siue sponte nostra suscepta, siue per Ecclesiæ Præsides nobis iniuncta) contendamus iustam Dei offensam mitigare, & imminentem ab ipso pœnam

propria punitione præuenire & auertere, vt fiat in nobis quod Apostolus ait. Si nos ipsos diiudicemus, non vtique diiudicemur.

Cæterum, post culpæ remissionem Deum tamen poenitentiam saltem temporalem pro peccatis infligendam referuare, manifestis scripturæ testimonijs demonstratur. Prima transgressionis culpam Protoplastis ad Pœnitentiã ipsorum remisit Dominus, à qua sine dubio nos in Baptismo abluti sumus, attamen peccatum illud Deus in primis parentibus multiplici afflictione puniuit, & idem hodie in nobis tot morbis, tot vitæ huius incommodis, & hæc temporali morte, vindicat.

Dominus iratus filijs Israël, deprecante Moyse, indulget culpam, referuauit poenam, dicens. Dimisi eis iuxta verbum tuum, attamen omnes isti homines, qui videntur Maiestatem meam, & signa, quæ feci in Aegypto & in solitudine, & tentauerunt me, non videbunt terram, pro qua iuravi Patribus eorum. Similiter Moyfi & Aaron ignouerat Deus incredulitatis seu fastus culpam, quibus tamen pro peccato isto hanc poenam intentauit, vt neuter intraret terram promissionis. Dauid post Confessionem audiverat, Dominus transtulit peccatum tuum: Attamen, pro peccato illo, morte pueri, & grauissima Absolonis perfestatione, varijsque incommodis conflictatus, perpetrati criminis grauem poenam exoluit, vt eius vnus exemplo scitis appareat, Deum peccata, quorum culpam remittit et gratia, pro iustitia sua sine vltione nequaquam deferentiam verò hoc etiam obiter occurrit considerandum, cum multi qui grauius deliquerunt, vbi per Pœnitentiã redierunt in gratiam, nullas in hac vita pro delictis suis poenas recipiant: restare, vt hi saltem in alia vita poenas persoluant, ne iniustitia apud summum iudicem inueniatur. Alioquin enim ratio inueniri vix posset, quomodo Deus semper iustus & sanctus, non iniustus videretur, si pro delictis suis alius in hac vita poenam sustineret, alius impunis euaderet, nisi post hanc vitam æqua omnium compensatio expectaretur. Vnde satis euidenter euincitur, pro omni

ni delicto (etiã si culpa, Deo miserante, remittitur ex Poenitentia) poenam siue in hac vita, siue post hanc vitam sustinendam, nisi homo iustam Dei vindictam spontanea afflictione præuenierit. Atque hinc Satisfactionis Poenitentialis necessitas & utilitas facillè perspicitur, qua diuinam vltionem auertimus, ac iustum iudicem mitigamus, ne iudicet, quos seiplos iudicantes videt: nec insuper affligat, quos sub potenti manu sua humiliatos, & pro delictis suis seiplos affligentes & punientes, aspicit.

Hinc etiam illud considerandum venit, delinquentium plerumque & conditionem & causam diuersam esse, cum quidam paucis & minimis, alijs multis & grauissimis criminibus implicetur, & alij magna tentatione impulsus, alij sola animi malitia inducti, peccent. Quod autem ad culpæ remissionem attinet, pares sunt & qui multum, & qui parum deliquerunt. Vtrisque enim ex æquo culpa peccati & æterna poena, integre per Dei misericordiam & Christi meritum remittitur. Iustum est itaque, vt saltem in temporali afflictione impares sint, qui in delinquendo multum impares fuerunt: & acriori Satisfactioni subiiciatur is, qui grauius deliquit, vt compleatur quod scriptum est. Pro mensura peccati, erit & plagarum modus. Et. Quantum glorificauit se, & in delictis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Huc respexit Dominus, cum multum diligenti multum remitti afferuerat. Nam illi etiam, qui infra perfectionis gradum diligit, dum remittitur, vtique tota peccati culpa remittitur (aut enim totum, aut nihil remittit Dominus: & nefas est putare, aliquem simul ob vnus peccati remissionem in gratia Dei, & ob alterius retentionem in ira & perditione consistere posse) Quod itaque minus diligenti minus remittitur, vtique ad poenam peccati, post remissionem culpæ remanentem referendum est. Vnde apparet, post remissam culpam, poenæ debitum restare piæ & dignæ Satisfactione diluendum, ad quam Sapiens cohortatur, Fili peccasti, non adicias iterum, sed & de pristinis deprecare, vt dimittantur tibi. Et alibi. De proprio peccato, noli esse sine metu, neque adicias peccatum super peccatum. Et ne dicas: Miseratio Dni magna est, multitudinis peccatorum

meorū miseribitur. Misericordia enim & ira, ab illo citò proxinant, & in peccatores respicit ira illius. Hic quid aliud innuit Sapiens, quàm vt etiam pro remissis peccatis solliciti, spontanea castigatione diuinam ultionem prauertamus, nosmetipsos diiudicantes, ne à Domino diiudicemur?

Vides ergò, quæ sit ratio Satisfactionis Canonice, quæ inde ab initio vniuersa Christi obseruat Ecclesia? Non vtique illa (vt dictum est) quasi per nostra merita remissionem culpæ & æternæ mortis abolitionem quæramus, qui solius Christi beneficijs ferimus acceptam: sed vt peccati restantas reliquias pio Pœnitentiæ exercitio diluamus, & pœnam temporalem nostræ Satisfactionis operibus mitigemus, quæ iam Deo placent, ex cuius gratia fiunt, mouente nos & ad talia opera efficienda adiuuante Spiritu Dei. Quæ iam meritum satisfaciendi pro restantibus pœnis habent non ex sui dignitate, sed ex gratuita Dei acceptione, qui, vt sibi parcentem odit & punit, ita seipsum punienti miseretur & ignoscit, iuxta Pauli sententiã. Si nos ipsos diiudicaremus, non vtique diiudicaremur.

Talem autem Satisfactionem, Christi Ecclesia non ex hominum traditione, sed diuinitus ostensam & mandata accepit. Nam et si vocabulum Satisfactionis sacra scriptura tacet, rem tamen eius & opus ipsum Satisfactionis, exemplis clarissimis vbiq; ostendit, & disertis testimonijs eam fieri & obseruari præcipit. Principiò Satisfactionis exempla manifestiora tantum de scripturis sanctis producenda sunt. Ninuittæ, cum euerisionem ciuitatis suæ futurã Ionã denunciãte cognouissent, iustam iram Dei suscepta Satisfactione placare intenderunt: ieiunantes, & in sacco & cineribus volutantes, clamauerunt ad Dominum. Vis scire, quid profecerint? Vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & miseratus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat vt faceret, & non fecit. Achab post comminationem Domini, operuit cilicio carnem suã, ieiunauitq; & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Et dixit Dominus ad Heliam. Nonne vidisti Achab humiliatum

liatum coram me? Quia ergò humiliatus est mei causa, nõ inducam malum in diebus eius. Sed & perpetua Israëlitiçi populi disciplina fuit, vt quoties peccatis eorū irritatus Dominus pœnam induceret super eos, spontanea humilitate Domino satisfacerent, & cilicijs induti ac conspersi cinere, ieiunijs & fletibus sese assiligerent, & orationem fundentes ad Dominum, imminentes pœnas à se amolirentur, eisdem planè operibus, & pari Pœnitentiæ disciplina, qualem perpetuo tenore & vnanimi consensu sancti Patres in Ecclesia Christi sub Satisfactionis nomine huc vsque tradiderunt.

Sed nunc ab exemplis scripturæ, ad præcepta Satisfactionis transeundum. Populus Israël illam humiliationis disciplinam non ex vsu solum, sed ex præcepto Domini obseruauit, Leuit. 16. 1. Esd. 8. Iudith. 4. Psal. 34. 1. Paralip. 7. Hier. 18. Et alibi præcipit Dominus. Conuertimini ad me, & agite Pœnitentiam. Et ne quis respicientiam à peccatis tantummodo exigi putet, apud Ioëlem operosam satisfaciendi disciplinam exprimit Dominus. Conuertimini ad me (inquit) in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & in planctu.

Huc illæ pertinent de Eleemosyna sententiæ. Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat, & nõ patitur animã ire in tenebras. Ignem extinguit aqua, & Eleemosyna resistit peccatis. Et illud Danielis consilium suadentis Regi, vt peccata sua Eleemosynis redimeret. Ex quibus omnibus admonente scriptura docemur, pœnas peccatis nostris debitas talibus Satisfactionum operibus auerti, ac tolli posse.

Similiter etiam in nouo Testamento Ioannes, ijs qui peccauerant Satisfactionem indicit. Facite ergò (inquit) dignos fructus Pœnitentiæ. Et Paulus. His qui Damasci sunt primum (inquit) & Hierosolymis, & in omni regione Iudææ, ac Gentibus annunciabam, vt Pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna Pœnitentiæ opera facientes. Vterq; autem non solum à peccatis respicientiam,

piſcentiam, ſed dignos reſpiſcentiæ ac Pœnitentiæ fru-
ctus, expoſtulant. Sunt autem fruſtus Pœnitentiæ ea ipſa
opera, quæ ex Pœnitentia, quatenus eſt Pœnitentia, pro-
cedunt: ne quis putet opera bona aliò qui debita, ad Pœni-
tentiæ Satisfactionem ſufficere. Sunt enim alij bonorum
operũ fruſtus, vnoquoq; in nomine Chriſtiano digni, & alij
fruſtus pœnitente homine digni. Nam vltra reliquos vir-
tutum & bonorum operũ fruſtus (qui vnumquenq; Chri-
ſtianum decent) à pœnitente exigitur, vt à licitis quoq; ſibi
temperet, qui in illicitis nimis eſt luxuriatus. Quod dicitur
Gregorius indicat, Aliud eſt (inquiens) fruſtum facere &
aliud, fruſtum dignũ Pœnitentiæ facere. Quiſquis illicita
nulla commiſit, huic iure conceditur, vt licitis vtatur, ſcã
pietatis opera faciat. At, ſi quis in fornicationis culpa ſcã
adulteriũ prolapsus eſt, tantò à ſe licita debet abſcindere,
quantò ſe meminit illicita perpetrãſſe. In quam ſententiã
planius loquitur Chriſoſtomus. Pœnitentiã verò dico, nã
ſolũ, vt à malis prioribus deſiſtamus: verũ etiam, vt bono-
rum operũ fruſtibus impleamur. Facite, inquit, dignos fru-
ctus Pœnitentiæ. Quo autem modo fructificare poterimus?
Si vtiq; peccatis aduerſa faciamus. Aliena rapuiſti, inſup-
iam donare, propria. Longo es tempore fornicatus, a legi-
timo quoq; vſu ſuſpendere coniugij, ac perpetuam com-
mentiam ſæpius paucorũ dierum caſtitate meditare. In-
iuriam vel opere cuiquã vel ſermone feciſti: refer ben-
dictionis verba conuitijs, & percutientes te nunc officiũ,
nunc etiam beneficijs placare contentes. Neque enim vul-
nerato ſufficit ad ſalutem, tantummodo ſpicula de corpore
euellere, ſed etiam remedia adhibere vulneribus. Vi-
diſti impudicis oculis alienum decorem, iam ſceminum
omnino non videas, maiore tactus cautione poſt vulne-
ra. Declina, inquit, à malo, & fac bonum. Haſtenus Chry-
ſoſtomus.

Similiter & alij Eccleſiaſtici Patres vno conſenſu Satis-
factionem, vt neceſſariam & diuinitus mandatã Eccleſiæ
disciplinam, aſſeuerant: quorum ſententiã poſt ſcripturã
teſtimonia ſubdere non pigebit. Cyprianus acerrimè in-
prehendit eos, qui contra Euangelij vigorem, contra

Domini & Dei legem, iis qui deliquerant, antequã ple-
nam egiſſent Pœnitentiam, & Domino Deo, in quem de-
liquerant, ſatis feciſſent, temerè & leuiter peccata relaxa-
bant, quæ iuxta Euangelij vigorem nõ prepropera indul-
gentia, ſed matura Satisfactione delenda ſunt. Et eo ve-
tuſtior Tertullianus, inſignem de ſatisfaciendi diſcipuli-
na librum reliquit, cui titulum fecit, De Pœnitentia. Hiero-
nymus ſuper Ezech: 7. Qui vixerãt in deliciis, inquit,
poſtea pœnitentes viuant in aſteritate & duritia. Idem.
Peccator dormiat in ſacco, & præteritas delicias vitæ au-
ſteritate compenſet. Et idem. Pœnitentia non amat deli-
cias: quia cinerem, inquit, tanquã panem manducaui.
Ambroſius, Satisfactionem pro peccatis docet ad virgi-
nem corruptam. Pœnitentia ergo, inquit, non verbis agẽ-
da eſt, ſed actu. Lugubris tibi ſumenda eſt veſtis, & mēs,
ac membra ſingula digna caſtigatione puniẽda. Et idem.
Qui agit Pœnitentiam, non ſolum diluere lachrymis debet
peccatum ſuum: ſed etiam emendatioribus factis ope-
rire & tegere facta ſuperiora debet, vt ei non imputetur.
Auguſtinus. Non ſufficit, mores in melius mutare, & à fa-
ctis malis recedere, niſi etiã de iis, quæ facta ſunt ſatisfiat
Deo per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacri-
ficiũ, cooperantibus eleemoſynis. Beati enim miſericor-
des: quoniam ipſorum miſerebitur Deus. Nõ enim dictum
eſt, vt tantum abſtineatis à peccato, ſed de præteritis, in-
quit, deprecare, vt dimittantur tibi. Idem. Continue, in-
quit, dolendum eſt peccato, vt ſemper puniat in ſe vlcif-
ſcendo, quod commiſit peccando.

Lõgum eſſet, veterem Eccleſiæ diſciplinã circa Satis-
factiones eorum, qui deliquerunt per omnium Ortho-
doxorum teſtimonia demonſtrare, quã ſeueriſſimã
fuiſſe, Tertullianus de Pœnitentiã: Cyprianus de lapſis:
Hieronymus in Fabiolã pœnitentiã, & caput trigefimum
quintum Hiſtoriæ tripartitæ: ſimul etiam multi in hanc
rem multorũ Canones æditi, ſatis oſtẽdũt. Itaq; pudet di-
cere pigeatq; meminiffe, quantũ à vigore & ſeueritate an-
tiquæ iſtius diſciplinæ, noſtri ſeculi mores deſlexerint.

Chriſ. ſt.
in Mat.
Hom. 10
Ad pap.
hom. 41.
30.

Cyprian.
lib. 3. epi.

Multus olim labor Orthodoxos Patres exercuit, dum illis resistunt, qui post Baptismum delinquentibus vel prorsus nõ dandam, vel saltem in quibusdam grauioribus delictis non admittendam Pœnitentiam æstimabant. Adeo, vt non solum Nouatiani omnem Pœnitentiam post Baptismum negarent, sed quidam etiam sancti Episcopi (nimis tamen seueri, & zelum non secundum scientiam habentes) locum Pœnitentiæ contra adulteria claudendum putarent. Nunc verò Christiani vulgo ad sperandam veniam tam proni sumus, vt pro delendis peccatis vix gemitu opus esse censeamus. Nec desunt, qui hæc vulgi negligentiam blandis, sed perniciosis sermonibus foueant, ad quantumuis leuem de Dei misericordia confidentiam, omnium delictorum veniam, & tam culpæ quàm pœnæ omnis condonationem pollicentes. In quos illud Cypriani aptè torqueri potest. Emerfit dilectissimi, inquit, nouum genus cladis, & sub titulo misericordiæ fallens malum, & blanda pernicijs. Contra Euangelij vigorem, contra Domini & Dei legem, temeritate quorundam laxatur incautis communicatio. Irrita & falsa pax, periculosa dantibus, nec accipientibus profutura. Non concedit pacè facilitas ista, sed tollit. Tætatio est hæc, per quam subtilis inimicus impugnantis adhuc lapsis occulta populatione grassatur, vt lamentatio cõquiescat: vt dolor sileat: vt delicti memoria vanescat, comprimatur peccatorum gemitus, statuatur sletus oculorum, ne Dominum grauius offensum longa, & plena Pœnitentia deprece mur, cum scriptum sit. Memento vnde cecideris, & age Pœnitentiam. Hæc contra sui temporis Episcopos quosdam Cyprianus queritur, quorũ similes multos tulit ætas nostra, qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis, ad capiendas animas: qui cõtra Euangelij vigorem veniæ facilitatem promittentes, malitiam hominum in immensum augent. Nimirum ista Diaboli est nociua persecutio, sub falsa securitate in cautas animas ad certũ interitum venantis. Dum enim spe facilis veniæ nihil metuitur, scelera sceleribus cumulantur, quæ dum sub hac securitate sine omni castigatione propria transmittimus, nobis ipsis temerè indul-

dulgentes, contra nos diuinam vindictã iritamus, contestante Apostolo, & dicente. Si nos ipsos diiudicaremus, non vtiq; diiudicaremur.

Olim, qui deliquerant, ad communionem non recipiebantur, antequàm plena Pœnitentia pro delictorum qualitate satisfecissent, nisi aut mors vrgeret, aut alia ingens necessitas cogeret reconciliationem accelerare: quo tamen casu adiiiciebatur cõditio, vt si Domini gratia conualluissent, pro peccati mensura Canonicam Satisfactionem adimplerent. Eamq; publicam iniungebant, non pro manifestis tantum, sed etiam occultis delictis grauioribus. Quam seueritatem, cum semper in peius vergentes hominum mores non ferrent, hodie res ad multò maiorem leuitatem redacta est. Nam hodie ante Abolutionem imponitur quædam Satisfactio pro delictis, sed demum post reconciliationem implenda. Nec alia hodie ferè, quàm priuata Satisfactio agit. Interim apud paucas Ecclesias Cathedrales hic mos remansit, vt pro manifestis & atrocissimis criminibus Satisfactio publica ab eo, qui sic deliquit, recipiatur, priusquàm illi reditus ad communionem pateat. Quod autem ad delicta occulta attinet, talem moderationem iubent Ecclesiasticæ leges hodie, ne cuiquàm inuito publica Pœnitentia pro peccato occulto, quantumuis atroci, imponatur: neve pro priuata Satisfactione talis castigatio adhibeatur, vnde is, qui occultum crimen confessus est, per Satisfactionis signa prodatur. Quam tamen Ecclesiæ lenitate non contenti improbi mores huius seculi, maiorem insuper facilitatem sibi vsurpant. Non enim in occultis solum, verum etiam in publicis delictis nemo fere quisquã aliam, quàm priuatam Pœnitentiã imponi sibi sustinet, eamque tanta negligentia iniungunt Sacerdotes, tanta leuitate & contemptu suscipiunt & gerunt Laici, vt quisquid nũc in Ecclesia Pœnitentiæ vice agitur ludus iocusq; nõ pro delictis satisfactio, videri possit.

Sciendum autem in primitiua Ecclesiã triplicem Satisfactionem seu Pœnitentiam (Nam vsus Pœnitentiæ vocabulũ fere soli Satisfactioni attribuit) obseruari solitam

12. q. 2. de
viro. 32.
q. 2. lato-
rem.
Prima

Vide Cyprian. epi-
stola ad
Antonia-
num libr.
4. epist. 2.

Prima erat solennis, quæ pro atrocissimis sceleribus, & semel in vita agebatur. De hac intelligendum est, quod Origenes, Ambrosius, atq; alij Partes, iterandam Pœnitentiam negant. Altera erat publica, cum quis in conspectu totius Ecclesiæ pro aliquo facinore perpetrato satisfaceret. Tertia priuata, quæ iuxta Sacerdotis consilium occultè adimplebatur, quæ sola hodiè in Ecclesia (vix tamen) locum retinet. Talem olim etiam in vsu fuisse, quidam veterum consuetudinum ignari, temere negare audent: cum constet, à priuata Confessione & Satisfactione demum ad publicâ Satisfactionem iudicio Sacerdotis trāsisse pœnitentes. Quod Origenes clarè indicat. Si is (de Sacerdote confessario loquens ad Pœnitentem) intellexerit, & præuiderit talem esse languorem tuum, qui in Conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilius sanari, multa hoc deliberatione, & satis periti illius medici consilio procurandum est. Similiter & Augustinus priuatæ Satisfactionis meminit de Ecclesiast, dog. cap. 53.

Ex his, quæ huc vsq; dicta sunt, perspicuè euadit, quanta sit etiam post Absolutionem, & tam culpæ quam æternæ pœnæ condonationem, Satisfactionis Canonice utilitas. Videlicet, vt propria castigatione imminentes peccatorum pœnas auertamus, & vt remedio sanctioris vite restantes in nobis peccati reliquias diluamus, & noua uenèdi cautione à reciduatione in sordes pristinas nos contineamus. Deinde, vt externam Satisfactionem voluntariè subeuntes, veram cordis nostri contritionem, & seriam de peccatis perpetratis displicentiam, ostendamus. Postremo, vt Ecclesiam quam offendimus, nobis reconciliemus. Et cæteri, qui vident castigationem nostram, simul & peccata aliena cautiore facti, deterreantur à flagitiis, & exemplo emendationis alienæ ipsi quoq; corrigantur.


Sic itaq; de Satisfactione sentiens Ecclesia Catholica nequaquam merito passionis Christi derogat, cui soli remissionem criminum uostrorum, & æternæ mortis abolitionem fert acceptam. Atq; vnicam Christi mortem ad delenda

delenda omnia peccata, præterita, præsentia, & futura, credit sufficere: asseuerans & contestans, Christum esse Agnum Dei, qui tollit peccata mundi. Christum esse propitiationem pro peccatis nostris: nec solum nostris, sed pro totius mundi.

Nostra autem pœnitentialis Satisfactio in hoc adhibetur, vt benignus & iustus Dominus, videns nos humiliatos, & delicta nostra contra nos ipsos vindicantes, mereatur ipse & parcat, & vindictam suam abstineat, Ion. 3. 3. Reg 21. 1. Cor. 11. Nec nos Pœnitentiæ nostræ operibus ex sui dignitate quicquam tribuimus, sed ex merito Christi, & benigna ac gratuita Dei acceptance (qui idem operatur in nobis opera nostra bona per gratiam suam, & eadem remunerat per misericordiam) credimus Pœnitentiam & Satisfactionem nostram ad remissionem peccatorum nobis proficere: quod Deus non aliter, quàm per Pœnitentiam remissionis Peccatorum beneficium, his qui deliquerunt, impartiri velit, contestate scriptura, Ezech. 18. 33. Ioël. 2. Luc 3. 13. 24. & c.

Itaq; mors Christi pro peccatis omnium satis fecit. Nos autem per fidem & Sacramenta Ecclesiæ, & præcipuè per Pœnitentiæ media, Satisfactionem Christi apprehendimus & nobis applicamus: omnium operum nostrorum & Satisfactionis fundamentum ponentes Christi merita, sine quibus inanis esset omnis nostra Satisfactio, inane omne opus nostrum.

Non igitur mortem Christi dehonestat aut euacuat pœnitentis hominis Canonica Satisfactio, nec magis absurdam rem facit, qui post Christi Satisfactionem, adhuc ipse sub obedientia matris Ecclesiæ pro peccatis suis piis operibus aut aliqua corporis sui afflictione satisfacit, quàm is qui post crucem Christi & passionem, ipse adhuc crucem suam gèstat, & in variis tribulationibus Christo cõpatur: aut qui post mortè Christi, ipse quoq; volupratibus seculi, & peccatorū illecebris moritur. Immo verò iis solis proderit



proderit Christi passio, qui ad exemplum Christi in mundo patiuntur, 1. Pet. 2. Rom. 3. Et eos solos liberabit mors Christi, qui Christo commoriuntur. Sic Satisfactio Christi, pro peccatis omnium. inpenſa, tamen solis illi applicabitur, qui in fide vera Pœnitentiæ remedium apprehendentes, ad placandam Domini iram ipsi sceleribus suis pœnam & Satisfactionem voluntariam impo-
nunt.

Obseruandum est, Pœnitentiæ vocabulum interdum singulis eius partibus attribui. Contritio enim Pœnitentiæ dicitur, sic & Confessio. Præcipuè verò Satisfactio publicè suscepta, Pœnitentiæ appellationem sibi vendicauit: ita, vt penè soli pœnitentes vocentur, qui publicè pro delictis suis satisfactionem sustinent.

Sacramentum autem Pœnitentiæ, potissimum in Absolutione Sacerdotali consistit, qua Sacerdos ministerio quidem suo, virtute autem Diuina, relaxat delicta contentu in verbo Domini, quod dixit. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorū retinueritis, retenta sunt.

Est itaque Pœnitentiæ Sacramentum sensibile signum, diuinitus institutum, quod à Sacerdote homini peccatis obnoxio, & de iis ritè pœnitenti administratum, certam illi significat peccatorum suorum remissionem. Hoc autem Pœnitentiæ Sacramentum, in Absolutione potissimum consistens, illam tamen, de qua supra dictum est, Pœnitentiam totam cum omnibus partibus includit & præexigit. Nisi enim peccator de admissis doleat per Contritionem, & Confessionis humilitate coram Deo & eius Sacerdote se reum agat, ac propositum vitæ in melius mutandæ animo concipiat, & simul de præteritis peccatis deprecetur Deum, vt dimittantur ei, paratus ad explendam Satisfactionem, siue spontè susceptam, siue à Sacerdote impostam, voluntarius etiam in pœnam temporalem, si quam illi iustus & bonus Dominus infligent decreuerit: idoneus non erit fructum Sacramentalis Pœnitentiæ suscipere. Sine his enim non agitur, sed simul

latur

latur Pœnitentiæ. Spiritus autem sanctus disciplinæ effugiet fictum.

Tametsi enim omnia Sacramenta suarum virtutum & operationum infallibilia sunt signa, quatenus ex Diuina virtute pendunt: tamen, vt sigillatim cuique profuit, fide accipientis & recto desiderio opus est, ne gratiæ Sacramenti opponat obicem.

Non enim subdola simulatione hominis falli potest Deus, qui ipse thesauris suis prouidet, nec sinit indignos obrepere. Nec debitor est indignis præstare, quod omnibus spondit. Liberalitas enim non seruitus sunt diuina beneficia, quæ ritè ambientibus liberaliter concedit, qui fidelis est in verbis suis: indignè irruentes in diuina beneficia procul semouet, & sine fructu, plærunque maiore ipsorum damno, repellit.

Hoc autem Pœnitentiæ Sacramentum, propria ratione Sacramentum est Ecclesiæ, omnes partes ad Sacramenti rationem pertinentes complectens. Nam materiæ rationem præstat homo peccator cõsuetens. Forma seu verbum Sacramenti sunt illa Absolutionis verba, quibus Sacerdos peccatori confesso delictorum suorum remissionem exponit, quam formam certam & simplicem adhiberi oportet, qua & sacerdos significare intendat, & cõsuetens planè intelligat, peccata per Confessionem detecta, virtute & beneficio diuino remitti.

Effectus huius Sacramenti omnes adnumerari possunt, qui supra de Confessionis vtilitatibus positi sunt: præcipuus verò is est, vt peccator serio confessus delicta sua, & Sacerdotis Absolutioni, tanquam diuinæ promissioni, fidem adhibens, peccatorum suorum indubitatam obtineat remissionem. Horum effectuum causa efficiens, est meritum Domini nostri Iesu Christi, & misericordia Dei, adimplens in ministerio Sacerdotis promissionem, quam dixit. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.

Quomodo

*August.
de unico
Baptismo
lib. 3. c. 16*

Quod ad externum gestum attinet in Absolutione adhibendum, liberum est Sacerdoti vel manus imponere seu per caput absoluendi: vel eum cruce signare, ad designandum, ex merito & passione crucifixi Domini remissionem peccatorum prouenire. Illud modò obseruet Sacerdos, ei, qui à schismate absoluitur, pro signo reconciliationis ritè & decenter manus Catholici Sacerdotis imponi.

Minister huius Sacramenti est Sacerdos, quem oportet doctrina & prudentia insignem, vita & conuersatione bonum & sanctum esse, & secreti tenacem. Misericordem insuper, & qui condolendi & compatiendi nouerit disciplinam.

Nec tamen putanda est huius Sacramenti virtus, quæ est peccatorum remissio, ex Sacerdotis dignitate pendere, quæ Christi beneficio contingit, qui per Spiritum sanctum solus purgat peccata conscientiarum: qui & solus pro peccatis nostris mortem pertulit, & solus sanguinè suam fudit in remissionem peccatorum. Verbum Dei, inquit, Ambrosius, dimittit peccata, Sacerdos est Iudex. Sacerdos officium suum exhibet, sed nullius potestatis iuram exercet. Et idem alibi. Ministerium est Sacerdotis, manus autem Dei.

Atque hinc scrupulus quorundam animis eximitur, habitantiū, qua ratione Sacerdos ipse etiam peccatis obnoxius, & propriis delictis alligatus, alios soluere & peccata eis remittere posse, credendus sit? Hi cogitent sacramentorum virtutem à ministris seu bonitate seu malitia prorsus diuisam, & ex Deo Sacramentorum omnium auctore æstimandam esse, qui per dispares ministros donum suum semper æqualia, semper bona & sancta, ritè accipientibus dispensat: nec potest bonum Sacramentorum usum malus minister facere deteriorem. Quod vt clarius intelligatur, pauca pro Sacerdotum ministerio, præsertim quod ad remissionem peccatorum attinet, differenda sunt.

Sciendum

Sciendum est itaque, Spiritum sanctum duplici modo dari & accipi (quod scolastici verbis ad intelligendi facilitatem accommodis dicunt) in gratia gratis datâ, & in gratia gratum faciente: Hoc est. Spiritus sanctus datur & accipitur, aut ad personalem sanctificationem eius, qui accipit: aut ad vtilitatè Ecclesiæ sine personali sanctificatione eius, per quem Spiritus sanctus ad aliorum vtilitatem dona sua communicat. Exemplum primi generis inuenitur in iis, quos Spiritus sanctus renouâs per gratiam suam, fide purificat corda eorum ad salutem. Secundi generis sunt omnia dona Spiritus sancti, quæ vnus & idem Spiritus singulis diuidit ad vtilitatem totius corporis Christi, prout vult: de quibus Apostolus. 1. Corinth. 12. Ea autem dona Spiritus sancti; dari posse sine personali sanctificatione eius, qui accipit ea, testis est Caiphaz, qui de morte Christi per Spiritum sanctum prophetauit, cum esset nequam. Testes sunt hi, qui in extremo die dicent Christo. Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus? quos tamen Dominus, vt iniquitatis operarios, à se repellit, dicens. Non noui vos. Testes etiam hi sunt, qui pulcherrima Spiritus sancti dona, doctrinam & scientiam, in multa malitia & peruersitate vitæ detinent.

Tale etiam donum est ministerium Sacerdotale, seu potestas illa consecrandi, & soluendi seu ligandi peccata hominum, quæ potestas vtique opus est Spiritus sancti, nihilominus tamen & accipi, & in alios ministrari potest hæc potestas sine personali sanctificatione eius per quem Domino placuit talem potestatem ad vtilitatem Ecclesiæ suæ exercere.

Itaque & malus Sacerdos Spiritum sanctum habet officij ratione, non quidem ad suam, sed Ecclesiæ vtilitatem. Et peccata remittit etiam peccator Sacerdos, sed remittit per Spiritum sanctum, cuius hæc tota virtus est: ita vt solum ministerium sit Sacerdotis, donum autem & virtus Spiritus sancti per Christum.

Hæc

Hæc in verbis Christi euidenter apparent, quibus Sacerdotalem potestatem instituit. Non enim dixit discipulis. Accipite gratiam Spiritus sancti, per quam puri, mundi, idonei, & digni efficiamini, vt aliis peccata remittere possitis: sed ita dixit. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt, hoc est. Ad Ecclesiæ utilitatem hoc donum accipite Spiritus sancti, vt quorum peccata remiseritis ministerio vestro, eisdem Spiritus sancti munere & virtute remittantur peccata in æternum, atque hanc tantam virtutem non vos, sed per ministerium vestrum operabitur Spiritus sanctus, &c.

Nec tamen dubitandum est, quin Christus simul cum dono isto Spiritus sancti gratuito, Apostolis etiam gratiæ charitatisque augmentum insufflauerit. Sicut hodie etiam hi, qui vel Sacerdotij officium, vel alia Spiritus sancti dona synceris & purgatis animis suscipiunt & dispensant, vnâ cum gratuitis donis, etiam ad sui sanctificationem gratiam gratum facientem accipiunt, qua iam non alijs tantum ad utilitatem, sed sibi etiam ad salutem cedat donum, quod acceperunt.

In iis verò, qui Sacerdotij potestatem, aliaque Spiritus sancti dona indigni accipiunt aut dispensant, sibi quidem damnationem propriam augent, erga alios verò, nihil obstat, quominus Deus benedictionem & gratiam suam, iis qui dignè exposcunt & ritè accipiunt, etiam per indignos ministros largiatur. Quare Deum glorificemus, qui talem potestatem dedit hominibus, & oremus eum, vt ministros Ecclesiæ suæ, si non vita iustos, saltem ministerio bonos & idoneos prouideat.

Ex his satis liquet, in Sacerdote, quantumlibet peccatis proprijs alligato, nunquam tamen potestatem ministerij esse alligatam, qua officium suum exequitur, & peccata remittit: hæc enim potestas nõ ex Sacerdote, sed ex Deo pendet. Et beneficium remissionis peccatorum non in Sacerdotis dignitate, sed in virtute Spiritus sancti,

Et, & in merito Christi consistit, & verbo Domini innititur, quod Apostolis eorumque successoribus Sacerdotibus dixit. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & cætera.

Ligatur ergò Sacerdos peccatis proprijs ad suam ipsius perniciem. Verbum autem Domini, & Spiritus sancti virtus, per quæ in Sacerdote remittendi & retinendi peccata ministerium viget, nullis omnino vinculis alligari potest.

Affectum, quo confitens Pœnitentiæ Sacramentum adire, & Sacerdotis Absolutionem audire debet, illa Christi verba in animis nostris excitant, quæ Apostolis & eorum successoribus dixit. Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis: & quæcunque ligaueritis super terram, ligata erunt in cælis. Et. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.

His verbis subnixam Absolutionem de Sacerdotis ore audiens peccator, confidat animo & Christum consolantem audire se existimet. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Nouit enim etiam hodie bonus & fidelis Dominus, promissionem suam seruare, & bona dona dare ritè petentibus se.

Hæc vsque de Pœnitentiâ.

DD

De Sacramento

EVCHARISTIAE.

I quis rationem huius ordinis exegerit, post Pœnitentiæ disciplinam priore loco traditam, nunc demum de sacrosancta Eucharistia institutionem positam videns, hunc de Apostoli commotione susceptum intelligat, quæ nos cum multa conscientia examinatione venire ad mensam Domini iubet, quod ex eadem mensa, sicut digni gratiam & vitam sumant: sic indigni perniciem sibi & mortem auferant.

Equidem post omnia, nos tam sancto & salutari cibo, quem hæc nobis mensa exhibet, indignos agnoscimus: cum tamen de iis, quæ contra Deum deliquimus, pœnitentes, per Confessionis humilitatem ab eo, qui talem potestatem à Domino accepit, delictorum nostrorum relaxationem quæsiuerimus, & cætera, quæ ad purgationem & emundationem nostri Deus nobis proposuit, executi fuerimus, iam confisi de bonitate & misericordia Domini, & ab ipso inuitati, læti & hilares ad mensam sanctissimi corporis & sanguinis eius venimus, omnis infirmitatis nostræ præsentaneum remedium, & certam animam vitam inde percipientes.

Magna profecto & debita ordinis ratio, ut cetera sanctificationis & purgationis Sacramenta sacrosanctam Eucharistiam præcedant, quæ Sanctorum & purgatorum tantummodo cibus est, quam mali & impuri sumentes, non pascuntur inde, sed perduntur: non vegetantur, sed tabescunt, & corporis pariter & animæ morbos mortemque sibi accelerant.

Sed nunc, quid salutaris Eucharistia contineat, quid nobis

nobis præstet, & quomodo ad sumendam eam digni venire debeamus, inquirendum venit.

Tria itaque sacrosancta Eucharistia à se inuicem discreta continet. Species videlicet visibiles, & veritatem sacrosancti corporis & sanguinis Christi, & vberem spiritalis gratiæ virtutem. Quod enim oculis nostris apparet, species sunt panis & vini: quod sub speciebus fides nostra comprehendit, verum corpus & sanguis est Christi: quod autem ex participatione sacrosanctæ Eucharistiæ haurimus & consequimur, virtus est gratiæ spiritalis & vita animæ. Non enim vita & gratia nobis dedit, cum vitæ & gratiæ vnicum sumimus auctorem.

DE VERBO, SEU FORMA

Sacramenti Eucharistiæ.

V Erbum, quo panis viniq; substantia in naturam transit corporis & sanguinis Christi, hoc est, Accipite & manducate ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum. Et iterum. Accipite & bibite ex eo omnes. Hic est enim calix sanguinis mei noui & æterni Testamenti, mysterium fidei: qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Sic enim Ecclesia refert sermonem Christi, quem in Cœna dixit, cum panem de mensa sumptum, & eiusdem verbi sui virtute in veram carnem suam versus, discipulis edendum porrexit, & calicem, quem eadem verbi sui efficacia iam sanguinem suum fecerat, bibendum propinauit.

His autem verbis fidem Ecclesiæ Catholicæ (qua verum Christi corpus, verumq; sanguinem in Eucharistia nobis exhiberi credimus) & ipsa sermonis perpicuitas, & asserentis potètia ritè considerata, satis stabilit & confirmat. Nemo enim, saltè mentis compos, cū corpus & sanguinè dici audit, ignorare potest, quid intelligere debeat.

præsertim, cùm de humana natura sermo habeatur, qualem in Christo verè fuisse fides nostra non ambigit. Verè ergò carnem Christi, sub panis specie opertam, in Eucharistia sumimus: verè sanguinem eius, sub specie & sapore vini, potamus. Sic enim nobis ipse Dominus promittit, qui idem & author huius muneris, & testis est veritatis. Hoc est, inquit, corpus meum. Et. Hic est sanguis meus. Quibus verbis non vtique virtutem aut figuram corporis & sanguinis sui designauit, sed ipsam corporis & sanguinis sui veritatem disertè expressit. An non ergò impij & in Dominum iniurij erimus, si verbis eius fidem detrahemus, & si testimonium eius in dubium reuocabimus, vt aliud quàm dixit, ex verbis eius aut ipsi credere, aut aliis interpretari audeamus?

Nunc, cùm sermonis perspicuitas ignorare nos non sinat, quid Dominus nobis sub panis & vini specie promiserit, multò minùs an hoc præstare potuerit, considerata promittentis omnipotentia nos dubitare permittit. Deus enim est qui loquitur, cuius dicere facere est, qui verbi sui virtute ex nihilo produxit viuersa. Qui panis viniq̃ue substantiam, cùm non esset, verbo suo creauit: quid mirum, si nũc creatam eodem verbo suo in aliam & meliorem transmutat substãtiam? Quippe, cùm minoris miraculi & virtutis videri debeat, si Deus id, quod ex nihilo condidisse agnoscitur, iam conditum in aliud valet transmutare.

Miranda quidem hæc sunt, vt non sit, quod videtur, & quod est videri nequeat, nosq̃ue negemus esse quod cernimus: & quod videre non possumus, id verè esse assereremus. Hæc cæca sunt rationi, sed clara & manifesta sunt fidei, qua non secundum sensum, sed ex verbo Dei iudicamur, & credimus, Deum ad faciendum esse efficacem & potentem; quantumuis nos ad intelligendum imbecilles & tardi simus. Opus aliquando industrii hominis oculis videmus, & tamen artem faciendi operis non apprehendimus: sed nunquid nostra ignorantia facultatem & possibilitatem artificis euacuat? Sic nimis humiliter de

Deo

Deo sentiunt, qui omnes actiones eius ratione comprehendere laborant. Non est in Deo lex corporalis intelligentiæ requirenda, ne operibus suis similem reputemus Creatorem: sed quoties mensuram intelligentiæ nostræ excedunt diuina opera, nos potius intellectus nostri raritatem & imbecillitatem accusare, quàm Dei potentiam negare debemus.

Sanè veritas corporis & sanguinis Christi, in Eucharistia multis sacre scripturæ exemplis magna similitudinis euidencia comprobari potest, in quibus verbi Dei potentia, & infallibilis veritas apparet: sed fidelis animus exemplis corroborari non desiderat, contentus tam claro Domini testimonio, qui muneris sui, quod dedit, ipse indubitratus testis esse voluit. Hoc est, inquit, corpus meum. Hic est sanguis meus.

Ille autem sermo Christi, non tantùm eo tempore efficax fuit, cùm Christus in cœna panem & vinum in corpus & sanguinem suum verbi sui virtute conuertit: sed idem nunc quoque sermo per omnes Ecclesiæ mensas in ore Sacerdotum operatur, & panis nostri & vini substantiam, potenti virtute sua in veram carnem & sanguinem Christi naturam transmutat. Nam etsi nunc Eucharistiæ consecrationem homo mortalis proferat, proferendo tamen nõ suis, sed verbis vtitur Christi. Et in consecrando quidem ministerium exequitur Sacerdos, sed potestatem consecrandi solus exercet Christus. Ideo non humana, sed diuinæ virtutis hoc opus vtique censendum est. Nam qui in cœna Eucharistiam consiciebat, idem nunc quoq̃ in Ecclesia in ministerio visibilis Sacerdotis, ipse inuisibilis Sacerdos assisens, visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, verbi sui virtute conuertit. Vnde intra Catholicam Ecclesiam in ministerio consecrandi corporis & sanguinis Domini, nihil à bono magis, nihil à malo minus perficitur Sacerdote: quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris, & in virtute Spiritus sancti. Si enim in merito Sacerdotis, nequam ad Christum pertineret. Nunc autem sicut ipse est

DD iij

qui

qui baptizat, sic ipse qui per Spiritum sanctum hanc operationem panis efficit carnem suam, & vinum transmutatio sanguinem. Itaque nihil hæsitemus, sub speciebus panis & vini, veram Christi carnem, & verum eius sanguinem in Eucharistia nobis exhiberi, ministerio quidem sacerdotis, virtute autem & potentia Domini nostri Iesu Christi.

DE MATERIA SACRAMENTI

Eucharistie.

Materia Sacramenti Eucharistie, est panis & vinum, ad quæ ubi consecratio accesserit per virtutem & efficaciam verbi Dei, in naturam transeunt corporis & sanguinis Christi. Itaque in Eucharistia hæc tria consideranda veniunt, visibiles panis & vini species, quæ tantummodo Sacramentum, id est, visibile signum sunt rei sacræ, hoc est, corporis & sanguinis Christi, quæ sunt res huius Sacramenti: & non modo per has species quadam similitudine signantur, sed sub ipsis speciebus re vera continentur. Deinde eadem similitudinis ratione verum illud Christi corpus, Sacramentum est mystici illius corporis Christi, quod est Ecclesia, cuius caput est Christus, quod in Eucharistia quidem non continetur, aptè tamen veri illius corporis similitudine significatur. Nam quod in verocorpore est diuersitas membrorum, hoc est in Ecclesia diuersitas donorum & gratiarum, quam diuersitatem charitas compingit, & dirigit in unitatem, cuius commercio, quasi in singulis Ecclesie membris excellens est & bonum, ut in communem omnium cedit utilitatem. Huius autem mystici corporis communio & incorporatio, præcipua Eucharistie efficacia & principalis virtus est, quam veri corporis & sanguinis Christi participatione nobis accipimus. Unde & Apostolus, ut hanc velut præcipuam Eucharistie efficaciam & virtutem insinuaret, veri corporis & sanguinis Domini participationem in illud mysticum Christi corpus ordinauit. Calix benedictionis (inquit) cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis

Christi

Christi est: Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est: Et huius sanctæ participationis fructum insinuans, subdit. Quoniam vnus panis & vnus corpus multi sumus, omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus. Atque hæc utilis est & vera manducatio Eucharistie, & verè spiritualis, ut in unitatem mystici corporis Christi, quod est Ecclesia, incorporemur; & in ea perseueremus. Sine hac, alia manducatio carnalis est, & ad nihil utilis. Dominus (inquit August.) nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis & unitatis in mensa sua proposuit. Qui accipit mysterium unitatis, & non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.

Christus autem ad corporis & sanguinis sui Sacramentum non aliarum rerum, sed præcipuè panis & vini species deligere voluit, idque multis de causis. In hoc enim Sacramente se Christus nobis insinuare voluit: non quatenus æterna est Patris sapientia, sed quatenus vera est hominum vita. Caro enim mea, inquit, verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Et. Qui manducat me, & ipse viuere propter me. Cum itaque Eucharistia dignè eam sumentes nutriat in vitam æternam, rectè in ijs rebus apparatur, quæ si non præstant æternam, saltem temporalem sustentant & conseruât vitam. Et cum cibo & potu ita viuamus, ut sine alterutro vita nostra durare nequeat. Christus, ut plenam saturitatem & æternam vitam de corporis & sanguinis sui participatione nobis prouenire insigniret, utrunque videlicet panem & vinum (quæ in vultu humano præcipua sunt) in Sacramento suo coaptauit. In hoc etiam panis & vini magis, quam aliarum rerum species in Sacramento profunt, ut inde fides nostra ad credendam in Eucharistia corporis & sanguinis Domini veritatem, aliqua similitudinis euidentiâ adiuuetur. Cum in naturali comestione panem in carnem humanam, & vinum in sanguinem transmutari quotidie experiamur, vicina similitudine facile adducimur, ut panis vinique substantiam in veram Christi carnem, verumque sanguinem, celesti benedictione & diuina virtute conuerti credamus.

In his etiam speciebus, quod nobiscum in Eucharistia agitur, apte adumbratur. Nam sicut nulla extrinsecus in pane & vino mutatio apparet, intus tamen substantia eorum verè transit in carnem & sanguinem Christi: ita in nobis, tamen si nihil foris appareat, intus tamen certò renouamur ad vitam, dum veram accipimus vitam. Christus enim nondum apparet nobis quod est: quia nos nondum apparemus quod sumus. Filij Dei sumus (inquit Apostolus. Ioannes) & nondum apparuit quid erimus, scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est. Et. Cùm apparuerit Christus vita nostra, tunc & nos cum illo apparebimus in gloria.

Demum, cùm hoc nobis vsus Eucharistiæ præstet, vt in communionem mystici illius corporis Christi, quod est Ecclesia, velut membra arctius inferamur & adglutinemur, ad insinuandam & commendandam talem vniionem panis & vinum aptissimè seruiunt. Nam & panis ex multis granis in vnum coalescit, & vinum ex multis racemis cõdit. Sic nos per vsum huius diuini mysterij, cùm multi sumus, in vnum coalescimus, & per Spiritum sanctum adnamur, eodemque pacis & charitatis vinculo velut mēbra in vnum corpus colligamur. Vnus panis & vnum corpus multi sumus (inquit Apostolus) omnes qui de vno pane & de vno calice participamus.

Cùm autem ad consecrationem Eucharistiæ panis viniq̄ue substantia non maneat, sed virtute omnipotentis verbi Dei in naturam transeat carnis & sanguinis Christi, vtiliter tamen externæ panis & vini species consecrati remanent in Sacramento, vt extet aliquod visibile signum, circa quod eructationis Christi, & nostræ in ipsum incorporationis, mysteria celebrari, aliaq̄, quæ per ipsam in Ecclesia vtiliter & salubriter fiunt, administrari valeat. Alioquin, si hæc elementa etiam secundum speciem externam in Christi carnem & sanguinem verterentur, ex eo nihil fructuosius haberet Eucharistia, quam nunc habet: insuper aut & fidei merum cessaret ad tam euidentis miraculorum, & perceptionis commoditas impediretur, si fortè crudam carnem,

carnem, & cruorem in sua specie videns homo fastidiret gustare, quod gustatum æternam præstat felicitatem.

Iam Ecclesia Catholica Dominus sui institutum imitās, separatim panem in corpus Christi, & vinum in sanguinē consecrat. Et tamen species separatæ non substantiæ diuisionem faciunt, sed significationis insinuant discretionē. Cùm enim Eucharistia instituta sit, non solum vt sumatur, sed vt in ea mortis Dominicæ memoria celebretur: dum panis dentibus teritur, caro Christi in passione attrita: & dum vinum in ora fidelium funditur, sanguis eius à corpore separatus & effusus, insinuatur. Et tamen sub alterutra specie, vnus & totus manet Christus. Itaque aliud quidem separatim significant species diuersæ, at non aliud continent, sed quælibet earum, eundem continent Christum, viuum, immortalem, immensum, indiuisum, & corpore simul & sanguine integrum. Nec ideo separatim dicitur corpus Christi, & separatim sanguis Christi, quod sub specie panis exangue corpus, & sub specie vini sanguinem effusum & à corpore diuisum, contineri credendum sit: sed ad renouandam passionis memoriam ita dicitur, vt in ea sanguis Christi à corpore separatus, & in precium redemptionis nostræ effusus designetur.

Ideo etiam sub duabus speciebus Eucharistia celebratur, quoniam Christus pro nobis mortuus est, qui in corpore & anima perieramus, animâ eius in mortem pro nobis positam, & in morte à corpore diuisam cogitemus, vt sic corpus nostrum per corpus suum, & animam nostram per animam suam redimeret. Similiter, vt corpus & animam nostram corpori & animæ Christi per virtutem salutis Eucharistiæ vniri confidamus, vt sic toto Christo totus homo in corpore & animâ viuificetur & saluetur.

De esse

fficatiam & virtutem, quam salutaris Eucharistia operatur in ijs, qui eam dignè sumunt, **E** Christus exponit. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Et iterum. Qui manducat hęc panem, viuet in æternum. Hęc ergo diuini huius mysterij virtus est, vt de sacro Domini corpore & sanguine participant, in membra eius transcamus, & vniamur cum illo, non solùm secundum Spiritum fide & charitate: sed vera corporis vnione, vt iam ipsi velut membra capiti inhereamus, & vnum cum illo corpus efficiamur, qui corpus eius sumimus. Ex qua vnione hic nobis salutaris fructus redundat, vt in Christo manentes, vitam æternam, & similem cum illo immortalitatis gloriam, in ipso & per ipsum possidere possimus: nec iam vllius gratiæ cum illo nobis intercedat diuortium, nec possit vnquam alibi fieri diuersum, quod hęc tam firmo arctissimæ vnionis vinculo est colligatum. Hęc autem vnio non solùm cum Christo nos iungit arctius, sed etiam cum omnibus Sanctis, vt eorum communionem vberius fruamur, & eorum precibus iuari possimus.

Fructus salutaris Eucharistiæ non ad huius temporis, sed ad futuram felicitatem obtinendam, facit: sed virtus eius etiam in hac vita sentitur, dum concupiscentiæ motus in nobis magis compescit, vt quoties dignè hoc salutaris cibo pascimur, iam minus grauioribus peccatorum stimulis concitemur. Si quis enim ex nobis non tam acerbos sentit iracundiæ, inuidiæ, luxuriæ, & eiusmodi criminum motus, gratias agat corpori & sanguini Domini, & gaudeat, quòd pessimum vlcus accedat ad sanitatem.

In alijs quidem Sacramentis, Christi gratia virtutes magnas operatur, sed per dignam Eucharistiæ participationem ipse fons gratiarum Christus totus influit, vt tanta gratia-

gratiarum vbertate anima velut absorbeatur, & quasi in Christo immersa, in ipso se oblectet, & non nisi superna & cœlestia desideret: mundi verò huius & prospera: & aduersa, infra se putet & contemnat. Hinc olim sancti Martyres hoc cibo saturi, omnes mundi voluptates fastidiebant, & inter omnis generis cruciatibus & tormēta, in Christo fortes & hilares exultabant. Sic huius mysterij virtute muniti contra peccati illecebras, contra mundi huius varias deceptiones, & tam contra inuisibilium inimicorū insidias, quam contra visibilium minas & insultus, securi & infracti præliamur. Parasti in conspectu meo (inquit scriptura) inensam aduersus eos, qui tribulant me. Hęc virtus à nobis Diabolum procul pellit, & multa nos pæe & tranquillitate facit perfriui, iuxta consolationem scripturæ. Qui ponit fines tuos pacem, & adipe frumenti faciat te. Vnde, vt olim suboriantibus persecutionum procelis fideles hoc Dominicæ saturitatis munimento armabatur: sic hodie intra Catholicam Ecclesiam ægotantibus, & ex hac vita migraturis sacra Eucharistia porrigitur, vt hac esca confortati inter tantos corporis cruciatibus & terrores mortis, à spe salutis, & fiducia misericordiæ Dei, non excidant.

Itaq; qui de sacro Christi corpore & sanguine participant, iam magna gratia ad Deū pertinent, cū sint vnum corpus cū Christo, qui est cū Patre vnum. Iam à Patre diligitur, cū sint membra Christi. Pater autem diligit Filiū quantum est, vtiq; etiam in membris. Nunquam erunt alieni à Trinitatis consortio, qui arctissima & firmissima vnione adglutinati sunt Christo. Nec quicquam illis ad gratiam & salutem desit, qui omnis gratiæ thesaurum, & totius salutis fontem intra sua viscera suscepit.

DE COMMVNIONE SVB

altera, vcl vtraque specie.

A T qui tanti & tam salutaris fructus, quos Eucharistia dignè sumentibus præbet, non à speciebus panis & vini pendunt, sed de virtute viuifici corporis & sanguinis Christi promanant. Cùm autem

autem Christus sub alterutra specie integer continetur. (neq; enim post resurrectionem separari caro & sanguis eius vnquam possunt, quoniam amplius non moritur) vtiq; salutaria Eucharistia pari fructu, tam sub vna, quam sub vtraq; specie, à fidelibus percipitur. Nec de spiritali fructu quicquam decedit vnã speciem sumentibus: nec accedit quicquam ei, qui vtraq; percipit. Siquidem non alius atq; alius sumitur Christus, quia sub diuersis speciebus sumitur: sicut ob id non diuiditur Christus, quod eodem tempore toto terrarum orbe in diuersis locis simul à multis salutaria Eucharistia communicatur. Vbi ad omnes omnium Ecclesiarum mens vnus ab omnibus, & totus à singulis sumitur Christus.

Species itaq; panis & vini, vsum suũ in sola significatiõe consumunt, nec quicquam ad gratiam & virtutem Sacramenti addunt (Domini enim solius est, præstare gratiam, non vllius creaturæ) ideoq; in consecranda Eucharistia, iuxta Christi institutum, ambæ quidem species necessariae sunt, quoniam non ad solam sumptionem, sed ad recollendam passionis & mortis Domini memoriam Eucharistia præparatur. Quatenus ergo sacrificio seruit Eucharistia, quo mors & immolatio Christi repræsentatur, species vsum suum vtiliter accommodant, vt ex diuersis & ab inuicem separatis speciebus, Christi sanguis pro peccatis nostris effusus, & à corpore separatus, disertè significetur. Quatenus verò ad animarum salutem, & ad spiritalem gratiam accipiendam fideles Eucharistiam sumunt iam diuersitas specierum, quæ propter solam significationem adhibetur, amplius vtilitatem nullam habet: sed vna species, quoniam integrum sumenti exhibet Christum, totius gratiæ vbertatem semel confert, vt iam superueniente altera specie, quæ non alium, sed eundem Christum præbet, ad spiritalem gratiam nihil amplius addi queat.

Hinc Catholica Ecclesia, quæ in intelligendis mandatis Christi diligens, in obseruandis sedula, nec minus ad vtilitatem fidelium promouendam semper intenta & sollicita existit, dum sacrificium illud Dominicæ Passionis &

immolatio-

immolationis rememoratium celebratur, propter significationum necessitatem vtriusq; speciei vsum attentè semper custodiuit. In dispensanda verò fidelibus Eucharistia, libertatem suam (quam nullo præcepto Christus ei inhibuit, aut ademit) semper ad fidelium vtilitatem accommodauit, & nunc vtraq; , nunc alteram tantum speciem fidelibus administruit, pro vt iuxta temporum hominumq; conditionem, ad communem omnium vtilitatem vidit expedire. In quo cum procul dubio Spiritum sanctum Ducem & consultorem semper sequuta sit, nec in vllum Domini præceptum deliquisse, nec in providenda filiorum suorum vtilitate aberrasse, existimanda est. Immo nec hodie Catholica Ecclesia in Christi præceptum & institutum peccat, nec spiritali fructu quenquam defraudat, si in dispensanda Eucharistia suam libertatem retineat, & pro vt communis vtilitatis causæ eam mouerint vel vnã vel vtraq; speciem fidelibus permittat. Dummodo vnitatis Christianæ (quæ vnicus huius Sacramenti scopus & præcipuus fructus est) potissima ratio habeatur, & hoc sollicitè caueatur, ne singulare hoc & vnicum pacis, charitatis, & vnitatis Mysterium, dissensionum & dissidiorum causas inuehat in Ecclesiam, & publicam Ecclesiæ pacem, quam efficere & conseruare debet, magis dissipet & perturbet.

DE SVMMENTIVM QVALITATE

& affectu, & de vsu huius Mysterii.

Omo itaq; fidelis hos saluberrimos Eucharistiæ fructus percipere, & virtutem eius sibi applicari toto corde desiderans, de speciebus Sacramenti (quæ diuersæ non alium, sed singulæ eundem & integrum Christum ei exhibent) totam sollicitudinem suam auocans, in seipsum vertat, & vt magna spe, ita magna discretione ad sumendam sacrosanctam Eucharistiam accedat. Itaq; iuxta Apostoli commonitionem: accessurus ad mensam Domini seipsum probet, & conscientiam suam omnes latebras scrutetur

tetur & si se vel inuidia tabidū, vel libidinibus fœdū vel rapinis, furtis, & vsuris iniustū, aut aliis criminibus operum deprehenderit, à sacra Domini mensa procul abstat, nec in seipsum perniciosus, nec in Domini carnem iniurius esse pergat, quam sic gustando contaminat. Quicumque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè, iudiciū sibi manducat & bibit. Et, Reus erit corporis & sanguinis Domini. Et hic quidem perniciem sibi & mortē sumit, nō quia perniciosum aut malum sit quod accipit: sed quia bonū male & indignè vsurpat.

Prius ergo peccatorum suorum sordes per Pœnitentiæ remedia expurget, vt sic ad hæc sancta purus venias, & de corpore & sanguine Domini dignè participas, de hoc velut gratiarum omnium fonte, magnam saturitatem & perfectam animæ vitam hauriat.

Et quidem post omnes etiam conatus nostros tantū tamen mysteriis indigni sumus: sed si nihil horum, quæ nobis pius Dominus ad nostri emundationem proposuit, omiserimus, iam de bonitate & misericordia eius confisi, ad mensam eius læti & cum fiducia venire possumus. Non est quia peccatis miseri & iustitia nudi sumus, ideo à corporis & sanguinis sui cōmuniōe nos repellit Christus: quia nō sanis, sed ægrotis medicus salutaris aduenit. Nam & Agnus ille Paschalis manducandus præbebatur Patribus adhuc in Aegypto manentibus, sed mox inde exiit, & ad profectiōem voluntate & opere se adornantibus. Sic nos quoque, etiam si peccatis non caremus hanc salutarem medicinam non refugiamus, dum modo hoc cauerimus, ne ad mensam Domini voluntatem in peccatis perseverandi adferamus, sed vt pristinis vitis iam animo & voluntate renunciauerimus. Tunc utiq; salutaris caro Christi, quæ olim tactu suo leprosos mundauit, & mortuos resuscitauit, in nobis non solum ad delēda & sananda peccata virtutem operabitur: sed ad cauenda futuram vim viresq; nouas præstabit, & quod per peccatum in nobis saucium & emortuum fuerat, rursus ad sanitatem instaurabit, & reducet ad vitam.

Im

Iam verò propinquans ad mensam Domini animum suum his Christi promissionibus imbuat. Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Et. Hic est sanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Et. Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Et. Habebit vitam eternam. His animatus Christi verbis plena fide credat de manibus Sacerdotis veram Christi carnem viuificatricem, & sanguinem in remissionem peccatorum suorum, adeoque immortalitatis & æternæ vitæ certum pignus obtinere confidat. Interim in memoriam sibi reuocet, quanta ad totius generis humani salutem & redemptionē beneficia hac Christi carne & hoc sanguine comparata sint, totamq; redemptionis humanæ historiam animo reuoluat, & secum cogitet immensam Dei Patris in nos charitatem, qui vt nos seruaret, vnicum Filium suum pro nobis in mortem tradidit. Cogitet Christi in nos ardentem dilectionem, qui arduum illud & laboriosum redimendi hominis opus in suos humeros sustulit, & pro nobis, liberandis vsq; ad acerbissimam & ignominiosissimam mortem crucis Patri se obedientem præbuit. A deoque tunc infelices nos, & in miseriarum profundo demersos, etiamnum inimicos suos ipse prior dilexit, & seipsum impendit nobis, vt à misera peccati & Diaboli seruitute ereptos, ad iustitiæ traduceret libertatem & ab æterna morte ad perpetuam assereret vitam.

Et hæc secum cogitans, in tam benigni Redemptoris laudem os & cor suum laxet, agatq; gratias Deo semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi.

DE SACRA-

De Sacramento ORDINIS.

Ordo est Sacramentum, quo sub visibili signo spiritualis gratia, & ad executionem publici muneris in Ecclesia gerendi potestas conferitur ordinato. Ideo autem Ordinis appellationem accepit, quod ministerium Ecclesie per gradus distinctum, multos diuersae potestatis ministros requirat, quorum unusquisq; in suo Ordine ad consummationem integri ministerij Ecclesiastici apte & utiliter deferuit.

Atq; hac ordinata ministrorum distinctione, militans Ecclesia illius triumphantis Ecclesie imaginem quandam exemplarem imitatur, vt sicut caelestia ministeria Angelorum, ordine & potestate differentes, exequuntur: sic in terra militantis Ecclesie diuersa munia distinctus ministrorum Ordo rite absolueret. Vnde non est vilis reputanda haec forma, quia in terra est, cuius exemplar habeat in caelo. Non est parvipendendum, quod & Deum authorem habet, & à caelo ducit originem.

Hic Ordo firmissimus Ecclesie nexus est, & aptissimum vinculum, ad retinendam Ecclesie vnitatem, & propellendam schismata commodè deseruiens. Nunquam enim non infestarent Ecclesiam, & vnitatem eius scinderent diuersa schismata, si cuiq; liberum esset ministerium Ecclesie sine legitima ordinatione arripere. Ita è, vt in Ecclesia vnitatis perseveraret, vitaretur autem confusio, & schismata tollerentur, Christus Ordinem instituit, quo ad ministeria Ecclesie delecti ex omni fidelium multitudine, certi homines Sacramento visibili destinarentur, vt hac nota cognosceret plebs, quinam sint, apud quos doctrinae certitudo & veritas requirenda, & à quibus vera Christi Sacramenta

petenda sint. Alioqui si passim sine praecedente vocatione & electione munus docendi quilibet sibi in Ecclesia sumeret, & sine vlla ordinationis lege dispensationem Sacramentorum vsurparet, necesse esset omnino Ecclesiam in diuersa schismata separari & plebem incertis doctrinis fluatua & Sacramentorum virtute & vilitate fraudari.

Ab his incommodis Ecclesiam & plebem suam Christus Ordinem instituendo liberauit. Dum enim per ordinationem ad ministeria Ecclesie certi homines assumuntur, facile confusionem & schismata vitare plebs addiscit: sciens non quoslibet, sed solos ordinatos in Christi nomine recipiendos. Vicissim etiam ordinati non hoc solum ex ordinatione accipiunt, vt iam in Ecclesiasticis functionibus licite ministrare valeant, quas nemo recte sibi vsurpat, nisi qui ad eas vocatus accesserit, iuxta illud. Nec quisquam sibi sumit honorem nisi, qui vocatur à Deo tanquam Aaron: sed vnà cum assignatione ministerij sub visibili signo inuisibilem gratiam accipiunt, vt iam ministerium eorum sit efficax, & rata firmaque sint, quae per ordinatos sunt: non quidem ex merito & virtute ministrorum, sed ex gratia diuina & virtute Christi, qui in officio ordinatorum omnia ipse operatur, iuxta illud. Hic est, qui baptizat. Si quidem solum ministerium hominis ordinati, donum autem quod confertur, Christi est.

Ordo itaq; in Ecclesia retinendae vnitatis vinculum est, si quidem dum ministerium Ecclesie per ordinationem ad certos homines astringitur, apud quos certitudo doctrinae & legitima Sacramentorum dispensatio reside- re demonstratur, faciliè plebs à separatione continetur, & Ecclesia à schismate defenditur.

Hinc Ordinem non humana praesumptione adinuen- tum, sed à Christo institutum, Apostolus clare contestans, ait. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores: ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in aedificationem corporis Christi. *Ephes. 4.*

causam subdit, Ordinem ad retinendam in Ecclesia vnitatem necessarium inuēns: Donec occurramus omnes, inquit, in vnitatem fidei. Et. Vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.

Hinc hæreticos omnes vna semper cura exercuit, vt Ordinem tollere ex Ecclesia summis viribus niterentur. Quod vt efficiant, negant in Ecclesia externum esse Sacerdotium. Vnum modo Sacerdotium spirituale, quod omnibus Christianis commune sit, asserūt. Ideoq; Ordinem, quo ad illud externum & peculiare Sacerdotium, obediēdasq; Ecclesiastici ministerij functiones ministri peculiari ritu instituuntur, velut commentum humanum rident: ipsi Sacerdotalia officia etiam inordinatis permittentes, & sacrilegum fundantes Sacerdotium, verum Ecclesiasticum Sacerdotium in Laicos vulgant & prostituunt, vt facilius euertant: hoc per summam malitiam astu Diabolico quærentes, vt Ordine cōfuso, & Sacerdotio (quo Christi grex aduersus omnis generis insultus, & nocumenta Diabolice machinationis, quasi quadam canum custodia munitur) sublato, liberior in ouile Christi irruant, & plebem in omnes errorum anfractus facilius abducant, & Sacramenta Ecclesiæ (quæ ex diuina virtute per ordinatos operante efficaciam sumunt, ideoq; per solos ordinatos ritè conferuntur, & legitime & vtiliter ministrantur) in cōtemptum trahant, totumq; Ecclesiæ statum inducta confusione perturbent & euertant.

Hoc eos improbo desiderio iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ arsisse, & isto dolo in perniciem sanctæ religionis nostræ semper esse molitos, Tertullianus multarum Ordinationes eorum, inquit, remerariæ, leues, inconstantes. Nūc Neophytos collocant, nunc seculo obstrictos, nunc Apostatas nostros, vt eos gloria obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, vbi ipsum esse illic, promereri est. Itaq; alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, quater die: hodie Presbyter, qui cras Laicus. Nam & Laicali Sacerdotalia officia iniungunt.

Ad hanc hæreticorum malitiam comprimendam, & vt grauis perniciēs à Christi ouili abigatur, Sacerdotium Ecclesiæ ex scripturis sanctis deducendum, & diuinis testimoniis contra hæreticorum suggillationes obscurandum & muniendum est: ostendendumq; præter illud spirituale Sacerdotium, quod ex Baptismo omnibus Christianis iniungitur, esse in Ecclesia Christi aliud externum Sacerdotium à Christo institutum, quod non omnibus competit, sed his solis, qui ad id peculiari ritu instituuntur. Ritum autem illum, quo ad externum Sacerdotium delecti quidam ex omni credentium multitudine inaugurantur (quem in Ecclesia Catholica noto, & iam inueterato vocabulo Ordinem vocant) verè & propriè dictum esse Sacramentum. Prius autem de ritu, quo Sacerdotes instituuntur, hoc est, de Ordine dicendum, quo confirmato, euidenter patebit, in Ecclesia Christi externum esse Sacerdotium.

Sacramenti ratio in eo sita est, vt sit inuisibilis & spiritalis gratiæ, externum & visibile signum. Itaq; vbiq; ritus aliquis externus in scripturis sanctis approbatus, annexam habet diuinæ alicuius gratiæ promissionem: ita, vt ad signi seu ritus istius positionem regulariter diuina gratia consequatur, id verè & propriè Sacramentum appellatur. In Ordine autem vtrumq; inuenitur.

Post missionem Spiritus sancti, Apostoli Christi (nimirum per eos Spiritu sancto formam cōstituendi ministros, futuris temporibus obseruandam, Ecclesiæ tradente) semper eos, qui ad gerenda Ecclesiæ ministeria ex omni multitudine delecti erant, ad obeunda huiusmodi munia manu impositione dedicauerūt. Cuius rei luculenta testimonia sanctus Lucas in actis Apostolicis commemorat. Cū Apostolis admonentibus ex omni multitudine credentium septem Diaconi delecti essent, Hos, inquit, statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orates imposuerūt eis manus. § Et. 6. Sic Saulus. & Barnabas per spiritum sanctum vocati, nō prius ad demādati operis executionem profecti sunt, quam ad id per manu impositionem ab Apostolis ordinati essent. Tunc ieiunantes & orantes.

(inquit Lucas) imponentesq; eis manus, dimiserunt eos, A. Ct. 13. Eundem postea ritum in ordinandis, & constituendis per ciuitates Presbyteris, Paulus & Barnabas obseruauerunt. Cum constituisent (inquit) illis per singulas Ecclesias Presbyteros, & ieiunassent cum orationibus. Hanc autem cōstitutionem Presbyterōrum per manuum impositionem esse factam, Græcus sermo indicat. *ἡ ἐπιθεσις τῆς δεξιᾶς καὶ ἀριστερῆς χειρῶν*, id est, cum per impositionem manuum Presbyteros illis præfecissent. A. Ct. 14.

Paulus quoque initiationem ad Ecclesiæ ministeria per manuum impositionem fieri solitam confirmat, scribens ad Timotheum: Noli inquit, negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij. Et infra. Manus nemini cito imposueris, nec communicaueris peccatis alienis. Et ad eundem. Admoneo te vt resuscites gratiam Dei, quæ in te est, per impositionem manuum mearum. Hanc chironian seu impositionem manuum Diuus Hieronymus super Esa. cap. 58. Clericorum ordinationem asseuerat, quæ non solum oratione vocis, sed manuum impositione adimpletur. Hic ritus initiandi ministros in Ecclesia per Apostolos Spiritu sancto distante confirmatus, perpetuam ordinandi legem & normam præbuit, vt etiam ritè electi & legitime vocati, nunquam tamen sine præuia manuum impositione ad ministeria Ecclesiastica admouerentur. Talem autem designationem seu initiationem ministrorum, quæ fit per manuum impositionem Ecclesia Catholica iam inde ab initio Ordinem, & sic ministerio Ecclesiæ dedicari, ordinari, appellauit, vt est videre apud Clementem lib. 3. Dionys. Arcopag. Irenæum lib. 4. cap. 20. Euseb. lib. 7. cap. 8. Hist. Trip. lib. 1. cap. 12. lib. 9.

Satis autem ex superioribus testimoniis apparet, in Ordine esse signum exterius sensibile, seu ritum externum in sanctis scripturis approbatum: quem Ecclesia ab Apostolis & Apostolicis viris susceptum, & quasi per manus traditum, etiam hodie obseruat.

Iam

Iam verò producendæ sunt diuersarum gratiarum promissiones, quæ huic ritui annexæ adhærent: ita, vt ad signi seu ritus huius positionem regulariter diuina gratia consequatur, nisi forte diuinæ gratiæ obicem opponas is, qui Ordinem suscipit, quomodo suscipientis indignitas etiā aliorum Sacramentorum fructum impedire, & diuinam gratiam excludere solet.

Christus discipulos suos ex media plebe homines simplices & rudes eligens, eos non solum promissiones, sed etiam exhibitione multiplicium donorum instructos & locupletatos, misit in opus ministerij. Testantur Euangelistæ conuocatis illis traditam esse potestatem immundorum spirituum, vt euerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem. Tanta verò eos per gratiam Spiritus, quæ imbuebantur, sapientia polliuisse, vt ante Reges & Principes nihil meditati, diuinam sapientiam loquerentur, & efficaci sermone multos secularis eruditionis opinione insignes, ad humilē Christi Philosophiam, & multos diuitis seculi tumidos, & luxu diffusuetes, ad summam diuitiarum & voluptatum omnium contemptum, traducerent. Neq; vnquam illos in sermone aut opere diuina virtus promissa destituebat. Et exeuntes (inquit Marcus) predicabant, vt Pœnitentiā agerent: & demonia multa eiiciebant, & ungebant oleo ægros, & sanabantur.

Et cum eos Sacerdotes faceret, & corporis & sanguinis sui consecrationē illis præciperet, dicens. Hoc facite quotiescunq; feceritis in mei commemorationem: in eisdem verbis grandis virtutis promissionem eis fecit, videlicet, vt facerent quod ipse fecisset, hoc est, vt in ministerio eorum panis & vinum in corpus & sanguinem Christi mutaretur. Et post resurrectionem per insufflationem Spiritum sanctum illis infundens, pariter remittendi & retinendi peccata potestatem & virtutem illis contulit. Sicut me misit Pater (inquit) & ego mitto vos, Hæc cum dixisset, insufflauit: & dixit eis. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis retentantur.

EE iij Hanc

Auguft. in qu. no. et vet. te. cap. 93. Hanc infufflationem Diuus Auguftinus gratiam effe affeuerat, quæ per traditionem Ordinatis infunditur, quæ non in ipsis Apoftolis ceffauerit, fed quæ per fimilem traditionem in Ordinis collatione, etiam ad fucceffores Apoftolorum transfundatur. Sicut enim remiffionem peccatorum femper durare in Ecclefia neceffe eft: fic gratiam & poteftatẽ remittendi peccata, apud miniftrõs Ecclefie & fucceffores Apoftolorum, perpetuo refidere oportet.

Luc. 2. 4. Similiter & Lucas gratiam commemorat, quam Apoftoli tribuente Dño ad executionem demãdati operis acceperint. Vsq; in diem, inquit, qua præcipiens Apoftolis per Spiritum sanctum quos elegit affumptus est. Vbi Christus non folum Apoftolis annunciandi Euangelij miniftrium iniunxiffe, & myfteriorum fuorum difpenfationem cõcredidiffe, fed vt hoc ipfum expeditius, efficacius & melius facerent, Spiritum sanctum eis effe impartitus commemoratur.

Hæc consideranti facilẽ apparet, quanta Christus difcipulos suos ad executionem iniuncti muneris gratia inftruxerit: quantam eis præ cæteris authoritatem & potefstatem contulerit.

1. Tim. 4. Paulus vero euidentiffimis testimoniis affeuerat, in Ordinis collatione gratiam conferri fufcipienti. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij. Et ad eundem. *2. Tim. 1.* Admoneo te, vt refuscites gratiam Dei, quæ in te est, per impositionem manuum mearum.

Illud quoq; fatis arguit, hunc ritum imponendi manus non inanem & vanum effe, fed diuinum in fe myfterium continere, & ad insignem aliquam virtutem & gratiam accipiendam deferuire: quod in eius exhibitione tanto ferõ Apoftoli vfi sunt, qui femper cum ieiunio & oratione manus imponebant, nimirum, vt ad tanti myfterij celebrationem, & tãtæ virtutis & gratiæ fufceptionem, fe dignos exhiberent, *Aët. 13. 14.*

Hinc Ecclefia Catholica confuetudinem traxit, v Sacramen-

mentum Ordinis à ieiunis pariter & daretur & acciperetur. De qua re Leonis Papæ extat testimonium. Præter *Epistola 79. ad Diof. Alexan.* authoritatem confuetudinis (inquit) quam ex Apoftolica nouimus venire doctrina, etiam sacra scriptura manifeftat, quod cum Apoftoli Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus sancti, ad Euangelium Gentibus mitterent prædicandum, ieiunantes & orantes imposuerunt eis manus, vt intelligamus, quanta & dantium & accipientium deuotione curandũ fit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impietum.

Semper autem Deus hoc fymbolo delectatus, multiplicia Spiritus sui dona diuifit, & maximas virtutes contulit per impositionem manuum, vnde in Sacerdotij collatione, manuum impositio commendatior euadit, de qua *Ifidorus de officio rum origi ne lib. 2. cap. 5.* Quod verò per manus impositionem à prædecessoribus, Dei Sacerdotibus Epifcopi ordinantur, antiqua est institutio. Ifaac enim Patriarcha sanctus, ponens manum suam super caput Iacob, benedixit ei. Similiter & Iacob filiis suis. Sed & Moyfes super caput Iosue manum suam imponens, dedit ei Spiritũ virtutis & ducatus in populo Israël. Sic impletor legis & Prophetarum Dominus noster Iesus Christus, per manus impositionem Apoftolis benedixit, sicut in Euangelio Lucæ scriptum est. Et perduxit eos trans Bethaniam, & eleuauit manus suas, & benedixit eos. Et in actibus Apoftolorum ex præcepto Spiritus sancti, Paulo & Barnabæ ab Apoftolis manus impostæ sunt ad Euangelizandum. *Luc. 24. Aët. 13.*

Euidentiffimis scripturæ testimoniis ostensum est, in Ordinis collatione ritum externum in scripturis approbatum, adhiberi ceu signum sensible, ad cuius positionem regulariter interna & spiritalis gratia confequitur. Vnde Ordo inter Ecclefie Sacramenta, iusta & propria ratione est adnumerandus. Est enim Ordo verè rei sacre efficac signum, & inuisibilis gratiæ percipiendæ ritus, & forma visibilis.

Ad hæc scripturæ sanctæ testimonia adiungendus est vniuersalis Ecclesiæ consensus, & Orthodoxorum omnium vnanimis & consentientes sententiæ, quibus Ordinem inter Sacramenta discretè adnumerant. Leo III. de Ordine loquens: Ne tantæ (inquit) benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum. August. ad Parmenianum, de Ordine & Baptismo loquens. Vtrunque (inquit) Sacramentum est, & quadam consecratione vtrunque homini datur: Illud cum baptizatur, & illud cum ordinatur. Aliorū nota & passim obuia sunt testimonia,

Hæc itaque Ordinis collatio, non est nuda cæremonia, qua ex omni credentium multitudine certi quidam ad opus ministerij in Ecclesia per istum externum ritum designentur: sed grandis virtutis & efficacis gratiæ Sacramentum est in quo Christus iuxta promissiones suas interna virtute operatur, & hi qui sic ad opus ministerij assumuntur, per hoc Sacramentum gratiam accipiunt internam, & virtute diuina ad tam ardui muneris executionem præparantur & instruuntur: autoritate etiam & potestate diuinitus donantur, vt rata & efficacia sint, quæcunque sic ordinati in officio suscepto iuxta Christi & Ecclesiæ institutionem ritè gerunt. Siquidem in ministerio Sacerdotis ritè ordinati (ex vi Sacramenti, per quod ministerio dedicatus est) non humana, sed diuina virtus operatur.

Nec mirum est, Deum iis, quos Ecclesiæ suæ gubernatores instituit, diuersa dona, ad sceliorem tanti muneris executionem conducentia, de virtute sui Spiritus impartiri, qui in veteri testamento nunquam non alicuius insignioris & ardui operis executores aut artifices ad id exequendum vigore sui Spiritus impleuerit. Cum Moyses vnus iudicando populo nõ sufficeret, Deus illi adiutores septuaginta viros dedit, quos ad regimen populi accedere non prius permisit Deus, quàm de spiritu Moyse auferens, ad expeditiorè suscepti muneris functionè instructos & idoneos reddidisset. Sic Iosue ad ducatum populi gerendum, Spiritum sapientiæ accepit. Sic Deus Beseleel

& Oliab impartiens eis de Spiritu suo, impleuit sapientiæ & intelligentiæ, vt scite & aptè possent ædificare tabernaculum fæderis. Quod si in minoribus negociis nunquam cessauit Dei beneficentia, quomodo non alienum à benignitate Dei putaretur, si Ecclesiæ suæ duces & gubernatores nõ etiam donis singularibus, & ad tam ardui & sancti muneris expletionem necessariis, instrueret, & idoneos efficeret?

Ex his, quæ de Ordinis Sacramento huc vsquè dicta & scripturæ testimoniis cõfirmata sunt, consequenter apparet, in Ecclesia Christi externū esse Sacerdotium, hoc est, peculiare functiones & officia esse in Ecclesia, quæ non promiscuè omnibus ex multitudine credentium competunt: sed iis tantum, qui ad ea officia gerenda non modò ritè vocati, sed visibili Sacramento destinati & ordinati, & per hoc peculiaribus donis & virtute diuina instructi, accedunt.

Atque hoc Sacerdotium non hominum præsumptione adinuentum, sed diuinitus conditum, & ex Christi institutione fundatum, & traditione Apostolorum confirmatum est. Christus enim Apostolos, quos emissurus erat in orbem, vt Sacerdotio suo fungeretur, quo ipse erat donatus à Patre, primum omnium vocauit eos, & è turba selegit: vocatos & electos Sacerdotes fecit, hoc est, autoritate & potestate ad incolunitatem Ecclesiæ, quàm ipsis regendam commisit, multum profutura donauit, & concessis variarum gratiarum donis, ad tanti ministerij executionem idoneos fecit.

De vocatione Apostolorum, & tradita eis potestate, apertè Euangelistæ testantur. Vocauit ad se, quos voluit ipse, & venerunt ad eum. Et fecit vt essent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, & eiciendi dæmonia.

Eisdem post eà in cœna consecrandi corporis & sanguinis sui munus demandauit, dicens. Hoc facite in mei com

memorationem. Et mox post resurrectionem suam, nouo Spiritus sancti infusione in Sacerdotio eos consummans, remittendi peccata potestatem adiecit: manifestum aduens testimonium, quod ministerio non humanitas adiuncto, sed diuinitus ipsis demandato, in Ecclesia functuri essent. Sicut me misit Pater (inquit) sic ego mitto vos. Et cum hoc dixisset, inufflauit: & dixit eis. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.

Hoc autem, ad quod Christus Apostolos instituit, non qualecunque ministerium, sed nouae legis Sacerdotium esse, & ad id muneris delectos, non qualecunque ministros, sed verè esse Sacerdotes, hæc Christi verba aperitissime conuincunt. Hoc facite in mei commemorationem. Hæc eni verba Christus protulit, posteaquã sacratissimi corporis & sanguinis sui Sacramentum duplici de causa instituisset. Vna, vt credentes in ipsum, vitali corporis & sanguinis sui cibo & potu refecti, vitam in se manentem haberent: Altera, cum esset per prophetam prænunciatus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, oportuit eum similitudinem sacrificij Melchisediachi in pane & vino imitari, vt figuram veritate adimplens, Ecclesie suae nouum traderet sacrificiũ in pane & vino, ad memoriã sanctissimæ passionis suæ, vsq; ad finem seculi, iugiter offerendum.

Hæc duplex potestas Apostolis est tradita, videlicet, vt de pane & vino corpus & sanguinem Christi in cibum fidelium diuina consecratione conficerent, & vt ad recolendam huius salutaris sacrificij in cruce semel oblatis moriam, eiusdem corporis & sanguinis Domini incrementum & representatiuum, adeoq; verum & reale corporis & sanguinis Domini sacrificium, sub speciebus panis & vini offerrent. Atqui offerre sacrificium, non cuiusuis ministri, sed proprium Sacerdotis munus est. Sacerdotes ergo, & non qualecunque ministros, Christus fecit eos; quibus sacrificij sui, ad similitudinẽ Melchisedech in pane & vino oblatis, iugem in Ecclesia immolationem demandauit, dicens. Hoc facite in mei commemorationem. Christum autem in cœna in pane & vino sacrificasse, euidenti ratione

con-

conuincitur. Nã quia Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech asseritur: oportet, vt simili aliquãdo sacrificio vsus esse ostendatur, vt cũ figura veritas cõcordet. Melchisedech verò in pane & vino sacrificasse, sacræ literæ cõmemorant. At verò Melchisedech proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit eis. Hinc Christum quoq; in pane & vino sacrificasse oportuit, quod præterquam in cœna, nusquã fecisse inuenitur. In cruce enim seipsum offerens, potius Aaronici sacrificij figurã adimpleuit, qui in sanguine sacrificauit. Non istius Melchisedech, qui nusquam in sanguine, sed hoc solo loco in pane & vino sacrificium fecisse reperitur.

Hic verò impudentiã quorundam, qui Melchisedech hoc loco in pane & vino sacrificasse negant, opponenda est totius Ecclesie Catholicæ fides, qua Melchisedech panem & vinum in sacrificiũ obtulisse, & Christum eius sacrificij similitudinem in cœna expressisse, sine omni ambiguitate creditum est. Opponendus & sanctorum Patrum vnanimis consensus, qui hoc loco Sacerdotem Melchisedech panem & vinum non modò in cibum protulisse, sed in sacrificio obtulisse asseuerant, & fidem Ecclesie firmis testimoniis stabiliunt: asserentes, Christum in cœna huius sacrificij figuram expleuisse. Sic enim Cyprianus ait. Vt in Genesi per melchisedech Sacerdotem benedictio circa Abraham posset ritè celebrari, præcedit ante imago sacrificij, in pane & vino scilicet constituta. Quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratae imaginis adimpleuit. In eandem sententiam concedunt Hieronymus ad Euagrium, & Augustinus. de doctrina Christiana cap. 21. Ambrosius de Sacramentis lib. 4. ca. 3. Arnobius in Psal. 109. Hic (inquit, de Christo loquens) qui per mysterium panis & vini Sacerdos factus est in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui panem & vinum solus obtulit in Sacerdotibus, dum Abraham auctor reuenteretur de prælio. Damascen. Pane & vino suscepit Melchisedech Abraham ex cæde alienigenarum, qui erat Sacerdos Dei altissimi. Illa mensa hanc mysticã præfigurauit

uit mensam, velut & Sacerdos ille Christi veri Sacerdotis figuratam præ se ferebat imaginem. Tu es, inquit, Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Theophylactus. Verum, quem aliū afferre possunt præter Christum Iudæi, qui sit ex instituto Melchisedech Pontifex factus? Nonne erant sub lege omnes? Nonne vniuersi Sabbata obseruabant, offerebantque sacrificia? Apertissime itaque de Christo id esse dictum constat. Hic enim solus, Melchisedech illius in morem, pane & vino sacrificauit. Similiter & Hebræorū Rabbi hoc loco Melchisedech Sacerdotem panem & vinum in Sacrificium obtulisse, magno consensu astruunt. Cuius sacrificij similitudinem, cui nusquam alibi Christus ostenderit, relinquunt, vt in cœna corporis & sanguinis sui Sacramentum de pane & vino conficiens, in eisdem rebus in morem istius Melchisedech verè sacrificauerit, cuius sacrificij identidem offerendi functionem cum Apostolis mandauit, vtique illos Sacerdotes fecit, cum sit proprium munus Sacerdotis, offerre sacrificia.

Hinc blasphemus & impudens error detegitur, Sacerdotium externum in Ecclesia negantium. Quorum furor etiam sine tantis scripturæ testimonijs, sola tamen totius Ecclesiæ consensione satis cõtunderetur, qua iam inde ab initio Religionis Christianæ peculiare quoddam Sacerdotium esse, quod non omnibus, sed ad id ordinatis solum competeret, vniuersi fide & magno consensu receptum & creditum est. Perpetuum etiam & conformem morem ab initio nascentis Religionis omnes per totum orbem Ecclesiæ tenuerunt, vt non nisi ordinatis & vnctis Sacerdotibus in ministerio Ecclesiastico vterentur, sicut ex libris eorum, qui in ipsis Apostolorum temporibus vixerunt, apertissimè comprobatur. Clemens, Beati Petri discipulus, & in Cathedra Romana successor, Sacerdotum meminit ad Iacobum, Episcopum Hierosolymitanum. Similiter & Dionysius Areopagita, qui Pauli sectator fuit, ad Demophilum Monachum scribens. Sacerdotem, ait, à ministris non debere iudicari. Similiter Anacletus, Euaristus,

Alexan-

Alexander, Sixtus, Telesphorus, Iginus, qui omnes in sede Apostolica Aniceti istius sedis duodecimi possessoris tempora præcesserunt, de Sacerdotibus in Ecclesia Christi ministrantibus, multam & euidentem mentionem in suis Decretis faciunt.

Atqui Ecclesiam Christi vsque ad tempora Aniceti ab omni errore immunem permansisse, Egesippus & Irenæus testatur: quemadmodum nemo pius dubitare potest, quin sancti isti Martyres, adhuc recenti Christi Spiritu pleni, Ecclesiam ab omni errorum sorde tenuerint impollutam. Hi tamen Sacerdotium esse in Ecclesia docuerunt: ergo Sacerdotium asserere error non est, cum ante ea tempora error in Ecclesiam nullus inuaserit: Sequentium Patrum, Cypriani, Hieronymi, Ambrosij, Augustini, & reliquorum testimonia notissima sunt & passim obuia, quibus in Ecclesia Christi externum Sacerdotium asseuerant.

Si error est, Sacerdotium externum confiteri, Vnde is error in Ecclesiam Christi mox in initio irrupit? cum adhuc in ea sancti homines præsiderent, qui fidei suæ integritatem & rectitudinem, etiam miraculorum virtute & deuoti pro Christi nomine sanguinis effusione comprobauerunt? Si error est, Sacerdotium asserere, & eūdem errorem mox ab initio Ecclesiæ totus orbis Christianus recepit, & continuata serie vsque ad hæc tempora transmissit, quomodo Christus non vanus promissor apparet, qui Ecclesiæ suæ Spiritum sanctum est pollicitus, qui eam doceret omnem veritatem? Cuius promissionis fidem Christus nequaquam præstitit, si Ecclesiam tam crasso & pernicioso errore demersam, iam inde ab initio vsque ad hæc nostra tempora neglexerit?

Vides amentiam & impietatem aduersariorum, a pertis rationibus coargui, qui dum negant Sacerdotium, quod tota semper Ecclesia confessa est, per extremam blasphemiam Christum mendacem facere moluntur, quasi contra pollicitationem suam Spiritu suo Ecclesiam defraudauerit, & veritatem hæctenus absconditam, his demum postremis tempo-

temporibus reuelauerit, vt nunc tandem error detegere-
tur, quem tota Christi Ecclesia agnoscere non valēs, pro
veritate comperta persequanter hucusque retinuerit.

Nusquam quidem prima illa Ecclesia, quæ sub Aposto-
lis durauit, ministris suis nomen Sacerdotum attribuisse
in Euangelicis aut Apostolicis literis inuenitur: sed plerun-
que eos ministros, interim Episcopos, Presbyteros, &
Pastores appellauit, ob id deuitans nomen Sacerdotum,
quod eam appellationem Moyfaicæ legis ministri ex an-
tiqua possessione quasi propriam sibi vendicabant. Quã-
diu itaque vetus illud durabat Sacerdotium, Ecclesia in
suis ministris appellationem Sacerdotum vitauit, ne simi-
litudo nominis in diuersis personis & officijs confusio-
nem induceret. Mox verò post expugnationem vrbs Hie-
rosolymitanæ, quando cum excidio vrbs & gentis etiam
vetus illud Sacerdotium deletum est, Ecclesia vsitatum
scripturæ nomen arripuit, & ministros suos Sacerdotes
nuncupare cœpit.

Sed de nomine contentionem nemo pius & prudens
mouebit, vbi rem ipsam sacris literis testatam & compro-
batam deprehenderit. Manifestum autem discrimen inter
promiscuam plebem, & eos, qui ministerijs Ecclesiæ præ-
ficiantur, vbique sacræ literæ indicant: apertissime do-
centes, iam inde ex institutione Christi & Apostolorum
traditione, ad functiones Ecclesiasticas, non quosuis sine
discrimine admotos, sed eos tantum, qui prius ad id mu-
neris ritè vocati & ordinati, & peculiaribus donis ad gu-
bernationem Ecclesiæ conducibilibus instructi essent, vt
sic non solo ministerio, sed autoritate diuinitus tradita,
& variarum gratiarum donis in ipso ordinationis Sacra-
mento collatis, alios antecederent.

Atque huius varietatis exemplar Ecclesiæ suæ obser-
uandum Christus exhibuit, duodecim ex omnibus eli-
gens, quos excellenti potestate donauit, & magnis di-
uersarum gratiarum & donorum spiritualium priuilegijs,
ad ministerium Euangelij sui præmuniuit. Deinde alios
septua-

septuaginta duos elegit, qui in donis spiritualibus quan-
tum istis primis duodecim cedebat, tantum ipsi reliquam
multitudinem superabant. Nam & ipsis super infirmita-
tibus sanandis & pellendis Dæmonibus potestas tradita,
& munus Euangelizandi permissum erat.

Simile discrimen vbique Paulus Apostolus non huma-
nitus adinuentum, sed diuinitus institutum indicat. Et
ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem
Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores
& doctores: ad consummationem Sanctorum in opus mi-
nisterij, in ædificationem corporis Christi. Et alibi ean-
dem donorum diuersitatem ostendens, non omnibus om-
nia permissa esse satis disertè testatur. Et quosdam qui-
dem posuit Deus in Ecclesia, primò Apostolos, secundò
Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, &c. & ad-
dit. Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Pro-
phetæ? Ephef. 4.
1. Cor. 12.

Hinc cuius facillè iudicabit paritatem illam, quam
hæretici ad euersionem Sacerdotij, & ad Ecclesiæ con-
fusionem & deuastationem, inducere tentant (asserentes
omnes ex æquo Sacerdotes esse, & munera Sacerdotalia
(quod iam olim veteribus hereticis Tertullianus expo-
brauit) Laicis permittentes) cum sacris literis & vni-
uersalis Ecclesiæ perpetua consuetudine pugnare. Siqui-
dem clarissimè demonstratum est, Christum ad ministe-
rium Euangelij primùm Apostolos, deinde septuaginta
discipulos elegisse, & donis excellentibus à reliqua mul-
titudine discreuisse: maioribus quidem Apostolos, minoribus
verò donis septuaginta duos illos instruxit: vtroque
tamen non prius ad Euangelizandum orbi emisit, quàm
eos autoritate & variarum virtutum & gratiarum donis
imbutos, ad tanti muneris executionem expeditos & ido-
neos fecisset. Et Christum imitati Apostoli, ministerijs
Ecclesiæ neminem sine manuum impositione præfici-
bant, cuius Sacramenti virtutem Apostolus disertè indi-
cat. Noli negligere gratiam, inquis, que data est tibi per
impositionem manuum autoritate Sacerdotij. 1. Tim. 4.

Hinc

Hinc Sancti Patres, pleni Spiritu sancto, non sine eiusdem Spiritus inspiratione hanc varietatem à Christo môstratam in Ecclesia perpetuò obseruandam decreuerunt, vt essent in ministerio Ecclesiæ quidam primi gradus & maiores Sacerdotes, qui Apostolos referrent, quos Episcopo vocamus: & alij secundi gradus & minores, qui septuaginta duorum vicem in Ecclesia supplerent, quos Sacerdotes seu Presbyteros vocamus. Et dubio procul diuinum institutum est, non humana præsumptio, vt ad officia Ecclesiæ non omnes sine discrimine assumantur: sed ijs tantum permittantur munera Ecclesiastica, qui ad ea obuenda ritè vocati & ordinati sunt, & in ipso ordinationis suæ Sacramento diuinam virtutem acceperunt, per quam ad destinata ministeria idonei redderentur, & rata atque efficacia forent, quæ ipsi in suscepto ministerio iuxta Christi & Ecclesiæ institutionem, ritè exequerentur.

Contra hoc externum Sacerdotium, cuius gerendi potestas & virtus exequendi, non omnibus ex Baptismo cõpetit, sed certis quibusdam ad id vocatis in ordinatione visibili quidem Sacramento, sed inuisibili virtute traditur: non pugnant hi loci scripturæ, qui aliud internum & spirituale Sacerdotium omnibus Christianis ex æquo tribuunt, qualis est hic Petri. Vos autem genus electum, regale Sacerdotiũ. Et alius in Apocalypsi. Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo & Patri suo.

1. Pet. 2.
Apoc. 1.

Hæc de Sacerdotio spirituali dicuntur, quod vnusquisque in Baptismo accipit in seipso, & non in alijs dispensandum & exercendum. Nos enim genus electum & regale Sacerdotium ideo dicimur, quia Christus Pater noster & Rex est & Sacerdos, Patre siquidem vtrunque principatum obtinente, consequens est, vt qui eius sumus, velut à Rege genus regale, & velut à Sacerdote genus Sacerdotale nuncupemur: sicut et gens sancta nuncupamur, vocati ab eo, qui verè Sanctus est. Sed ipsi quoque Reges sumus, et Sacerdotes, in nobis ipsis regnum et Sacerdotium spirituale exercentes. Rex suus vnusquisque est, dum malis cupid-

cupiditatibus suis imperat, & contra vitiorum insultus depugnans, vitam suam à sceleribus tuetur, & innocenciam conseruat. Sacerdos verò eodem modo, dum maculat cupiditates suas, & occidit peccata, vt possit offerre corpus suum hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. Similiter Sacerdos est vnusquisque, dum puras manus attollens ad Deum, de sincero corde, laudis, & gratiarum actionis, & deuotarum precum sacrificia Deo immolat.

Rom. 12.

1. Tim. 2.

Quemadmodum autem illud spirituale regnum, quod vnusquisque contra suas cupiditates exercere debet, non excludit illud externum regnum, & non destruit ciuilem Magistratum gubernationem: sed eam vnusquisque in Christo Rex sit, nihilominus tamen iubemur subesse Regibus & Principibus, & gubernationi ciuili parere: Sic illud spirituale Sacerdotium, quo singuli in semetipsis spirituales victimas occidunt, & sacrificia spiritalia offerunt, non excludit illud externum Sacerdotium, quo ad ministeria Ecclesiæ, certi quidam ex multitudine credentium destinantur, qui potestate diuinitus accepta, iuxta Domini institutionem præsent dispensationi mysteriorum Dei, & commissam sibi plebem verbo Dei regant, & salutaribus Domini sacramentis saginent.

Et ita in veteri quoque Testamento diuisa erant ista duo Sacerdotia, tamen de toto illo populo extaret testimoniũ Dei. Vos eritis mihi in regnum Sacerdotale & gens sancta: tamè certi quidam ex publico munere Sacerdotes erant, & externum gerebant Sacerdotium, cuius functiones non omnibus ex populo, sed solis Leuiticæ stirpis hominibus permittebatur. Sic in nouo Testamento disertis scripturæ testimonijs illa Sacerdotia discernuntur.

Exod. 19.

De Spirituali sacerdotio loquuntur hæc & similia testimonia (quæ omnibus Christianis sunt præstanda) Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam, placentem Deo, rationabile obsequium vestrum. Et ipsi tanquam lapides viui super-

Rom. 12.

1. Pet. 2.

Pfal. 49. offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo, per Iesum Christum. Et. Imola Deo sacrificium laudis, &c.

Ad externum illud Sacerdotium pertinent promissiones & commonitiones illæ. Hoc facite in mei commemorationem. Et. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis. Et. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Et. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Et. Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum.

Huius autem externi Sacerdotij functiones non sunt communes omnibus, nec cuius etiam Christiano competunt: sed secundum Christi institutionem & traditionem Apostolicam, his solis permittendæ sunt, qui ad eas ritè vocati, & per traditionem virtute diuinitus collata instructi & instructi, accedunt.

His pro asserendo Ordinis Sacramento, & stabiliendo externo Sacerdotio, sic dictis, de tota huius Sacramenti ratione amplius disserendum erit.

DE FORMA HVIVS
Sacramenti.

Ioan. 20. P Romissiones diuinæ, quibus hoc ordinationis Sacramentum innititur, in scripturis sanctis luculentæ & multæ inueniuntur. Sicut me misit Pater, & ego mitto vos. Hoc facite in mei commemorationem. Et. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Et. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Et. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Quibus verbis Christus discipulis suis, & eorum futuris in ministerio Ecclesiæ successoribus, munus annunciandi Euangelij iniunxit, & corpo-

corporis & sanguinis sui consecrationem, & reliquorum Sacramentorum dispensationem (quæ Ordinis Sacerdotalis functiones sunt) præcepit: potestatem eis diuinitus concedens, qua ministerium eorum in ijs omnibus exequendis, efficax & ratum esset. Addit enim promissionem fore, vt quos ipsi in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, foris aquis abluisent, intus diuina virtute purificati, salui, & regno Dei apti, redderentur: & quorum peccata ipsi remitterent, essent remissa: & quorum retineret, essent retenta. Similiter & corpus & sanguinem suum consecratis, & reliquorum Sacramentorum dispensationem administrantibus pollicetur efficaciam, aliòquin inania essent præcepta.

Hæ autem promissiones non ad solos Apostolos, sed ad futuri temporis Ecclesiam pertinebant. Et autoritas & potestas illa non cessauit in Apostolis, sed hodie etiam durat in ministerio Ecclesiæ. Per traditionem enim infunditur ordinatis: sicut præclare Augustinus. Illud quod insufflasse in discipulos Dominus legitur (inquit) post paucos dies resurrectionis suæ, & dixisse: Accipite Spiritum sanctum: Ecclesiastica potestas collata esse intelligitur. Quia enim omnia in traditione Dominica per Spiritum sanctum aguntur: ideo cum regula eis & forma traditur huius disciplinæ, dicitur eis: Accipite Spiritum sanctum. Et quia verè ad ius Ecclesiasticum pertinet, statim subiicit dicens. Cuius tenueritis peccata, tenebuntur: & cuius remisistis, remittuntur. Inspiratio ergò hæc, gratia quædam est, quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quæ commendatiores habeantur. Vnde Apostolus dicit ad Timotheum. Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyterij. Semel ergo fieri oportuit, vt de cætero traditio ista non sine dono Spiritus sancti esse crederetur. Sicut enim in Salvatore forma data est visibiliter, vt post Baptismum Spiritus sanctus credentibus de cætero inuisibiliter dari non ambigeretur: ita & in supradicta causa, forma data est in principio, vt ex eo traditioni Ecclesiasticæ Spiritus sanctus infusus credatur.

Episcopus igitur in conferendis Ordinibus, ad supradictas Domini promissiones & mandata attentè respiciens, tali verborum forma vtitur, quæ ad promissiones huiusmodi & mandata quàm proximè accedit, eaque propriè & disertè exprimit. Traditurus enim Ordinem Sacerdotalem: Accipe, inquit, Spiritum sanctum, quorum remissionis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueris, retenta sunt.

Similiter in aliorum omnium Ordinum collatione, ex ipso ordinationis ritu per instrumenti traditionem, & verborum certam formam, functionem, vnicuique Ordini ex Christi & Ecclesiæ institutione competentem, clarè exprimit.

Itaque, qui ordinantur per hunc externum & visibilem ritum, gratiam suscipiunt internam, & certam & efficacem: potestatem & auctoritatem diuinitus accipiunt predicandi Euangelium, baptizandi, consecrandi corpus & sanguinem Domini, & reliqua Sacramenta administrandi. Estque in ijs omnibus ratum & efficax ministerium ritè ordinatorum, eaque omnia efficiunt infallibiliter, non ipsi quidem proprio merito, sed virtute diuina. Potestas enim Dei est, non hominis. Manum tantum & linguam præbent Sacerdotes, sed Deus omnino facit, intrinsecus operans, & suam promissionem in ministerio Sacerdotum explens, quam dixit. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & cætera.

Ioan. 20.

DE MATERIA SEV ELEMENTO
Sacramenti Ordinis.

In Ordinibus maioribus, Diaconatu & Presbyterio, internæ virtutis & gratiæ accipiendæ externum signum & sensibile elementum adhibetur manuum impositio, quam ex Apostolica traditione descendere disertè Lucas in Actis Apostolicis testatur cap. 6. 17. 14. Ad hunc autem exter-

externum manuum impositionis ritum, in verbo Dei & orationibus exhibitum, internam & spiritalem gratiæ consequi, quæ in ministerio ordinati efficaciter operetur, & ad suscepti muneris executionem reddat idoneum, aperte Paulus indicat: Noli, inquit, negligere gratiam, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterij. Et. Vt resuscites gratiam Dei, quæ in te est, per impositionem manuum mearum.

1. Tim. 4

2. Tim. 1

Designat autem impositio manuum in ordinando operum Spiritus sancti resuscitationem, siquidem in digitis diuersa Spiritus sancti dona indicantur: manus autem operationem significant. Vnde innuitur, ordinatum diuersis Spiritus sancti donis impleri, quæ eum ad diuersas Ecclesiastici muneris functiones ritè & vtiliter obeundas, efficacem & idoneum reddant.

Ambrosius mysterium impositionis manuum sic explicat. Manus impositiones verba sunt mystica, quibus confirmatur ad opus electus, accipiens potestatem teste conscientia sua, vt audeat vice Domini sacrificium offerre Deo. Et idem. Homo imponit manus: Deus largitur gratiam. Sacerdos imponit supplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextera. Episcopus initiat Ordinem, & Deus tribuit dignitatem.

Itaque sicut in Baptismo aquæ infusio ritus est diuinitus approbatus, aptam significationem habens, ad certificandam baptizati conscientiam de interna animæ purgatione, & ablutione omnium sordium spiritualium: ita in Ordinis Sacramento manuum impositio ritus est, in scripturis approbatus, aptam significationem habens ad certificandam ordinati conscientiam de dono Dei, ad ædificationem Ecclesiæ pro vtili ac efficaci muneris in Ecclesia gerendi executione, sibi collato.

Ad initiationem Sacerdotum, præter impositionem manuum, etiam Vnctio adhiberi solet: cuius vsus & propter vetustatem suam, & propter mysterium aptamque significationem

FF iij ficationem

ficationem, omnino in Ecclesia retinendus est. Ritus erat legis veteris, vt in eo populo, ex quo Christus erat natus, Reges & Sacerdotes oleo vngentur. Hanc vñtionem Christiana Religio (cùm cæteras legis istius antiquæ cæremonias, quæ futurorum significatione continebant, superueniente veritate reliquerit) propter mysteriū retinuit, multiplicemque in nouo populo Vñtionem exercet. Vnguntur singuli, Confessionem Christiani nominis in mysterio Baptismi suscipientes, vt quemadmodum Christus ab Vñtione nomen habet, eò quod vnxit eū Deus præ participibus suis: sic ipsi quoque accepta Vñtione, esse vñcti Dei, Christi que nominis participes fieri, & eius in se gratiam habere possint. Vnguntur inchoaturi vitam Christianam, quasi Athletæ Domini, cuius bella aduersus Diaboli phalanges & seculi huius insidias pugnaturi sunt. Vnguntur in progressu vitæ ad robur & confirmationem, vt omnis diuinæ virtutis & gratiæ perfectionem & completum accipiant. Vnguntur in exitu vitæ, vt tunc ex infirmitate æger animus fiducia & consolatione erigatur, ne brauium illud, quod in vitæ cursu tenuerunt, in fine amittant, & ne fructu fidei suæ, animarum salute, despolientur.

Præter has Vñtiones Christianis omnibus communes, singulari quadam Vñtione iniciat Sacerdotes suos Catholica Ecclesia, in signum sacrationis, & excellentis potestatis, quam eis ad soluenda ligandaue peccata hominum Christus tradidit, vt sint Reges & rectores in populo Dei ad ædificationem Ecclesiæ, & vt ex Vñtione admoventur, se gratiam consecrandi accepisse, & charitatis opera debere extendere ad omnes. Huius autem Sacerdotalis Vñtionis vsum non Romana solum, sed Græca etiam Ecclesia ab ipsis Apostolorum temporibus tenuit, cuius meminit Theophilactus. Omnis (inquit) cuiuscunque concredita est sacerdotalia, etiam si indignus fuerit, donum habet ex Vñtione, id quod magnum diuinæ misericordiæ est Sacramentum.

In reliquis Ordinibus pro Elemento, sunt instrumenta, quæ pro Ordinis varietate Episcopus singulis porrigitur,

simul

simul admonet eos, vt in suscepto munere ritè & diligenter ministrare sollicitè curent. Ex ipso autem instrumento, quodam modo ordinandus intelligit, quæ sint futuræ suscepti Ordinis partes & officia.

Oratio autem in singulis Ordinibus recitatur ab ordinatore, qua officia eius Ordinis commemorat, & simul Deum rogat, vt in obeundis officiis ad ædificationem Ecclesiæ suæ, ordinatis per gratiam suam benignus & efficax assistere dignetur.

Tondentur etiam ordinandi, quem ritum ab Apostolis introductum Rabanus commemorat, vt tonsi formam & similitudinem Christi spinis coronati in capite præ se ferrent, & simul per Tonfuram a plebe discernentur. Similiter per Tonfuram sicut per Vñtionem regalis dignitas in Sacerdotibus designatur. Nudatum etiam a suprema parte caput, innuit, ministros Ecclesiæ a se abicere debere, quæcunq; animum ad diuinam se erigentem deprimere & impedire solent.

DE EFFECTV SACRAMENTI Ordinis.

E ffectus, seu virtus huius Sacramenti, est diuersa illa potestas, quæ pro singulorum Ordinum varietate ex dono Dei traditur ordinatis, qualis est potestas consecrandi corpus & sanguinem Dominicum (Hoc facite, 1. Cor. 4.

inquit, in mei cõmemoratione) & quæcunq; huic potestati coheret, vt eiusdem corporis & sanguinis, precum etiam deuotarū sacrificia offerre Deo pro Ecclesia. Potestas administrandi sacramenta, de qua Apostolus. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorū Dei præcipue verò potestas remittendi ac retinendi peccata, quæ Christus discipulis promissit. Quorūcunq; remiseritis (inquit) peccata, remittentur eis: & quorū retinueritis, retenta sunt. Et ne quis de tantæ promissionis fide & certitudine dubitaret, aut ne quis tantam gratiam ex humana non

FF iiii diuina

Magister
senten. 4.
dist. 27,
cap. 9.

diuina virtute prouenire non rectè existimaret, Christus suam auctoritatem proposuit. Sicut misit Pater, inquit, & ego mitto vos: vt promittentis bonitatem & potèciam agnoscentes, de tanto dono non hæsitemus.

Hæ duæ potestates, vt à Christo diuersis temporibus collatæ sunt Apostolis: sic hodie in Ecclesia distinctim traduntur, & in omnibus Sacerdotibus æquales sunt, & semel acceptæ manēt in ordinatis perpetuæ. Prohiberi quidem ordinatus potest, ne consecrandi corpus & sanguinem Domini, aut remittendi & retinendi peccata potestatem exerceat: ipsum ius consecrandi & dispensandi Sacramenta, & remittendi seu retinendi peccata, semel ordinatus amittere nunquam potest. Quod Augustinus, contra Parmenianum de Baptismo & Ordine differens, testatur. Nulla ostenditur causa, inquit, cur ille qui ipsum Baptismum amittere nõ potest, ius dandi amittere possit. Vtrumque enim Sacramentum est, & quadam consecratione. vtrumque homini datur: Illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, ideoque in Catholico vtrumque non licet iterari.

Potestas etiam prædicandi in Ordinis Sacramento traditur & accipitur. Euntes, inquit, prædicate Euangelium omni creaturæ. Huc pertinet potestas exorcizandi, & omnis illa auctoritas per ordinationem collata, certificans conscientiam ordinati, vt bona fiducia in Ecclesia gerere audeat officium sibi commissum.

Est etiam propria virtus & efficacia huius Sacramenti vt, ex singulari quodam dono seu gratia Dei ordinato collata, sint rata & efficacia quæcumque ordinati, talem potestatem in Ecclesia exercentes, secundum Christi & Ecclesie institutionem ritè exequuntur. De hac gratia dixit Apostolus. Noli negligere gratiam, quæ tibi data est per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterij. Et vt resuscites gratiam quæ in te est, per impositionem manuum mearum.

Hinc autem nihil sibi arrogare debet humana præsumptio, siquidem hæc omnia non ministrorum meritum aut virtus

1. Tim. 4

2. Tim. 1

virtus, sed diuina gratia efficit, quæ in officiis ordinarum operatur. Sicut enim Christus est, qui baptizat: ita ipse gratiam suam in officio Sacerdotali omnia perficit & operatur. Hic nihil ministrorum meritis, sed omnia diuinæ gratiæ priuilegiis debentur, vt in executione Sacerdotalis ministerij, nec dignitate deterius, fiat. Nihil operi diuino superaddere boni, vel mali diminuere queunt, quasi contra Deum fortiores, aut quasi ipsi essent Deus, si tantæ virtutis officia ex eorum meritis æstimarentur: aut si ipsorum esse putaretur, quod omnino diuinum est. Profus spiritualia dona, quæ in ministerio Ecclesie dispensantur, à bonitate seu malitia ministrorum diuisa sunt, & secundum Spiritum Dei, qui donorum omnium author est, virtus donorum æstimari debet, qui ad bonum Ecclesie, & bonis & malis ministris se infundit, & per dispares ministros dona semper æqualia, & semper bona in profectum Ecclesie, & ædificationem corporis Christi, dispensat: nec potest malus minister bonum Dei donum facere deterius, sicut nec à iusto dispensatore Dei donum melius efficitur: quia non ministrorum, sed Dei dona sunt. Nihil in eis possunt merita hominum, sed sola Dei gratia valet & operatur omnia. Diuisiones gratiarum sunt, inquit Apostolus, idem autem Spiritus. Et. Hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult. Sic & Christus de maximorum donorum dispensatione loquens, solius Spiritus mentionem induxit, de ministris tacuit: quia de tanta gratia nihil ad eos pertinere vidit. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, nõ introibit in regnum cælorum. Et ministerium remittendi aut retinendi peccata tradere volens discipulis, suam auctoritatem præponit, & Spiritus sancti virtutem, qua hoc efficeret, pollicetur. Sicut misit Pater, inquit, & ego mitto vos. Et insufflans, dixit eis. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Id est. Quorum peccata ministerio vestro remiseritis, eisdem Spiritus sancti munere & virtute remissa erunt. Et hoc tantum donum non vos efficietis, sed per ministerium vestrum efficiet Spiritus sanctus,

Ioan. 3.

Ioan. 20.

Etus. Sic profus in ordinatione gratiam & dona Spiritus sancti, & boni & mali ministri accipiūt. Mali quidem non ad propriam salutem & vtilitatem, tamen ad commodum totius Ecclesiæ, & ad aliorum vtilitatem. Sicut multi ex dono Spiritus sancti prophetant, & in virtute eius demonia eiiciunt, qui in illo die non agnoscentur à Christo. Boni verò ex ordinatione duplicem Spiritus sancti gratiam accipiunt. Vnam quidem, quæ ad commodum cedit totius Ecclesiæ: Alteram sibi propriam & peculiarem, qua ex munere benè & sanctè administrato, certam animarum suarum salutem reportabunt, testante scriptura. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Et Dominus in Euangelio seruo gnauiter operanti. Euge (inquit) serue bone & fidelis, quia in pauca fuisi fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudiū Domini tui. Et Petrus Presbyteris & populi pastoribus pollicetur. Cùm apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. Et Paulus. Qui benè ministrauerit (inquit) bonum gaudium sibi acquirat.

De gratia in ministerio ordinatorum (etiā si mali sint) operante, passim extant Orthodoxorum testimonia, vt est illud Ambrosij. In loco Ordinis Ecclesiastici officij constitutus (ait) gratiam habet, qualisuis sit: non utiq; propriam, sed Ordinis, per Spiritus sancti efficaciam. Theophilactus in cap. Ioan. 11. ait. Cum aliis Pontificatus dignitas erat corrupta, simul ac venalicij facti fuerunt Principes, nec vltra per omne tempus vnus, sed duntaxat in annum vnus, Sacerdotio fungerentur. Et quamuis ita corrupta foret dignitas, adhuc tamen aderat gratia Spiritus sancti operans in his, qui vncti erant. Et Christus malorum ministerium non vult contemni, sed velut vitile commendat. In cathedra Moyfi sedet (inquit) Scribæ & Pharisæi. *Mat. 23* Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, seruare & facite: secundum opera verò eorum nolite facere.

Ordines Ecclesiasticos quidam cum Rabano numerant nouem, vt Ecclesia militans istius Triumphantis imaginem

nem referat, nouem Angelorum choros, totidem distinctis Ecclesiastici ministerij Ordinibus representans. Et hi Tonsuram inter Ordines ponunt, & Episcopalem Ordinem à Sacerdotali separant Ordinem faciunt. Alij cum Isidoro septem Ordines recipiunt, dum in hoc septempli ci tempore volumur, pro septemplici gratia Spiritus sancti accipienda. Et hi Tonsuram è numero Ordinum seponunt, & Episcopalem cum Sacerdotali eundem Ordinem faciunt, dignitatum modo & officiorum quadam prerogatiua distinctum. Sunt autem inter Ordines Ecclesiasticos alij minores: Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, Acoluthorum. Alij maiores, & Sacri vocantur: Subdiaconorum, Diaconorum, Presbyterorum.

DE TONSURA CLERICALI.

Ræcedit hos omnes Tonsura Clericalis, quæ iuxta formam Ecclesiæ data, prouilegium Clericorum acquirit ordinato, qui si postea Matrimonio se tradiderit, si modo bigamus non fuerit, Tonsuram deferens, prouilegium Clericorum non amittit: omittens Tonsuram, videtur prouilegio renunciaſſe. Vsum tondendi Rabanus ab Apostolis asserit traditum, vt hac nota Clerici à Laicis discernantur, & vt asserit in forrem Domini, similitudinem coronæ Christi in capite præ se ferat: & sicut capilli à capite rescinduntur, sic adiuti diuina virtute, superfluas & inanes cogitationes & desideria carnalia ab animis rescicantes, his quæ Dei sunt animos gerat intentos. Et negocia secularia à se abdicantes (quod capillorū abiectione signatur) ad ministeriū Domini expediti & liberi accedat: memores dicti Apostolici. Neminem militantē Deo, implicari debere negociis secularibus, vt ei placeat, cui se probauit. Hinc Tonsuram ministrans Episcopus, inuocato Dei adiutorio, super ordinando orat, vt superueniens Spiritus sancti gratia mētē eius à curis secularibus auersam, ad ea quæ Dei sunt cōuertat: vt seculo, & his quæ sunt huius seculi renunciās, & in fortē Domini ascitus, purū & sanctū Deo ministeriū exhibeat,

exhibeat, & tandem cœlestis hæreditatis confors fieri mereatur. Hæc Tonfura Laicis ad conditionem Clericorum aditum aperit. Sunt etiam Psalmistæ in ministerio Ecclesiæ, qui sine ordinatione Episcopi, solo iussu Presbyteri, psallendi munus subire possunt, admonente eos Episcopo, vt quod ore cantant, corde credant: & quod corde credunt, operibus comprobent.

Primus Ordo est Ostiariorum, qui dum ordinantur, clauus Ecclesiæ de Altari porrectas, de manu Episcopi suscipiunt, quarum traditione custodiam templi, & curam rerum omnium, ad vsum Ecclesiæ pertinentium, illis mandat. Sic age (inquit) quasi reddaturus rationem Deo pro his rebus, quæ his clauibus recinduntur. Hi Ianitores sunt Ecclesiarum seu ædium, quorum vices sunt ad templi fores obseruare, vt dignos in templum recipiant: indignos (puta infideles, hæreticos, excommunicatos) semoucant.

Lectores dum ordinantur, librum de manu Episcopi accipiunt, cum hac denunciatione, vt meminerint, se electione fratrum suorum lectores in domo Domini, & verbi Dei relatores constitui habituros, si fideliter officium suum impleuerint, mercedem feruis sedulis, & fidelibus verbi sui annuntiatoribus, à Domino promissam. Est enim officium Lectorum, vt lectiones sacras ex scripturis in Ecclesia recitent ad populum, ideoque Episcopus orat super eis, corda eorum virtute diuinæ & sancto Dei Spiritu adimpleri exposcit, vt ea quæ in Ecclesia legenda sunt, deuotè & discretè legant, & eadem diuina gratia adiuti, quæ legerint, etiam opere adimplant.

Exorcistæ, quos Latini adiurantes seu increpantes dicere possunt, cum ordinantur, librum de manu Episcopi sumunt, Exorcismos continens. Dicente Episcopo. Ecce te & commenda memoratæ, & habeto potestatem imponendi manus super euergueros, siue baptizatos siue catechumenos. Est autem officium Exorcistarum, in virtute verbi Domini, spiritus immundos ab obsessis corporibus

bus eicere, & super omnes Dæmonibus molestatos nomen Domini inuocare, & sic malitiam Dæmonum compescere, & nocuas eorum illusiones & inquietationes depellere, & saltem, aquam, ac reliquas res, quæ in vsum hominum veniunt, consecrare. Exorcistas, teste Ambrosio, Apostolus sub appellatione Magistrorum seu Doctorum intellexit, eò quòd officium Exorcistarum esset, circuire in Ecclesia, & verberare ac compescere inquietos: aut quia lectionibus incubentes, rudes in fide erudiebant, qui mos (inquit) per negligentiam obsoleuit. Hanc potestatem, velut Ecclesiæ suæ valde necessariam & vtilem, Christus discipulis suis tradidit, cum eos Ecclesiæ suæ fundatores in orbem emitteret. Et dedit illis, inquit, potestatem eiciendi dæmonia. Et iterum. In nomine meo, inquit, Dæmonia eiciunt. Huius promissæ virtutis memor Ecclesia, dum Exorcistæ ordinantur, optat eos benedictione cœlesti & virtute Spiritus Dei perfundi, qua potentes sint malorum spirituum nequitiam per Christi verbum coercendi, & vt salutare medici existant in Ecclesia Dei virtute cœlesti, per Christum Confirmati.

Marc. 7.
Matt. 10.
Marc. 16

Quartus Ordo & inter minores supremus est Acoluthorum, quos quidam Acolitos, id est, improhibitos dici existimant: quia ministerium Ecclesiæ adiuvantes, in templis pro necessitate officij, nemine prohibente, liberè obambulabant, & quod eos res ad vsum ministerij necessarias seu inferentes seu efferentes, nemo prohibebat. Alij Acoluthos, id est, sectatores, seu ministros appellat, eò quòd officij eorum sit, vt superiorum graduum viros sacris operantes, proximè comitentur. Latini Ceroferarii vocant. Nam & hæ illorum partes sunt, vt dñi Evangelium legitur, aut sacrificium offertur, Acoluthi ante Diaconos & Presbyteros deferant accensos cereos, in signum lætitie: & vt augmentum inde diuino cultui accretat: & vt fidelium animi externæ lucis splendore, illius internæ & spiritalis lucis admonentur, qua Deus corda eorum ad agnoscendam veritatem, per Christum illustrare & illuminare dignatus est: & vt istius sempiternæ lucis visendæ desiderio accendantur.

Dum

Dum ordinantur Acoluthi, Ceroferarium cum cereo de manu Episcopi accipiunt, & simul admoventur, vt meminerint, se ad accédenda Ecclesiæ luminaria mâcipari. Similiter & vrcolum accipiunt, ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, orante pro illis Episcopo, quatenus Deus gratia sancti Spiritus corda eorum illustrare, & mentes eorum ad diuinarum rerum amorem accendere dignetur, vt in Ecclesia Christi fideliter seruientes, sicut lumen visibile manibus præferunt, sic synceris moribus & vitæ innocentia aliis præluceant, vt alij opera eorum bona & sanctam conuersationem considerantes, glorificent Patrem, qui in cælis est.

Habent hi minores Ordines longæ vetustatis in Ecclesia plurima & luculenta testimonia, vnde fatis apparet, eos nõ humana præsumptione adinuentos, sed diuina autoritate institutos esse. Beatus Paulus, qui distinctos Diaconorũ & Presbyterorum Ordines disertè expressit, hos etiam minores Ordines, sub aliis tamen vocabulis, designauit. Et ipse quosdam quidem dedit Apostolos (inquit) quosdam autem Prophetas, alios verò Euāgelistas, alios autem Pastores & Doctores: ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Quem locum Diuus Ambrosius exponens, differentiam Ecclesiasticorum officiorum, ab Apostolo sub aliis vocabulis designatam, cõsuetis Ordinum nominibus distinguit: asserens, in vices Apostolorum successisse Episcopos: Presbyteros Prophetarum, Diaconos Euangelistarum, Lectores Pastorum, & Ezorcistas Doctorem seu Magistrorum, Ordinem hodie obtinere in Ecclesia. Apostoli (inquit) Episcopi sunt, prophetæ verò explanatores sunt scripturarum: quamuis inter ipsa primordia fuerint Prophetæ, vt Agabus, & quatuor virgines prophetantes, sicut continetur in actibus Apostolorum, sed propter rudimenta fidei commendanda. Nunc autem interpretes Prophetæ dicuntur: Euangelistæ Diaconi sunt, sicut Philippus. Quamquam non sint Sacerdotes, euāgelizare tamen possunt sine cathedra, quemadmodum & Stephanus & Philippus memoratus. Pastores possunt esse Lectores, qui

qui lectione saginent populum audientem: quia non tantum viuunt homo, sed in omni verbo Dei. Magistri verò Exorcistæ sunt, quia in Ecclesia Christi compefcunt & verberant inquietos, siue hi qui lectionibus incumbentes, infantes solebant imbucere, sicut mos Iudæorum est, quorum traditio ad nos transiitum fecit, qui per negligentiam obsoleuit. Hæc Ambrosius. Acoluthorum Ordinem Pauli Apostoli tempore in Ecclesia viguisse, argumenta epistolæ ipsius præfixa indicant. Sic enim in argumento prioris ad Thessa. Hos, inquit, collaudat Apostolus, scribès eis ab Athenis per Tychicum Diaconem, & Onesimum Acoluthum. Et in posteriore ad eosdem. Scribit hanc epistolam ab Athenis per Titum Diaconem & Onesimum Acoluthum.

Certè Apostolici viri sectatores Apostolorum & coætanei minorum Ordinum crebrò admodum meminerunt, vt est videre apud Ignatium Martyrem, Ioãnis Apostoli discipulum, in epistola, quam ad Antiochenfes scripsit. Apud Clementem & Anacletum, vetustissimos Romang Ecclesiæ Pontifices. Apud Dionysium Areopagitã Eccl. Hierarch. cap. 3. qui sacris ianuis Præfectos, id est, Ostiarios, commemorat. Apud Cyprianum lib. 1. epist. 3. Apud Hieronymum in Dialogo contra Luciferianos. Similiter in antiquissimis Conciliis. Laodicen. ca. 23. Calcedon. 4. cap. 6. Tolet. 1. cap. 4. Carthag. 4.

DE MAIORIBVS ORDINIBVS,
qui & sacri vocantur.

Vb diaconi dum ordinantur, manuum impositionem (quæ solis superiorum Ordinum ministris, Diaconis videlicet & Presbyteris, ex traditione Apostolica debetur) non accipiunt. Subdiaconatus tamen in maiorum Ordinum numero censeret cœpit ob id, quòd qui ad hunc Ordinem promouebantur, propter sacrorum vasorum contrèctationem, Matrimonij vsum à se abdicare iuebantur. Subdiaconi in adiumentum ministerij Diaconis adiuncti sunt, vt eorum

eorū officii subseruirent, & ministrarent Diaconis. Sunt autem officia Subdiaconorū, calicem & patenam ad Altare offerre, & iterum deferre: panem & vinum ad Eucharistiam corporis & sanguinis Domini conficiendam, subministrare Sacerdoti celebranti. Fidelium oblationes, quas ad vltimum ministrorum Ecclesiæ & in alimenta pauperum offerebant, suscipere. De panibus oblati (quos nunc hostias seu oblatas vocamus) pro numero communicantium in Altari reponere: Pannos corporales, qui sacris hostiis in Altari substernuntur, lauare. Et superioribus ministris ad lauandas manus, aquam & mappas suggerere. His accessit præcipua functio Subdiaconorum, vt in celebratione sacri epistolam legant, & circumstantes celebrantem à maleuolorum hominū iniuriis custodiant, & sacrificio eius consensum & testimonium præbeant. Ideoque futuris Subdiaconis Episcopus calicem superpositā patena tangendum offert: commoneans eos, vt muneris concrediti memores, abiectis prioris vitæ negligentis & vitis, cum omni sanctitate & puritate sedulum Deo exhibeant obsequium.

Diaconus latinè ministrum sonat. Munus enim est Diaconorum, vt in ministeriis Ecclesiæ Presbyteris assistant, & eos in ministracione Sacramentorum, adeoque tota Ecclesiæ cura obeunda adiuuent. Sic enim Concilium Carthaginense 4. Diaconis præcipit, vt ita se Presbyteris, sicut Episcopis, ministros esse meminerint. Præcipit Diaconis, inter ipsa Ecclesiæ primordia creatis, Apostoli curam pauperum velut præcipuam imposuerunt, vte quæ credentium liberalitate ad vsum totius Ecclesiæ offerbantur, susciperent Diaconi, & ex iis alimenta ministris Ecclesiæ, viduis etiam & indigentibus, necessaria subministrarent. Deinde partes Diaconorum erant, vt in celebratione sacrorum Presbyteris assistentes, Epistolam & Euangelium ad populum recitarent, & absentibus aut occupatis Episcopis & Presbyteris, Diaconi prædicarent verbum Dei, sed sine cathedra: alioqui in conuentu Presbyterorum Diaconis loqui, nisi iussis aut interrogatis, non permittebatur. Similiter hæc cura Diaconis erat deman-

data,

data, vt mensam Domini in Ecclesia instruerent, oblationes in Altari disponerent, Eucharistiam corporis & sanguinis Domini à Sacerdote consecratam, maximè permittente & iubente Sacerdote, populo ministrarent, & erogarent: breuiter, vt in omnibus subseruirent Episcopis & Presbyteris, in iis quæ ad omnia Ecclesiæ Sacramenta conficienda & dispensanda pertinerent, & curam totius Ecclesiæ cum Episcopis & Presbyteris sibi reputarent communem. Vnde etiam Episcoporum oculi dicuntur, quo nomine eos Clemens & Euaristus appellant, quorum ille de Diaconis loquens: sint (inquit) Diaconi tanquam oculi Episcopi, oberrantes & circumlustrantes cum verecundia omnes actus totius Ecclesiæ, perscrutantes diligentius, si quem videant fieri vicinum præcipitium & proximum esse peccato, vt hoc referat ad Episcopum, vt commoneri ab eo possit is, qui in præcipitium lapsurus est, vt reuocetur, & non corruat in peccatum. Negligentiores quoque & eos, qui ad audiendum verbum Dei rarius, nec sollicitè ad Episcopi tractatum cõueniunt, ipsi commoneant, & adhortentur.

Coecil.
Cartheg.
4. cap. 38

Clemens
epistola.
ad laob.
fratrem
Domini.

Talis cura Diaconis incumberebat, vt Episcopo omnia, quæ ad cultum Ecclesiæ & disciplinam eius pertinerent, diligenter suggererent. Euaristus ait: Diaconi, qui quasi oculi videntur esse Episcopi, in vnaquaque ciuitate, iuxta Apostolorum constituta, septem debent esse, qui custodiant Episcopum prædicantem, ne aut ipse ab insidiatoribus quoquo modo infestetur, aut lædatur à suis, aut verba diuina detrahendo, aut insidiando polluantur. De numero Diaconorū per singulas ciuitates, idem in Neocæsariensi Concilio ca. 14. constitutum est, vnde hæc consuetudo in Ecclesia diu perseuerauit, vt in maximis etiam ciuitatibus septem modo Diaconi, Presbyteri autem pro loci amplitudine, & numero multitudinis credentium, interdum in eadē ciuitate plurimi essent. Hinc euēnit, vt Diaconi ex paucitate commendabiliores essent, & Presbyteri ex multitudine contemnerentur. Quæ causa sequentibus Conciliis multum negocij fecit, donec æditis Constitutionibus factum Diaconorum comprimere, & Pres-

Euaristus
episto. ad
Episcopos
Aphrica.

Præ de
Concil.
Arce-

GG

bytero-

cap. 18. et byterorū dignitati subderent Diaconos. Sicut diuus etiam
Arelat. Hieronymus Diaconos supra Presbyteros se efferentes,
secundum redarguit ad Euagriū. Et Cyprianus Diaconū in Presby-
cap. 15. terum contumeliosum, grauiſſima censura corripuit. Ho-
Agathē. die tamen perseuerat mos in quibusdam Ecclesiis, vt Ar-
cap. 65. chidiaconus dignitatis prerogatiua quadam allis eius-
 dem Collegij etiam Presbyteris anteferatur.

Minorem quidem quā Presbyterorum, attamen val-
 de honorificam esse Diaconorum conditionem in Eccle-
 sia, illa sancti Apostoli Pauli sedula cura demonstrat, qua
 prohibet huius gradus dignitatem temerē in omnes vul-
 gari, sed prius probari Diaconos, deinde ministrare vult
 nullum crimen habentes. Et quales ad tantæ dignitatis
 gradum prouchi debeant, serio edicit. Diaconos, inquit,
 1. *Tim. 3.* similiter pudicos, non bilingues, nō multo vino deditos,
 non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in
 pura conscientia. Et de eisdem. Qui enim bene ministra-
 uerint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam
 in fide, quæ est in Christo Iesu.

Dum ordinantur Diaconi, solus Episcopus super capi-
 ta illorum manus imponit: quia non ad Sacerdotium, sed
 ad ministerium consecrantur: optans illis gratiam Spiritus
 sancti, qua aduersus Diabolum & tentationes eius robo-
 rentur. Deinde Stola à sinistris eorū humeris suspendit,
 commonēs eos, vt ministeriū Ecclesiæ, cui iam humeros
 supposuerunt, adiuuante & gratiam subministrante Do-
 mino, complere satagant. Et porrecto Euangeliorum li-
 bro, annunciandi & legendi Euangelij in Ecclesia Dei
 potestatem contradit, & demum multis orationibus ple-
 nam pietatem spirantibus, tales eos euadere diuinæ gra-
 tiæ munere exoptat, vt in moribus suis plebi Christi-
 piam & vtilem omnium virtutum imitationem sugge-
 rant, quatenus alij tam verbo eorum, quā exemplo vi-
 tæ, ad colendam pietatem adducti, Deo lucrifant.

DE

DE PRESBYTERIS.

Rima Ecclesia sub Apostolis, cum vetus il-
 lud Sacerdotium nondum desuisset, ne in di-
 uersis officiis eadem appellatio confusionem
 induceret, ministros suos, qui primū Ecclesia-
 stici officij Ordine tenebant, nō Sacerdotes,
 sed Presbyteros, id est, seniores appellabat, non vtique
 annos supputans, sed doctrinæ maturitatem, & morum
 actuumque grauitatem attendens, sine quibus senectus
 contemptibilis est: vicissim, vbi ista suppetunt, nulla æ-
 tas immatura iudicari debet. Nemo (inquit Apostolus)
 adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fide-
 lium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, &
 in castitate. Et scriptura ait. Senectus venerabilis est;
 non diuturna, nec annorum numero computata. Cani
 enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita im-
 maculata.

Vbi Moysaicum illud Sacerdotium abolitum esset, san-
 cti Patres consuetum in scripturis vocabulum in Eccle-
 siam reducerunt. & primi Ordinis ministros Sacerdotes
 vocauerunt, qui sic dicuntur, eo quod sacra ipsi faciūt, &
 sacra dant ac porrigunt, id est, Eucharistiam corporis &
 sanguinis Christi ipsi consecrant, & inter fideles dispēfant.

Officia Sacerdotum circa vtrunque Christi corpus veri-
 santur, tam verum quā mysticum. Est enim muneris Sa-
 cerdotalis, vt Eucharistiam veri corporis & sanguinis
 Christi consecrent, eandemque pro Ecclesia placabilem
 Deo hostiam offerant.

Circa mysticū corpus Christi, duplici potestate vtun-
 tur Sacerdotes. Altera, qua Sacramēta inter fideles dispē-
 fant: Altera potestas est clauū, scientiam simul & autho-
 ritatem complectens, vt peccata hominū cognoscant, ve
 leprā à lepra discernant, vt quid sanabile, quid insanabile:
 quid claudendum aperiendū se sit, diiudicent. Et scien-

tiae auctoritatem adiungentes, quae soluenda cognouerint, soluant: quae liganda diiudicauerint, alligent: claudenda & retinenda, claudant & retineant: aperienda & remittenda, aperiant & remittant.

Officia etiam Sacerdotum sunt, ut scripturae sanctae mysteria fidei plebi explicent, & verbum Dei cura indefatigabili annuncient. Et ut pro totius Ecclesiae incolumitate orationes & preces offerant Deo.

Horum officiorum Episcopus in ordinatione futuros sacerdotes verbis admonet. Qui ordinandi estis Presbyteri (inquiens) offerre vos oportet, baptizare, praedicare, & bonis operibus ac Deo placitis vndique redundare. Et insuper variis ritibus adhibitis, traditisque diuersis instrumentis, quae sint eorum munera insinuat. Principio enim manus capitibus eorum imponens, gratiam Absolutionis, & potestatem remittendi ac retinendi peccata eis impartitur. Quorum remissionis peccata (inquit) remittuntur eis. Deinde Stulam vtrique humero aptans, super pectore in modum crucis extendit: innuens, eos suavi iugo Domini submitti debere, & contra omnes mundi casus corda praemunire, ne aut prosperis extollantur, aut in aduersis animum despondentes, concidant. Et Casula eos conuestiens, admonet, ut charitatem exerceant in omnes. Post haec manus eorum inungit, ut intelligant, sibi concessam esse gratiam consecrandi. Demum Calicem & Patenam hostia superposita offerens, potestatem tradit offerendi Deo hostiam sanctam & placabilem, pro totius ecclesiae incolumitate.

Ordinis huius ministerium Christus ipse explevit, quando post cenam panem & vinum in corpus & sanguinem suum potenti benedictione commutauit, & ut idem facerent, discipulos instituit. Et quando in Ara crucis pro redimendis hominum peccatis, seipsum hostiam Patri obtulit, & per sanguinem proprium sancta aeterna ingrediens, terrena simul & caelestia pacificauit.

Sacerdotes in Ecclesia vicem expleant minorum Sacerdotum

dotum, qui erant sub lege. Aarona enim fratrem suum Moyses ex imperio Domini summum Sacerdotem constituit, cui filios veluti secundi Ordinis & minores Sacerdotes suffecit. Quam varietatem Christus in Ecclesia obseruadam insinuans, ex omni discipulorum coetu primum duodecim Apostolos elegit, eosque excellenti potestate & singulari prerogatiua meriti & dignitatis donauit. Deinde Septuaginta duos similiter ex reliqua discipulorum multitudine segregauit, qui quanto ipsi reliquam credentium plebem singularibus donis gratiarum superabant, tanto excellentioribus donis ab Apostolis superabantur. Quam varietatem a Christo introductam in hodiernum diem obseruans Ecclesia, in Apostolorum locum Episcopos ordinat, qui primum in Ecclesia gradum obtineant, quibus vice septuaginta duorum discipulorum secundi gradus viros in operis adiumentum affocians, illos minores Sacerdotes seu Presbyteros vocat.

Episcopi a Sacerdotibus non Ordine, sed gradu ordinis, & excellentia quadam dignitatis differunt. Quod Ambrosius disertè approbat in Epistola Pauli ad Timotheum, sic inquiens. Post Episcopum Diaconatus Ordinem subiicit. Quare? nisi quia Episcopi & Presbyteri vna ordinatio est: vterque enim Sacerdos est. Sed Episcopus primus est, ut omnis Episcopus sit Presbyter, non tamen omnis Presbyter Episcopus. Hic enim Episcopus est, qui inter Presbyteros primus est. Hinc etiam in exordio Ecclesiae confusus vocabulis qui erant Episcopi, etiam Presbyterorum: & qui Presbyteri erant, etiam Episcoporum nomine vocabantur. Sic enim Paulus ad Philippenses scribens. Omnibus sanctis (inquit) qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconibus: Episcoporum nomine Presbyteros intelligens, cum vnus vrbis plures quam vnus Episcopus esse non possit. Et in actis Apostolicis idem Paulus Maiores natu ecclesiae prophetae ad se vocans, mox eos episcopos appellat. Attendite, inquit, vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam, quam acquisiuit sanguine suo. Cum enim ratio vocabulorum iuxta significationem vtrinque-

apud quadraret, nihil repugnabat, quò minùs vtrique communibus vocabulis appellarentur, vt qui Episcopi erant sine discrimine, nunc Episcopi, nunc Sacerdotes dicerentur. Et qui Sacerdotes tantummodo erant, interdum propter vocabuli aptam significationem, etiam Episcopi nomen obtinerent: licet interim officia eorum & functiones in ministerio discretæ & peculiare essent. Si quidem Presbyter fenioem significat, non natu grandem, & annis oneratum, sed morum grauitate maturum, & sapientiæ & sensuum canitiæ decorum, qualem decet esse Episcopum: ideoque non est absurdum, etiam Episcopos Presbyterorum nomenclatura appellari.

Vicissim Episcopus superintendentem, seu superintectorem, aut speculatorem designat. Cum autem etiam minores Sacerdotes in partem sollicitudinis assumpti sint, & cura illis atque onus incumbat peruigilandi super ouili Christi, reddituris vtrique rationem pro animabus subditorum: nihil impedit, eos secundum vocabuli rationem Episcopos, id est, superintendentes, aut speculatores vocari.

Interim tamen inter ministros Ecclesiæ, qui in summo, hoc est, sacerdotali Ordine ministrabant, perseverabat quædam officiorum & dignitatum distinctio, vt esset in eodem Ordine gradus alius ex primæua institutione alio superior, & peculiare quædam functiones ministerij Ecclesiastici solis superioribus, id est, Episcopis, nimirum ex Christi & Apostolorum institutione reseruabantur, quas functiones seu officia, sibi assumere minoribus Sacerdotibus non licebat. Nam per impositionem manuum Spiritum sanctum dabant soli Apostoli, quorù successores sunt Episcopi. De septuaginta duobus (in quorum vicem minores Sacerdotes successerunt) nemo inuenitur impositione manuum tribuisse Spiritum sanctum. Sic solos Apostolos & eorum successores Episcopos, inuenimus alios Sacerdotes ordinasse. Atque hæ traditiones Apostolicæ ex veteri Sacerdotio (quod huius noui Sacerdotij figuram prætulit) desumptæ sunt, in quo

quo summus Sacerdos singularibus ornamentis vestiebatur, solus intrabat in Sanctuarium, quædam cæremonias solus implebat: ad quod exemplar Christus Apostolos maiore gratiarum & donorum prærogatiua donauit. Septuaginta verò duo discipuli, licet ipsi quoque vltra reliquam credentium multitudinem dona accepissent, & ad singularia officia à Christo destinati essent, minores tamen erant Apostolis, & aliquas functiones solis Apostolis (quasi sibi non debitas) reseruabant. Hanc varietatem officiorum in Ordine Sacerdotali Ecclesia ad morem veteris Sacerdotij & ex Christi institutione retinens, istam legem ab initio in perpetuum sanxit & obseruauit, vt quædam officia maioribus Sacerdotibus, id est, Episcopis, velut Apostolorum successoribus reseruarentur, quæ minores Sacerdotes (qui in locum septuaginta duorum discipulorum deuenerunt) sibi vsurpare non auderet, & sic in Ordine Sacerdotali inter maiores & minores Sacerdotes, id est, inter Episcopos & Presbyteros, maneret officiorum & dignitatum distinctio: licet interim vocabula propter significationem vtrinque conuenientem, sæpe confunderentur. Postea verò, ad vitandam confusionem, etiam ipsa vocabula distingui ac coarctari ceperunt, vt ille solus Episcopus nominaretur, qui cæteris omnibus superpositus esset, & ad quem totius vrbs aut Ecclesiæ cura pertineret: Presbyteri autem vocarentur hi, qui sub Episcopo in ministerio Ecclesiæ seruibat, quibus Eucharistiam corporis & sanguinis Domini cõsecrandi, dispensandi Sacramenta, exceptis Confirmatione & Ordine (quæ solis Episcopis debentur) & reliqua officia Sacerdotalia exequendi potestas concessa, & cura demandata erat.

Cuius rei testimonium præbet Theophylactus, enarrans primum caput Epistolæ ad Philippenfes super illud: Cum Episcopis & Diaconibus. Episcopos (inquit) Sacerdotes dicit: neque enim plures præter vnum erant Episcopi, qui singulis ciuitatibus præsiderent. Quippe cum nondum essent huiusmodi nomina dispartita. Nomina, inquit, confusa erant, cum res essent diuersæ, & officia Episcoporum

à Sacerdotum officijs distincta essent, & in multis auctoritas & dignitas Episcoporum excelleret. In eandem sententiam loquitur Augustinus de differentia & eminentia Episcoporum. Quaquàm enim secundum honorum vocabula (inquit) quæ iam vsus Ecclesiæ obtinuit, Episcopus Presbyterio maior sit: tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est.

Diuus Hieronymus confusionem vocabulorum sequutus contra omnium veterum Ecclesiasticorum sententiam credit, Episcopi & Presbyteri munia ab initio nascentis Ecclesiæ eadem fuisse, cum locum Epistolæ Paulinæ ad Titum exponens, inter cætera ait. Idem ergo est Presbyter qui Episcopus. Et antequàm Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò vnusquisq; eos, quos baptizauerat, suos putabat esse, non Christi: in toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quæ omnis Ecclesiæ cura pertineret, & Ichismatum semina tollerentur. Sed hanc sententiam suam postea emendans Hieronymus, differentiam Episcopi & Presbyteri cum reliquis Orthodoxis multis alijs testimonijs comprobauit.

Multa extant veterum Orthodoxorum testimonia, quæ manifestum Episcopi & Presbyteri discrimen ostendunt, & Episcopos in locum Apostolorum successisse, reliquos verò minores Sacerdotes locum septuaginta duorum discipulorum in Ecclesia tenere, affirmant. Beda lib. 3. cap. 15. super Lucam. Sicut duodecim Apostolos formam Episcoporum exhibere simul & demonstrare, nemo est qui dubitet: sic & hos septuaginta duos discipulos figuram Presbyterorum, id est, secundi Ordinis Sacerdotum gelsisse, sciendum est. Tamen primis Ecclesiæ temporibus, vt Apostolica scriptura testis est, vtrique Presbyteri, vtrique Episcopi vocabantur: quorum vnum sapientiæ maturitatem, aliud industriam pastoralis curæ significat. Isidorus in quodam sermone, quem in Synodo habuit. Presbyteri

quippe

quippe successores & discipuli sunt septuaginta duorum discipulorum, qui præcedebant Dominum Iesum Christum in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus. Ita Presbyteri, quia adiutores sunt Episcoporum, rudes populos inuitant, baptizandos vnitati Ecclesiæ incorporant, in omnibus Sacramentis vsque ad manus impositionem populi Dei ministrant. Episcopi verò successores sunt Apostolorum. Leo Papa ad Gallia & Germaniæ Episcopos, in diuinis literis, præcipiente Domino, solus Moyses in tabernaculo Dei erexit Altare: solus ipse vnxit, qui vtiq; summus Sacerdos erat, sicut scriptum est de eo. Moyses & Aaron in Sacerdotibus eis. Ideoque id, quod tantum facere Principibus Sacerdotum iustum est, quorum Typum Moyses & Aaron tenuerunt, omnino decretum est, vt Chorepiscopi vel Presbyteri (qui filiorum Aaron gestant figuram) arripere non præsumant. In eandem sententiam Damasus Papa, Chorepiscopus, quia solùm Sacerdotes essent, Sacramentum confirmationis ministrare prohibens, ait. Quod autem solis Apostolis, eorumque successoribus Episcopis proprij sit officij, tradere Spiritum sanctum, liber Actuum Apostolorum docet, præsertim cum nullus ex septuaginta discipulis, quorum isti in Ecclesia speciem gerunt, legatur donum Spiritus sancti per manus impositionem (vt prædictum est) tradidisse. Similia Urbanus & Anacletus, vterque Papa, & vterque Martyr, tradiderunt. Hieronymus ad Euagrium, ordinatione Episcopalis muneris esse, & à Presbyteris vsurpari non debere contendit. Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non facit? Et idem. Et vt sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron & filij eius atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi & Presbyteri & Diaconi vendicent in Ecclesia. Et ad Nepotianum: Esto subiectus Pontifici tuo, & tanquam animæ parentem suscipe. Et inde. Quod Aaron & filios eius, hoc Episcopum & Presbyterum esse nouerimus.

Sic apud omnes Orthodoxos videre est, dignitates & officia Episcoporum & Presbyterorum in Ecclesia sem-

sem-

semper distincta fuisse: licet ab initio confusis vocabulis vtrique Episcopi, & vtrique Presbyteri, sine discrimine appellarentur.

Inter ipsos etiam Episcopos officiorum & dignitatum gradus sunt. Quidam enim Episcopi sunt. Alij Archiepiscopi, qui idem Metropolitanitani dicuntur, à Primaria ciuitate, quæ reliquarum ciuitatum prouinciæ quasi mater est. Horum partes sunt, omnes Ecclesias totius prouinciæ sua cura complecti ac prouidere, vt cuiusque Dioceseos Episcopi ritè eligantur & ordinètur, & in administrandis Ecclesijs suis munere suo ritè perfungantur. Inter Archiepiscopos quidam Primates vocantur, qui inter totius nationis Episcopos & Archiepiscopos, quadam dignitatis & auctoritatis prærogatiua præminent: quorum dignitatem in plures vulgari Anicetus decreto prohibuit. Nulli Archiepiscopi (inquit) Primates vocètur, nisi illi, qui primas tenent ciuitates, quarum Episcopos Apostoli & successores eorum regulariter Patriarchas & Primates instituerunt. Nisi aliqua gens deinceps ad fidem conuertatur, cui necesse sit propter multitudinem Episcoporum, Primatem cõstitui. Reliqui verò, qui alias sedes Metropolitanas adepti sunt, non Primates, sed Metropolitanitani nominètur.

Adhuc altior gradus est Patriarcharum, qui ante Constantinum tres in toto orbe numerabàtur. Romanus, Antiochenus, & Alexandrinus: quibus postea quartus accessit, Constantinopolitanus: & quintus, Hierosolymitanus.

Inter illos summus est Romanus totius Ordinis Hierarchici princeps & caput, cuius Primatus ad summum Pontificatum veteris legis respicit.

Hunc autem Primatum Christus inter Apostolos vni Petro (cuius successorem Romanum Episcopum omnes Orthodoxi vnanimi sententia faciunt) multis argumentis & testimonijs detulit, dum vnitatem & soliditatem Ecclesiæ suæ in vno Petro firmat & stabilis. Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiã meam.

Et

Et dum Ecclesiã ei præ cæteris commendans, ter dicit. Pasce oues meas. Dum vni Petro in signum singularis cuiusdam auctoritatis & potestatis, Clausus regni cælorum contradit: Tibi, inquit, dabo clausus regni cælorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Et dum curam ei & sollicitudinem confirmandi fratres imponit: Ego pro te rogavi Petre, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus, vt non deficiat fides tua. Id enim singularis cuiusdam curæ & sollicitudinis excellentiam insinuat, & cum singulari auctoritate coniunctum esse debet, defectus aliorum admonitionibus, consolationibus, exhortationibus, & doctrinis supplere & emendare: hoc est enim confirmare fratres. Sentendum tamen est, Romanum Pontificem velut Petri successorem non Ordine Sacerdotij, sed regiminis auctoritate reliquos antecellere. Parem enim ex ordinatione sua potestatem omnes Episcopi acceperunt, vnus omnium Episcoporum Ordo est, par dignitas, nullius Sacerdotium maius, nullus consecratio efficacior existit: sed vt in Ecclesia disciplinæ Ordo conseruaretur, vsus potestatis Sacerdotalis pro vtilitate communis gubernationis diuisus est, vt pari potestate, quam omnes vnam & eandem habent Episcopi, non tamen omnes pariter vterentur: ita, vt Ecclesiastici regiminis auctoritas per gradus distincta, propter vnitatem conseruandam, & vitanda schismata, ad vnum caput & vnam originem dirigeretur.

Vna ergò est Ecclesia, quam Episcopi pro sua quisque portione regunt, quibus tamen omnibus vnus superponitur: qui licet ipse quoque suam portionem teneat, interim tamen vniuersarum Ecclesiarum curam animo completur, & sollicitudine per omnes Ecclesias dæcurrit.

Vna est potestas Sacerdotalis, quam æqualem possident omnes Episcopi, & eadem integra, singuli in plebe sibi commissa vtuntur. Tamen ad retinendam Ecclesiæ disciplinam, inferiorum locorum Episcopi moderantur (vbi

hoc

INSTITVTIO CHRISTIANA

hoc necessitas aut Ecclesiæ utilitas exegerit) habenas potestatis suæ nec in oibus causis voluit exercere plenitudinē potestatis suæ, sed grauiora delicta & causas difficiliore, ad Tribunal superius & ad seuerius iudicium ablegant. Romanus autem Pontifex curam suam ad omnes Ecclesias extendens, potestatem exercet in omnes, non, vt Tyrannide Ecclesiam opprimat, aut collegas suos debita potestate spoliat: sed vt singulos in officio contineat, & pro potestate sibi in omnes concessa, à singulis legitimam Sacerdotalis functionis vsurpationem exigat, vt sic disciplina Ecclesiæ conseruetur, & schismatum occasiones deuitentur.

Extant luculenta vetustissimorum Ecclesiæ scriptorum testimonia, quibus asseuerant hunc Ecclesiasticæ potestatis Ordinem à Christo introductum, vt Sacerdotalis potestas, quæ par est in omnibus Sacerdotibus, tamen quod ad vsum eius & executionem attinet, gradibus distingueretur, & tandem ad vnum aliquod caput redigeretur, & inde in totū Ecclesiæ corpus quasi ex vna origine deflueret. Talem autem Ecclesiastici regiminis Primatum, vna omnes sententia ad sedem Romanam, velut Cathedram Petri & Ecclesiam principalem, deferunt. Anacletus Martyr, Epistola secunda ad Episcopos Italia: In nouo Testamento (inquit) post Christum Dominum à Petro Sacerdotalis cœpit Ordo: quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia Christi datus est, dicente Domino ad eum. Tu es (inquit) Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduersus eam: & tibi dabo Clauēs regni celorum. Hic ergo ligandi & soluendi potestatem primus accepit à Domino, primusq; ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit. Cæteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsūq; principem eorum esse voluerunt. Eadem fermè in Epistola Tertia repetit Cyprianus, seduci quosdam ab hæreticis ostendens, dum vnitati non intendunt. Hoc eo fit (inquit) fratres dilectissimi, dum ad originem veritatis non reditur, nec caput queritur, nec magistri cœlestis doctrina seruatur. Proba-

*Cyprian.
de simpli
citate
pralato-
rum.*

tio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum. Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferorum non vincunt eam. Tibi dabo clauēs regni cœlorum & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis. Et eadem post resurrectionem dicit. Pasce oues meas. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parē potestatem tribuit, & dicit. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum. Si cui remisistis peccata, remittentur ei: si cui tenueritis, tenebuntur. Tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientē sua authoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari cōsortio præditi & honoris & potestatis: sed exordiū ab vnitatem proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur. Idem ad Cornelium Romanæ vrbs Papam scribens, non dubitauit Sedem Romanam appellare Cathedram Petri, & Ecclesiam principalem. Et Tertullianus de Romana Ecclesia: Felix Ecclesia (inquit) cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur: vbi Paulus Ioannis exitu coronatur. Irenæus verò Ecclesiam à duobus Apostolis Romæ fundatam & constitutā, asseuerat. Et Hieronymus ad Damasum Papā Romanum: Ideo mihi Cathedram Petri (inquit) & fidem Apostolicam ore laudatam, censui consulendam, & quæ sequuntur. Notæ sunt posteriorum Orthodoxorum de eadem re sententiæ.

*Cyprian.
lib. 1. ep. 3*

*Tertu. de
præscrip.
hæret.*

*Hiero. ad
Damas.
epi. Quo-
niam ve-
tur. Iusto.*

Episcopi consecratio non à paucioribus, quàm à tribus Episcopis de cōsensu Metropolitanī celebrari debet. Ad Metropolitanī cōsecrationē oēs provinciales conuenire, aut qui iustis causis impediuntur, saltem consensum præbere debet. Dū autē ordinatur Episcopus, caput eius inungitur Chrismate, quæ vnctione insinuat, omnem consecrationem à Spiritu sancto profuere, cuius virtus inuisibilis in vnctione Chrismatis designatur & datur.

*Anacle.
epi. 2. ad
Episcop.
Italia.
dis. 64. c.
Ordina-
tiones E-
piscoposū
dis. 75. c.
Ord.*

Præterea manus eius inunguntur oleo sancto cū Chrismate permixto, ad accipiendam consecrandi gratiam.

Deinde

Deinde hi, qui astant Episcopi librum Euangeliorum super ceruicem ordinandi ponunt: hoc ritu admonentes eum, iam onus annunciandi Euangelij humeris eius impositum, & prædicationis Euangelicæ sarcinam ab eo per Diocesim suam indefatigabili opera esse circumferendam. Sed & codicem Euangelicum cæterasq; scripturas sanctas, meminerit semper in manibus versare, ex quibus discat & suam & suorum vitam salutaribus monitis imbuere, vt instructus Euagelica veritate, per semitam mandatorum Dei & ipse sine offensa pergere nouerit, & sibi commissos ducere & dirigere ad vitam æternam, sedulo curet.

In eodem finem aptatur capiti eius bicornis Infula. gemini Testamenti, Veteris & Noui, cognitionem in Episcopo insinuans necessariam.

Porrigitur & baculus, in quo pascendi gregis Domini sollicitudo & industria, & retinendæ in Ecclesia salutaris correctionis & disciplinæ cura & potestas, designatur.

Anulus quoq; digito eius imponitur, vt meminerit Ecclesiæ suæ, cui quasi sponsus & curator cõiungitur, fidem illibatam conseruare.

In Chirothecis diuinæ gratiæ virtus insinuatur, qua sola omnis benedictio & consecratio perficitur. Episcopus, vt diuini operis minister, solum manus & linguam accomodat, intus autem inuisibiliter omnia operatur & perficit virtus diuina.

Ex ordinationis ritu propemodum officia Episcopiprehenduntur. Sunt autem officia Episcopi (præter ea, quæ cum Presbyteris habet communia: siquidem in Episcopo omnes Ordines insunt, & maior Ordo confertur non debet, nisi minores legitime præcesserint, vt ita superior Ordo inferiores semper includat) per manus impositionem ministros in Ecclesia instituere, & disciplinam Ecclesiæ obseruatis Synodis conseruare. Sic enim Paulus & Barnabas, ex admonitione Spiritus sancti segregati ad opus Euangelij, susceptum munus non sola verbi prædicatione, sed

sed ministrorum etiam institutione & Ecclesiarum sollicita visitatione, compleuerunt. Multas enim ciuitates peragrâtes, cõfirmabant animas discipulorum, exhortantes eos, vt permanerent in fide. Et cum constituisent illis (inquit) per singulas ciuitates Presbyteros, & orassent, cum ieiunationibus commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt. Sic Tito quoq; quem præfecerat Episcopum Cretæ, Apostolus imperauit, vt sua sollicitudine & cura corrigeret defectus Ecclesiarum, & per singulas ciuitates Presbyteros ordinaret. Nota est Apostolorum indefessa cura in visitandis Ecclesiis & confirmandis fidelibus, quorum sollicitudinem sedulo imitari debent Episcopi, crebra visitatione suarum Diocesum, vt tempestiuus inspectionibus, admonitionibus & doctrinis lapsa restituant, ad ruinam inclinata sustentent, & si qua desunt, corrigant: moneant errantes, consolentur pusillanimes, negligentiores hortentur, & sic in omnes partes curam suam extendant, ne quenquam incuria sua perire sinant ex his, quos sanguine suo sibi acquisiuit Dominus.

Ad Episcopi etiam officium pertinet, baptizatos sacro Chrismate in fronte signare. Tempa & altaria dedicare, virgines consecrare, vestimenta & vasa ad cultus diuini ministerium parata, benedicere.

Hisunt Ordines, quibus militantis Ecclesiæ ministerium absouitur, ex quorum diuersitate pulcherrima & vtilissima coit concordia, & moles officiorum in Ecclesia rectè sustentatur & geritur, dum vnusquisq; in ordine suo ad plenam totius Ecclesiastici ministerij consummationem gnauiter elaborat.

Hæc pulchra varietas, præterquam quod ad varias Ecclesiastici muneris functiones ritè obeundas vtilis & necessaria est, conuentus fidelium mirum in modum adornat, & multa alacritate & maiestate replet. Hic nexus est Ecclesiæ, hoc conseruandæ vnitatis vinculum. Hæc gregis Domini fidelis custodia. Ipsi enim (inquit) peruigilat pro vobis, & de animabus vestris ratione Deo redditori sunt. Cùm itaq; in cura istorum, qui ad Ecclesiasticos Ordines assumuntur

Act. 9.
15 & 20

sumuntur, totius gregis Christiani salus vertatur, nimirū ingenti sollicitudine prouidendum est, ne tanti momenti prouincia indignis aut non satis idoneis committatur. Qualem sollicitudinem Apostolus discipulis suis Timotheo ac Tito iniungit, & quales ad ministeria ecclesie promouere debeant tanto serio edicit. Cōmendans enim huius officij excellentiam, mox de qualitate eorum, qui ad id deligendi sunt, commonet. Si quis episcopatum desiderat (inquit) bonum opus desiderat. Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse, vnus vxoris virum, sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorem. Oportet aut̄ illum testimoniu habere bonū ab his, qui foris sunt, vt non in probrum incidat. Diacones similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in pura conscientia. Vt autem tales deligat, sollicitē eundē Timotheum commonet. Commenda (inquit) quæ audisti per me per multos testes fidelibus, qui & idonei erunt alios docere. Et iterum. Manus nemini cito imposueris, neq; cōmunicaueris peccatis alienis. Ad Titum verò: Huius rei gratia (inquit) reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates Presbyteros, sicut ego disposui tibi. Et addit. Oportet autem Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobriū, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.

Et quanto serio Apostolos non modò in cooptando collega in locum Iudæ proditoris, sed in deligendis etiam Diaconis vsos esse, Lucas in ipsorum actis commemorat? Similis cura sanctos Patres in Ecclesia semper exercuit, dum tot æditi Decretis sedulo prouiderunt, ne ad officia & honores Ecclesiarum homines indigni aut minus idonei obrepent. Atq; hanc curam à maioribus traditam, dum aliquot seculis hi, quorum intererat, priuatis affectibus indulgentes, negligentius custodiuerunt, istis acerbissimis

mis malis, quibus Ecclesia penè ad interitum vrgetur, additum in Ecclesiam, patefecerūt, quæ non alia, sed eadem qua irruerunt in Ecclesiam, via rursus eicienda & expurganda sunt, videlicet, vt omni cura & industria nostra procuremus, & idem votis etiam ardentibus à Deo expectamus, quatenus Ecclesia fideles & idoneos ministros habere possit, qui curis secularibus sepositis, in ea quæ Dei sunt & ad salutē ouiu Christi maximē cōducūt, toti intenti puram sementem verbi Dei in Ecclesia iacere, & subnascentium vitiorum zizania eradicare, & tandem messim cœlo inferendam demetere omni studio & sollicitudine procurent. Oremus Dominum messis, vt idoneos operarios extrudat in messim suam. Amen.

De Sacramento

EXTREMÆ VNCTIōNIS.

N hoc maximē apparet immensa charitas Dei, & prouida Patris nostri in nos filios suos sollicitudo, quòd aduersus multiplicia pericula, quæ animæ nostræ toto vitæ tempore insidiantur, multiplicia præparauit auxilia, & variis naturæ nostræ infirmitatibus per diuersa gratiæ suæ remedia medetur.

Occupatio magna creata est omnibus hominibus, ait Sapiens, & iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsq; in diem sepulturæ in matrem omnium. Sed sic occupatis non cessat subuenire Christus, in Sacramentis gratiæ suæ offerens remedia, quibus ab omni onere releuamur, & ab omnibus curamur infirmitatibus.

De vtero matris in hanc lucem egressos comitatur nos
HH culpa

Vita humana semper nouis praesidiis indiget.
 culpa peccati, infausta Adæ hæreditas, qua per transgressionem parentum rei cõstituiumur, & iræ Dei, & mortis obnoxij, sumus. Sed Deus, qui est diues in misericordia, nouæ regenerationis lauacrum ordinauit, quo filij Dei renascimur, & cœlestis hæreditatis promissionem accipimus, quo de morte regeneramur ad vitam, crepti de Inferno, reddimur cœlo.

Quod si ne sic quidem aduersus omnes peccati infidias fati cauti perstiterimus, sed alicubi per infirmitatem aut negligentiam succubuerimus peccato, Christus nos per Pœnitentiæ remedia rursus erigit, & ad pristinam reducit sanitatem.

Nec desinit bonus Dominus etiam post crebros lapsus, per Pœnitentiam erectos & correctos, nos ad sacram mentem suam inuitare, & corporis & sanguinis sui alimento subinde nos reficere, donec tandem in fortitudine escæ illius ambulantes, pertingamus ad montem Dei.

Gal. 5.
 Egressos de Baptismo noui hostes nos excipiunt, contra quorum impetus acquisitam in Baptismo innocentiam nostris viribus tueri, & in finem conseruare non valemus. Nam & in carne nostra latens cõcupiscentia rebellionem contra Spiritum molitur, & ad iteranda peccata nos sollicitare non desinit. Et mundus nos aut voluptatibus mulcet & allicit, aut fraudibus & dolis circumuenit, aut terroribus & periculis oppugnat. Diabolus pertinaci inuidia salutis nostræ insidiatur, circumciens vt leo rugiens, & querens, quem deuoret. Contra horû insultus nouis nos Christus munit præsiidiis, & post Baptismum pleraq; alia Spiritus sancti munera & gratiæ suæ dona, per Sacramenta sua in nos partitur, quibus nos sustentat & confortat, ne ab hostium spiritualium impetu opprimamur, aut fortè oppressi, penitus perdamur. Nam per Confirmationis Sacramentum contra spirituales inimicos vires nobis suggerit, & donis gratiæ suæ nos roborat, & virtute Spiritus sancti munit, & instruit nos ad pugnam, vt aduersus carnem, peccatum, & Diabolum, iam non nostris viribus, sed Dei virtute præliemur, & de munere gratiæ eius vincamus.

Sed vt tota hominis vita infirma, & variis periculis & tentationibus obnoxia, ideoq; cœlestibus præsiidiis munienda est: ita tunc maximè imbecillus est, & grauioribus tentationibus concutitur, cum in magna corporis infirmitate laborat: præcipuè verò, cum iam ad resolutionem tendit, & ad mortem vrgetur. Tunc enim multa concurrunt, quæ mentem hominis mœrore implent, & animam eius grauius opprimunt. Principiò ipse dolor ex corporis infirmitate proueniens molestat ægrotû. Deinde naturalis animæ ad corpus amor, quo nolumus expoliari, sed desideramus magis superindui, adeoq; corporis & animæ coniunctio sine summis paoribus & cruciatibus non soluitur. Vnde & Christum videmus mortis pauore vsq; ad sudorem sanguineum coangustatum. Sic cuiusuis hominis anima naturali quodam affectu pro corpore sollicita, si curam tunc non nihil derelinquit & negligit.

Morituri multis in-comodis tentantur.
 2. Cor. 5.
 Luc. 22.

Rom. 8.
Tit. 3.
 Et quoniam hæreditatem cœlestem, cuius in Baptismo participes effecti sumus, in spe modo, nondum etiam re ipsa possidemus: sed ad eam apprehendendam, per huius vitæ curricula quasi ambulando pergimus, ne in via deficiamus, pius Dominus de mensa sua efficiaci & salutari corporis & sanguinis sui cibo nos pascit & reficit, quo gratiæ & charitatis incrementa nobis suggerens, internum hominem nostrum fuleit & roborat, & nos in seipso fortes, & contra omnes seculi huius aduersitates validos & infractos reddit.

Accedunt ad naturalem ægritudinem spirituales infidiæ horribilis & fœdus occurfantium Dæmonû aspectus, qui morituris se ostendunt, vt à fiducia mentis eos deturbent, & ad desperationem impellant. Quum enim aduersarius noster per totam vitam obseruet hominè, & in omnè occasionè intentus aduigilet, vt deuoret ac perdat: multo magis calcaneo hominis insidiatur, id est, vitima eius obseruat, & in exitu totius malitiæ & têtationû suarû machinis eum oppugnat, ac tunc acrioribus stimulis & spe audiorè dimicat aduersus hominè, quæ videt alioqui & corpore

Dæmones morituris apparent
 Gene. 3.

Quod

HH ij &

& animo ægrum. Tūc omnia peccata redigit ei in memoriam, eaq; commemorando aggrauat: tunc quoq; appropinquans iudicij Dei cogit hominem reminisci: iram Dei & diros Inferni cruciatus ob oculos ponit, & vndiq; ad euertendam ægroti fiduciam, terrores accumulāt. Sed prouida Dei cura & salutis nostræ auida, sicut per reliqua Sacramenta contra spiritalis infirmitates necessariis nos suffulcit præfidiis: sic in periculosos morbos incidentibus, aut mortis anxietatibus circumuētris, alleuiationis & consolationis remedia de gratiæ suæ munere in sacra Vnctionis mysterio procurauit, ne inter corporis dolores, animi vigor deficiat, & ne inimicus tentationibus suis ægros nos ad desperationem adigat, & in infirmitate corporis, animæ vitam opprimat & extinguat.

Dicet aliquis. Quid oleum cuti inuētum ad animæ reuentionem potest: aut quomodo res corporalis, spiritalibus infirmitatibus medetur? Huic respondendum: Quod aqua in verbo Dei ad peccatorum emundationem valet, cur non idem in eodem Dei verbo oleum valeat ad animæ consolationem, quæ iam in infirmitate corporis laborat, & Dæmonum insidiis percussa horret? Si animam peccatis sordidam emundat aqua in verbo Dei, cur non animam inter inimici insidias trementem oleum exhilaret in eodem verbo Dei? Non ergo effectus Sacramentorum ex rebus corporalibus, sed ex virtute viuifici & omnipotentis verbi Dei, & ex operatione Spiritus sancti proueniūt. Nec cogitet fidelis anima, quid res ipsa, ex vi naturæ suæ possit, sed quid in ipso rei signo se effecturum Deus per verbum suum promiserit, qui cum sit fidelis, in promissionibus, & ad præstandum diues & potens, utiq; assisit mysteriis à se ordinatis, & per gratiam suam omnia operatur & præstat in Sacramentis, quæcumq; in eorum exhibitione & institutione est pollicitus.

Sacræ Vnctionis institutionem ex Christi præcepto emanasse, satis aperte Sanctus Marcus Euāgelista conuincit. Qui Apostolos ad prædicandum Euāgelium à Christo emissos, huius Vnctionis vsum exercuisse commemorat,

rat. Exeuntes, inquit, prædicabant, vt Pœnitentiam agerent: & Dæmonia multa eiiciebant, & vngebant oleo multos ægros, & sanabantur. Quod eos ex mandato Christi fuisse, nemo dubitare potest. Nihil enim eorum vel loqui vel facere audebant à postoli, quæ non in eis efficiebat Christus, Rom. 16.

Hæc autem Vnctio, quam ex mandato Domini in ægris Apostoli exercebant, utiq; Sacramentalis, & mystica, non medicinalis fuisse, & præcipuè ad internam animæ curationem pertinuisse, existimanda est. Animarum enim, non corporum medicos in orbem discipulos emisit Christus: sed inter initia fidei externa etiam corporis sanitas, quasi quoddam internæ sanationis pignus, addebatur, quemadmodum etiam in aliis Sacramentis ad commendationem & Confirmationem rudis fidei, interna virtus externis & sensibilibus signis & miraculis demonstratur. Sed vt hodie Baptismū nemo reputat deteriorem, etiam si Spiritus sanctus visibili specie (quod in Domini Baptismo fecit) non inluat Baptizatis, quos tamen inuisibili sua virtute & operatione intus purgare, & sanctificare, & in nouam creaturam refingere, non ambigitur. Nec quisquam hodie expectat, vt hi quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponuntur, repente incipiant linguis loqui (sicut inter initia prædicationis Euangelicæ eueniebat) Non minus tamen etiam nunc inuisibiliter & latenter intelligitur, per vinculum pacis eorum cordibus diuina charitas inspirari: vt possint dicere: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Sic Vnctionem illam ob id vilem existimare non debēt Christiani, si ad eam corporalis & externa sanitas, sicut ab initio, consequi modò non videtur. Potius enim respicere debet fides nostra ad internam illam curationem animæ in vitiis agræ, & inter Dæmonum terreculamenta pauitantis alleuiationem & consolationem, quam precipuè huius Sacramenti virtus operatur, cuius internæ sanationis, olim illa corporalis sanitas, velut pignus quoddam & sensibile testimonium præbebat ad euidentiorum adhuc rudis & teneræ fidei corroboracionem.

Aug. de Rapt. con. ira Don. ub. 3. c. 16

Rem. 5.

tionem. Nūc vero adulta & corroborata fides, signis, quæ infirmis dantur, ali & muniri nec indiget nec desiderat.

Iacob. 5. Hæc, de Vnctione illa, quam Apostoli exercuisse apud Marcū legitur, totius Catholicæ Ecclesiæ, iā inde ab initio sibi cōsentientis, pia & recta est sententia, quā Iacobus Apostolus euidenti testimonio confirmat, qui hanc salutarem Vnctionem à Domino fundatam profecutus, ritum, quo administrari eam in Ecclesiā conueniat, per omnes circumstantias plenè & disertè mōstrauit. Infirmatur quis in vobis (inquit) inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum: vngentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis fuerit, remittentur ei. Quibus verbis Beatus Apostolus omnes huius Sacramenti necessarias partes explicat, ostendens ministrum à quo conferri, & eum à quo suscipi debeat. Et quæ sit materia huius Sacramenti, & quæ ministrandi forma, & qui effectus hanc sacra Vnctionem consequantur.

DE SVSCIPIENTE.

Marc. 6. **Q**ui sint capaces huius sacra Vnctionis Apostolus indicat. Infirmatur quis in vobis, inquit: innuens, solos infirmos & corporali ægritudine correptos inungi debere. Quod etiam Apostolos obseruasse Marcus testatur. Vngebant oleo multos ægros, inquit, & sanabātur. Debet enim in Sacramentis foris re vera agi, quod intus significatur. Intus autem in hoc Sacramento animæ in vitis ægræ curatio significatur: ideo corpus, quod foris vngitur, ægritudine laborare debet, vt pro accipienda sanitatē inungatur.

Itaq; qui sano sunt corpore, etiam si in magno vitæ periculo versentur, aut ad certam mortem vergeant: quia tamen non infirmantur naturali ægritudine, iuxta praxim Ecclesiæ (quæ scripturarum fidissima interpret, & piorum rituum certissima regula est) inungi non solent.

Nec

Nec in omni infirmitate sacra Vnctio adhibenda est, sed in periculosa modò, & quæ naturalis vitæ interitum minetur. Cùm enim sacra Vnctionis virtus ad delenda peccata (saltem leuiora & venialia, & reliquias grauiorum) valeat: hi, qui diutius victuri sperantur, hoc remedio non indigent. Aptius enim per Pœnitentiā grauiora peccata sua emendare possunt: venialia verò & per Pœnitentiā, & per alia multa remedia sanare viuentes valent. Vbi autem in exitu vitæ constituti sunt, vt iam amplius peccata nec admitti nec curari valeant: tum rectè hoc Sacramentum, quod contra leuiora & venialia peccata propriè institutum est, adhibetur ad plenam omnium venialium peccatorum remissionem, & aduersus varias Dæmonum suggestiones, ad robur fidei & spei, vt sic ex gratiæ Dei munere puri & mundi, ex hac vita decedentes, cœli ciuibus beato consortio in æternum victuri adiungantur.

Cùm autem peccati ratio ex voluntate descendat, qui vsu rationis priuati voluntatum suarum Domini non sunt, Sacramentum Vnctionis suscipere non debent, cùm actuale peccatum nullum habeant: Originale verò peccatum beneficio Baptismi sit sublatum. Itaque nec infantes vnguntur, nec fatui, nec hi, quos diuturnus furor infestat. Qui autem ex morbo incidunt in amentiam, ex antecedenti vita iudicandi sunt: & siquidem vitam Christiana pietate dignam ante morbū gesserunt, ad indignitatem illis imputari non debet, illa ex vi morbi proueniens indispositio, quo minus Sacramentis participant etiam rationis impotes, quorum participatione rationis competes se dignos gesserunt.

Qui ergò ad vsu rationis peruenerunt, si eos morbus periculosus inuaserit, vnde mors timeatur, inungi debent. Debent autem inungi non in toto corpore, sed in iis tantūmodo membris, quæ sensuum exteriorum sunt organa. Sicut etiam corporalia remedia non in toto corpore, sed in locis solū morbo affectis adhibentur: sic illa interna & spiritalis medicina in iis membris exercetur, à

HH iiii quibus

quibus spiritalis promanat infirmitas. Licet enim volūtas peccati sit origo, opus tamen peccati, in membris & præcipuè sensuum organis se exerit, ideoque medicina illa ex Domini virtute ad peccati abolitionem efficax, rectè in illis locis applicatur.

Quoties idem homo post hoc Sacramentum accipere. Vnctio autem illa Sacramentalis in eodem homine toties repeti debet, quoties post restitutam semel sanitatem, morbum aliquem exitialem redire contigerit. Non enim, ideo Extrema Vnctio dicitur, quòd post eam semel susceptam, non iterari alia Vnctio debeat: sed quòd inter alias Vnctiones, quas in Baptismo & Confirmatione, & in Sacerdotum & Regum ordinatione Catholica celebrat, Ecclesia, hæc (si fortè propter casum non tempore) saltem ratione postrema sit.

DE MINISTRO.

M Inistrum sacræ huius Vnctionis Sacerdotem designat Apostolus. Inducat, inquit, Presbyteros Ecclesiæ. Sacerdos autem in huius Sacramenti, quemadmodum & in aliorum, administratione, non suam, sed Christi personam gerit. In ipsis verò precationibus totius Ecclesiæ personam sustinet, communi omnium fidelium voce pro alleviatione infirmi orat ad Dominum. Sic enim Apostolus vocat orationem fidei, quæ saluet infirmum, nõ vngentis Ministri solùm, sed totius Ecclesiæ, in cuius fide omnia administrantur Sacramenta, cuius vicem Sacerdos, vt publicus eius minister, suscipiens, vocis suæ organo publicas Ecclesiæ preces profundit coram Domino. In omnibus enim Sacramētis, potestatem & virtutem ad salutem suscipientium ille solus exercet, de quo testimoniũ celeste personuit. Hic est, qui baptizat: Sacerdos verò tantummodo ad externum ministeriũ, manu & lingua deseruit. Ministerium itaque Sacerdotis: Donum autem solius Christi est.

Ioan. 1.

DE

DE ORATIONIBVS, CIRCA
Vnctionem sacram adhiberi solitis.

I Vbet Apostolus Christi, hæc salutarem Vnctionem cum orationibus exerceri, id quod sollicitè custodiens Catholica Ecclesia, plures huic Sacramento quàm vix vlli alteri orationes adhibet. Domum enim ingrediens Sacerdos, vbi decumbit infirmus, pacem optat, & mox circumstantes admonens, vt pro salute infirmi piæ preces communi Domino offerant, inuocata Sanctorum omnium intercessione Christum orat, vt decumbenti propitius esse, & eum ab ira Dei & damnatione, per meritum salutaris passionis & efficacissimæ mortis suæ liberare, eique veram cordis compunctionem, pacem, & sanitatem, & gratiam sancti Spiritus donare, & ad gaudia æterna cum perducere dignetur. Deinde Deum promissionis suæ per Apostolum reuelatæ admonens, supplici prece exorat, vt per hoc ministerium Ecclesiæ, ex dono pietatis suæ veniam peccatorum huic infirmo indulgere velit. Et multas & præclaras ex scripturis promissiones depromens, in quibus Deus consolationem afflictis est pollicitus, rursus ad orationem cõuertitur: rogans Deum, vt pro pietate sua respicere dignetur ad famulum suũ, in infirmitate sui corporis laborantem, & animam refoveat, quam creauit, vt hac corporali afflictione emundata, sentiat se diuinæ pietatis remedio saluatam. Per Christum Dominum nostrum.

DE FORMA HVIVS SACRAMENTI, ex verbis Apostoli.

D Einde Vnctionem peragit, rogans infirmum, iuxta Apostoli commoitionem, in nomine Domini. Illud autem peculiare præ cæteris habet hoc Sacramentum, vt substantialis eius forma cũ deprecatione offeratur. Mox enim post illam

INSTITVTIO CHRISTIANA

illam præparatoriã formam, quæ indicatiua est. In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti vngo te oleo consecrato, Sacerdos subinfert substantialem huius Sacramenti formam, deprecatiuè dicens. Et per istam Vnctionem, & piissimam misericordiam suam, indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum. Per Christum Dominum nostrum, Amen. Pax tecum.

Et peculiari Vnctione ad singula sensu organa vtens, pro membrorũ diuersitate propriam orationem adhibet. Cùm autem Sacramenta id operentur, quod significant: vtique ad singulorum membrorum Vnctiones peculiaris virtus & operatio huius Sacramenti consequitur ad delenda peccata, vt sic homo à peccatorum sorde toto corpore purgatus, purus totus feliciter commigret ad illud Regnum, in quod nihil inquinatum introire poterit.

Apo. 21

Absoluta Vnctione, mox ad orationem recurrit Sacerdos, deprecans Dominum, vt ad famulum suum propitiuè respicere, & opem illi super lecto doloris eius ferre dignetur, vt per ministerium Ecclesiæ, quod in inuocatione sanctissimi & fortissimi nominis Dei exercetur, discedat à decumbente omnis tam corporis quàm animi ægri tudo, & integra sanitas redeat. Per Christum Dominum nostrum. Deinde benedicit infirmum, optans, vt Dominus Iesus Christus tutela sua vndiquaque munire eum, & defendere, & reficere, & conseruare, & deducere, & confortare, dignetur. Et tandem discedens ab infirmo, precat, vt Dominus propitiuè omnibus iniquitatibus eius. Et sanct omnes languores eius. Redimatque de interitu vitam eius. Et in omnibus bonis compleat desiderium eius. Qui viuuit & regnat in Trinitate vnus Deus in seculum seculorum. Amen.

Hinc efficaciam huius sacræ Vnctionis pij deprehendunt, quòd sciant orationem fidei apud Deum irritam esse non posse: præsertim, cùm & signum externum, & diuinam promissionem habeat annexam. Hoc enim signo exercet Vnctionem illam Catholica Ecclesia, quod

Domi-

DE SACRAMEN. VNCT. 246

Dominus per Apostolum commonstrare dignatus est, & huic innitur promissioni, quam per eundem Apostolum plenis & disertis verbis promulgauit. Oratio fidei, inquit, saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei.

DE MATERIA ET DE EFFECTIBUS, ac fructu huius Sacramenti.

Lementum autem huius Sacramenti, secundum designationem Marci Euangelistæ, & Iacobi Apostoli, est oleum solemni benedictione consecratum, cuius benedictio, consentiente totius Ecclesiæ Catholicæ iudicio, solis Episcopis reseruatur. Est autem olei natia vis, ad insinuandos huius Sacramenti effectus valde accommoda. Cùm enim sacræ Vnctionis virtus ad corporalem infirmitatem effugandam, & simul etiam ad fulciendam spiritalem fragilitatè ordinata sit, vt depulsis peccati reliquiis, quæ dispositionem mentis turbant, redeat in animo ægrotantis alacritas, robur, & consolatio: hos effectus naturali virtute sua oleu aptissime designat. Nam & vires corporis oleum corroborat, & sanitatem conseruat & auget, & luci nutrimentum præstans, tristes pellit tenebras, & animis ingerit hilaritatem. Itaque ad designandos huius Sacramenti effectus, diuina Sapiencia rectè naturam olei delegit, vt ex vsu huius elementi simplicis internam huius sacræ Vnctionis virtutem addiscerent.

*Marc. 6.
Iacob. 5.*

Sentiant ergò Chistiani, hanc primam esse sacræ Vnctionis virtutem, quam cum cæteris Sacramentis habet communem, vt gratiam infundat animo recta fide & debita intentione suscipientis: aptè autem diuinæ gratiæ lenitatem, suauitatem & vtilitatem, olei lenis & vtilis natura designat.

Alius

Iacobi. 5. Alius sacre Vnctionis fructus est, vt deleat peccata, iuxta promissionem, quam per Apostolum Dominus promulgare dignatus est. Si in peccatis fuerit, inquit, remittentur ei. Quod precipue de peccatis leuioribus & venialibus est accipiendum. Nam grauiora peccata Pœnitentiæ remedijs sunt diluenda. Tamen si peccatis etiam lethalius sacra Vnctio per occasionem medeatur, vt si forte homo subita infirmitate præuentus, ad Pœnitentiæ & Confessionis remedia contingere nequeat: aut si super admissio peccato Contritionem nõ satis seriam habeat, accedente huius Sacramenti virtute sanari potest, diuina gratia in eo supplente, quod ex necessitate aut imbecillitate minus valebat. Immo ab omnibus peccatis, iuxta Apostoli promissionem, hæc salutaris Vnctio ritè suscepta, absolueri iudicatur, adiuncta seria precatione suscipientis, modo oret perseueranter pro se & ad animæ suæ salutem.

Insuper alia virtus est sacre Vnctionis, vt hilaritatem inducat animo ægrotantis, & fiduciam eius consolatione erigat. Eluit enim reliquias peccatorum, quatenus illæ quietem mentis interturbant, & ascensum animæ ad Deum impediunt. Sed sic turbatam mentem ægrotantis solatur & confirmat sacra Vnctio, & alacritatem reddit animo. Simulque aduersus omnia malorum spirituum terribilissima confidentiam præstat ægrotato, maxime ex ea consideratione, si ægrotus intèdat animo ad promissionem, quam per Apostolum huic Sacramento Christus apposuit. Alleviabit eum Dominus, inquit, & si cogitet in tutelam totius Ecclesiæ per vsum huius Vnctionis se recipi, & iam totum Sanctorum cœtum pro sua salute curam agere, & precibus pro se intercedere, quod ipsum quoque in promissione Apostolus commemorat. Et oratio fidei, inquit, saluabit infirmum. Hac consolatione animum suum decumbens contra Satanas incurSIONES corroboret, & omnibus Diaboli tentationibus forti & alacri animo repugnet, de Christi & totius Ecclesiæ consensu consortio, quorum presenti auxilio, & vigilantiori oratione, iam sine dubio adiuuatur, vt iam non solus pugnet aduersus Diabolum, sed sit certus, quod iam Christus eum propugnet, & certantem

tantem eum adiuuent omnia totius Ecclesiæ & Sanctorum omnium merita.

Huius autem consolationis certitudinem ægrotato præstant, & signum illud externum Vnctionis olei, & Dei promissio, quæ huic signo apposita est, de qua nemo fidelis dubitare potest, qui cogitat & credit, Deum & in promittendo fidelem, & in præstando diuitem & liberalem esse. Qui utique in omnibus Sacramentis promissioni suæ assistens, per gratiam efficit & præstat omnia, quæ per ea se effecturum promissit.

Hæc quoque huius Sacramenti virtus iam olim declarata est in multis, vt etiam corpus adiuuaret, & sanitatem corporis ex morbo conuulsam, restitueret, quod Marcus testatur. Vngebant oleo, inquit, multos infirmos, & sanabantur. Et hodie quoque, qui constanti fiducia & recta animi intentione hoc Sacramentum susceperit, confidere debet, quod ex virtute huius sanctæ Vnctionis etiam corporalis infirmitas eius depellenda sit, & reducenda corpori pristina sanitas: si tamen fidelis & bonus medicus nonster Christus cognouerit, corporis incolumitatem huic infirmo ad salutem animæ suæ, aut ad publicum Ecclesiæ bonum profuturam. Quod si corporalis sanitas ad hanc sacram Vnctionem non consequatur, certum est, pium Dominum alleviationem, quam in hoc Sacramento promissit, ad animæ salutem conuertere. Et in eo nequaquam fallit spem suorum, si pro corporis incolumitate, animæ vitam & salutem præstat: sicut non fefellit ille, qui cum curprum promississet, aurum reddidit.

Quisquis ergo fidelis, dum morbus eum periculiosior inuaserit, cœlestem medicinam, quam Christi Apostolus, immo per Apostolum Christum monstrauit, non negligat: sed Presbyteris, velut ministris Christi, se offerat vngendum, & non in externæ Vnctionis simplicitatem, sed ad fidelis & potentis Domini promissionem animum intendat: nec dubitet, per istam Vnctionem se iam in Domini sui tutelam assumi, de cuius pietate alleviationem sibi ac salu-

Mat. 6.

salutarem polliceatur medicinam: nec desperet, Sanctorū omnium precibus iam salutem corporis & animæ suæ Deo commendari. Atque hanc fiduciam fidelis animus colligere potest ex testimonijs scripturæ. Oleo vngentur Mar. 6. colligere potest ex testimonijs scripturæ. Oleo vngentur Iacobi. 5. multos ægros, & sanabatur. Et. Alleuiabit eum Dominus, & oratio fidei saluabit infirmum.

SVBIIICIENDA SVNT VETERVM

Orthodoxorum de sacra Vnctione testimonia, quibus animi fidelium contra quorundam Nouatorum remeritatem obfirmetur.

Iuus Chrysoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, excellentiam Sacerdotalis dignitatis à functionum ſanctitate & excellentia commendans, inter cætera & huius Sacramenti mentionem inducit, cuius ministerium Sacerdotibus incumbere ait. Neque enim ſolùm cùm nos regenerant (inquit) ſed poſtmodum etiam condonandorum peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur, inquit, inter vos aliquis, accerſat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo: & oratio fidei ſaluum reddet laborantem, & eriget eum dominus: & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.

Hieronymus enarrans caput ſextum Marci, ait. Cùm vngunt oleo ægros, infirmitatem virtute fidei corroborant. Corroborant autem interceſſione & oratione fidei, quam Dei clemētia exaudiet, & ſe exorabilem præſtabit. Cuius Sacramentum eſt oleum conſecratum.

Auguſtinus de viſitatione infirmorum libro ſecundo cap. 4. Nec prætermittendum eſt, inquit, illud Apoſtoli Iacobi præceptū. Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, vt orent ſuper eum, vngentes eum oleo ſancto, in nomine Domini Ieſu: & oratio fidei ſaluabit infir-

infirmum. Ergo ſic roges de te & pro te fieri, ſicut dixit Apoſtolus Iacobus, immò per Apoſtolum ſuum Dominus: Ipſa videlicet olei ſacraſati delibutio, intelligitur Spiritus ſancti Typicalis Vnctio.

Et idem de Reſtitutione Catholicæ Conuerſationis. Qui ægrotat, in ſola Dei miſericordia conſidat, & Euchariſtiam cum fide & deuotione accipiat, oleumq; benedictum fideliter ab Eccleſia petat, vnde ſuū corpus vngatur.

Theophylaſtus hoc idem Sacramentum teſtatur, & huius Vnctionis myſterium pulchrè explicat. Quòd vnixerint Apoſtoli ſolus Marcus narrat, quod & frater Domini Iacobus in Catholica Epistoſta dicit: Infirmatur, inquit, quis inter vos, aduocet Seniores Eccleſiæ, & orent ſuper illum, vngentes eum oleo, &c. Eſt igitur oleum, & ad labores vtile, & lucis fomentum & hilaritatis effectiuum, ſignificatq; miſericordiam Dei, & gratiam Spiritus, per quam à labore liberamur, & lucem, & gaudium, hilaritatemq; Spiritualem accipimus.

Innocentius ad Decentium, Episcopum Eugubinum, Vnctionem, quam Iacobus tradit Apoſtolus, Sacramentum eſſe indicat, & ritum eius miniſtrandæ, & quibus conferri debeat, edocet.

Beda eandem eſſe Vnctionem, cuius Marcus & Iacobus meminere, & hoc Sacramentum à Chriſto inſtitutum, à Iacobo verò Apoſtolo promulgatum eſſe aſſerit.

Ambroſius & Gregorius adminiſtrandæ huius ſacræ Vnctionis formas tradiderunt, quæ per Eccleſias adhuc obſeruantur.

De Sacramento

MATRIMONII.

*Matrimo-
nium an-
te peccatū
hominū
a officii
datur.*

M

Matrimonium est maris & foeminae, ad indi-
viduam vitae consuetudinem inter se mutuo reti-
nendam & traducendam, legitimus consensus.
Hoc autem ad insignem Matrimonij excellen-
tiam & commendationem facit, quod cum a-

lia omnia Sacramenta Deus homini, iam per peccatum
saucio, ad subleuandam infirmitatem & in peccati reme-
dium porrexerit, solum Matrimonium Deus ante pecca-
tum condidit homini ad officium, excitans de costa viri
mulierem, quae ei esset in adiutorium, & quae ad propaga-
tionem generis humani, tam in generanda quam educa-
nda sobole, viro se praerberet sociam.

Et hanc diuinæ voluntatis suae cognitionem, mox in
ipsa Matrimonij institutione inspirauit Deus viro Adam,
vt mulierem ex se factam aspiciens, statim illam artissimae
societatis legem inter virum foeminamque retinendam
intelligeret & promulgaret. Hoc nunc os ex osibus meis,
inquit, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago:
quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo
patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ: Et erunt
duo in carne vna.

Hæc autem verba non tam de suo sensu, quam Deo in-
stigante, & cor eius & linguam mouente, protulit Adam:
siquidem alta dormitione sopitus iacebat Adam, dum ex
costa eius mulierem ædificaret Dominus, inde quid fieret
dormiens ex se scire nequirit, sed dum euigilasset, illu-
strante Spiritu Dei, vtrunque agnouit, & quod mulierem
de osibus ipsius condidisset Dominus, & quod in hunc
finem condita esset mulier, vt viro ad propagandam ge-
neris

neris humani sobolem, artissima societate secundum Dei
voluntatem coniungeretur. Vnde eodem Spiritu plenus,
cum Euam sibi in coniugem verbis liberum consensum
de presenti exprimentibus, desponsasset, dicens: Hoc nunc
os ex osibus meis, & caro de carne mea: mox artissimae
huius societatis legem inter coniuges, secundum Dei vo-
luntatem perpetuo obseruandam, sancit. Propter hoc,
inquit, relinquet homo patrem suum & matrem, & adhæ-
rebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Nam hæc ver-
ba non ad solam Adæ cum Eva coniunctionem pertinere,
inde apparet, quod Adam nec patrem haberet, nec matrem,
quos relinqueret: sed tanquam prophetia plenus, futuris
coniugibus suæ coniunctionis legem de voluntate Domini
promulgauit.

*Verba
matrimonii
ha.*

Hinc Christus de Matrimonio contra Phariseos disse-
rens, & veram Matrimonij conditionem de sua origine
producens, hanc ipsam legem Matrimonij ab Adam pro-
mulgatam, Deo velut auctori tribuit. Non legistis, inquit,
quia qui fecit hominem ab initio, masculum & foeminam
fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem &
matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna.

Mat. 19.

Tribus temporibus seruiuit Matrimonium. Vnum erat, *Matrimo-
nium ha-
bit tria
tempora.*
cùm adhuc in innocentia perseveraret primi parentes no-
stri, essentque adhuc sani & omnis ægritudinis animarum
expertes. In quo statu procreatorum liberorum officium
fine carnis pruritu, & sine omni inordinata concupiscen-
tia accensione exercere poterant. Et ijs Matrimonium ad
solum propagandæ sobolis officium seruebat.

*Matrimo-
nium an-
te lapsum
hominis.*

Post lapsum, cùm hominis natura per peccatum saucia,
iam lethali & peruersa concupiscentia ardere cœpisset: a-
num post
dud, vt sine turpi motu concupiscentiæ carnis commixtio
iam exerceri nequirit: Matrimonium, quod sanis fuerat
in officium, celsit infirmis in remedium, & vtriusque sexus
infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, nuptiarum
honestate excepta est, & præfixa meta, quousque sine pu-
dicitiae damno carnis infirmitati indulgeretur, ne motus
concu-

*August.
Hugolib.
5. super
Ecclesiast.*

concupiscentiæ immoderatiùs efferuens, turpiùs in omne flagitium efflueret, si licitè laxari nunquam posset.

Hoc itaque hominibus excusandæ libidinis à Deo prouisum est remedium, vt iuxta Dei institutum conuenientes, in permixtione sexus, quæ alioqui ob concupiscentiam turpis & reprehensibilis effet, honestate nuptiarum excusarentur. Id enim, quod inter coniuges Apostolus per indulgentiam fieri concedit, etsi ad infirmitatem naturæ per peccatum faucis pertineat, tamen ad turpitudinem iam non imputatur.

Matrimonium sub Christo.

Tertium Matrimonij conditionem repudijs violatam, & secundum quandam istius temporis dispensationem per multiplices patrum nuptias, vltra debitas metas, dilatatam, ex sua primæua institutione restituit, & ad vnus tantum viri, cum vna sola muliere, indissolubilem coniunctionem redegit: Sacramenti sanctitatem & gratiam addens nuptijs, qua casta coniugum commercia iam nõ modo à peccato excusantur, sed pietatis & virtutis laudem obtinent, & æternæ vitæ meritum accipiunt.

Causæ, ob quas Matrimonium licitè contrahitur. Desideriū prolis.

Sunt autem multiplices causæ, ob quas masculus & femina inter se connubio iungi cupiunt, & licitè possunt. Prima est suscipiendæ prolis desiderium, non tam vt temporalis substantiæ post se relinquãt hæredem, quàm vt veræ religionis educent cultorem. In hanc causam præcipuè intendebant sancti Patriarchæ, qui cum viderent reliquum mundum superstitionibus deditum, & à veri Dei cognitione auersum, in cultu Idolorum totum euanuisse: quò maior fieret accessio ad illum populum, in quo solo verus Deus agnoscebatur & colebatur, ipsi connubijs indulgebant officio propagandi, & sobolis suscipiendæ desiderio, non victi libidine, sed ducti pietate. Præcipuè verò, cum scirent iuxta vaticinia Prophetarum de semine suo nasciturum eum, in quo omnes gentes essent benedicendæ, vxores sibi accersebant, non vt eas possiderent in passione desiderij, sicut gentes, quæ ignorant Deum: sed vt in

officio

officio generandi socias haberent, vt quantum in ipsis esset, per sobolis propagationem nascituro de stirpe sua *1. Thes. 4* Saluatori præseruirent.

Alia est causa, propter quam cõnubij societas licitè in- *Matrimonium con-*
tur, cum quis suæ infirmitatis conscius, & se continere nõ *trahitur*
posse sentiens, ad remedium, quod Deus fragilitati huma- *ob vitandã forni-*
næ prouidit, confugere intendit: malens secundum le- *ciã fornicationem.*
gem à Deo monstratam mulieri coniũgi, quàm vt victus *1. Cor. 7.*
libidine per vagos & illicitos concubitus contaminetur. Propter fornicationem vitandam (inquit Apostolus) v-
nusquisque vxorem suam habeat, & vnaquæque suum vi-
rum habeat. Et cum seponere tempora ad orationes con-
iugibus imperasset, mox eos ad vsum coniugalis operis
redire iubet: nullam aliam causam prætendens, quàm vt
hoc remedio suam incontinentiam sanent, ne à Satana tẽ-
tentur. Et innuptis & viduis dans consilium sic perman-
endi, si tamen continere aut non possint aut nolint, ob
eam solam causam secundas nuptias permittit, vt per vsum
coniugij vstionem excludant, melius iudicans nubere,
quàm vri. Vnde satis apparet, contrahendi Matrimonij
iustam & licitam causam esse, si quis ob id vxorem sibi
iunxerit, vt incontinentiæ suæ infirmitatem intra metam
à Deo positam contineat & sanet, ne concupiscentiæ im-
petus in sceleratos & illicitos concubitus erumpat, si in
permisissis & licitis non laxetur. Sic contrahentium inten-
tio peccato & reprehensione caret, etiam si spem prolis
sibi non proponant. Nam etsi in statu innocentie Matrimo-
nium ad solum propagandi officium fuit concessum,
lapsis tamen nunc donatur ad infirmitatis remedium, &
opus illud, quod propter inordinatam commotionem ex-
se esset peccatum inter coniuges, ex Dei misericordia
accipit veniam.

Procul tamen abesse debent coniuges à peruersa animi *August.*
malitia, ne sterilitatè data opera accersant, aut conceptio- *de bono*
nem foetus pharmacis impediunt: aut alioqui tales cõcubi- *coniugio*
tus exerceat, vnde proles cõcipi nõ queat. Alioqui bis ad- *cap. 5.*
ulteri & scelerati homicidæ erũt, si concubere nõ cessent,

II ij & ta-

& tamen hanc sexuum commixtionem à suo naturali fine, hoc est, ab effectu prolis, data opera impedire tetauerint. Non legitimus coniugum consensus, qualem requirit Matrimonium, sed nepharia homicidarum conspiratio iudicari debet, quoties ad mutuos complexus mas & femina conuenientes, simul ad explendam libidinem, & extirpandam sobolem, inuicem sibi fidem darent.

Ob solam libidinem explendam contrahentes peccat Qui verò Matrimonio dant operam, non ut sobolem quaerant, nec ut concupiscentiam (ne ad inconcessa prolatur) licito remedio compensent, sed sola ducti libidine, vxorem quaerunt, ut animù voluptatibus expleant, ideoque crebrae delectationis auidi, concupiscentiae motù non expectant, sed praecurunt, & torpentem studio prouocant: hi etiam intra ipsas coniugij metas libidini praeter modum indulgentes, peccatum non effugiunt. Hinc prophana Matrimonia redarguens Angelas: Audi me (inquit) & ostendam tibi qui sunt, quibus praualere potest Daemonium. Hi namque, qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excludant, & suae libidinis ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem Daemonium super eos.

Teb. 6.

Triplicem in coitu Triplicem itaque in coniugio coituum numerant. Vnum, qui fit desiderio prolis, qui omni culpa & reprehensione vacat, & solus Matrimonio verè proprius est.

Angust. de bono coniug. cap. 10.

Alterum, cum ultra necessitatem procreandae sobolis committentur coniuges, iam non propagationi seruientes, sed libidini indulgentes: & hic coitus culpam quidem habet, sed propter bonum nuptiarum veniale & leuem. Talem coitum fieri nuptiae non cogunt, ait Augustinus, sed ignosci impetrant. Et idem: Hoc, inquit, quod coniugati victi concupiscentia vniuntur inuicem ultra necessitatem procreandi liberos, ponam in his, pro quibus quotidie dicimus: Dimitte nobis debita nostra. Hunc coitum qui à coniuge suo exigit, culpa non caret: alter tamen coniugum, qui exigenti reddit debitum, ab omni culpa innocens est, nec ob id sanctitatis laudem amittit. Casti-

tas enim cordis obseruatur etiam, quando compari necessario debitum redditur. Huc enim vtrunque coniugem lex nuptialis adigit, ne possit alter sine alterius consensu continere: sed exigenti coniugi, sui copiam facere, & debitum ei reddere, ex praeccepto tenetur, ne alteruter proprii coniugis vsu defraudatus, concupiscentiae ardorem non sustinens, ad alieni thori violationem, aut ad inconcessam libidinem, quasi compulsus desectat. Vxori vir debitum reddat, inquit Apostolus, similiter & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum reuertimini in id ipsum: ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Addit tamen. Hoc autem dico secundum indulgentiam, & non secundum praecceptum: innuens, hoc sanandae infirmitati carnis datum, ideoque debitum illud immoderatiùs exigentem culpae vicinum fieri: reddentem verò, & hac debiti exolutione cauentem, ne coniunx ad inconcessa prouat, omni prorsus culpa carere.

1. Cor. 7.

1. Cor. 7.

Hinc Augustinus: Dicit vir (inquit) continere volo: vxor autem, nolo. Non potest scilicet continere. Quod enim tu vis, illa non vult. Nunquid propter continentiam tuam illa fieri debet fornicaria? Si enim alteri nupsit te viuo, erit adultera. Non vult Deus tale lucrum tali damno compensari. Redde debitum, etsi non exigis. Pro sanctitate perfecta tibi Deus computabit, si non, quod tibi debetur, exigis: sed reddis, quod debes vxori. Nam etsi exigès ultra necessitatem, culpa omnino non vacet quod agis: hanc tamen culpam bonum coniugij veniale facit. Alioqui nisi hic coitus, qui ultra necessitatem procreationis ad concupiscentiae sedandum impetum inter coniuges exercetur, indulgentiam haberet, non videretur Matrimonium ad remedium lubricitatis carnis datum, & frustra moneret Apostolus, ut propter fornicationem vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquaque suum virum.

Ang. in psal. 146

1. Cor. 7.

II iij Tertius

Coitus libidinosus Tertius est coitus, qui ita exardescit nimius, vt temporæ, quæ ad orationem seponi iubet Apostolus, prorsus impediatur, & quò coniuges in passionibus desiderij se inuicem possidentes, & omni pudore seposito, fræna libidini laxantes ad explendas cupiditates suas, per congressus puendos aut etiam per inuersionem naturæ ordinem feruntur: obliuiscuntur Apostolicæ interminationis, qua iubet, vnumquodque vas suum possidere in sanctificatione, & non in passione desiderij, sicut gentes, quæ ignorant Deum. Et alterius, qua iubentur viri mulieribus secundum conscientiam cohabitare, & quasi infirmiori vasculo muliebri impartiri honorè, tanquam coheredibus gratiæ vitæ, vt non impediatur orationes. Horum turpem lasciuiam honestas nuptiarum non excusat, sed aggravat, eoq; atrociori sceleris sunt obnoxij, quantum rei sanctioris prætextu ad vendendam immanem turpitudinem, abutuntur.

1. *Thef.* 4.

1. *Pet.* 2.

Contrahere propter societatem vitæ.

Tertia coniugij inuicem ratio, est illa diuersi sexus per instinctum naturæ expedita societas, & amica, & fidelis coniugum cohabitatio, mutui auxiliij spe conciliata, vt alter alterius ope & cura senectutem suam consoletur, adeoq; per totam vitæ incidentes calamitates leniat & subleuet. Tunc enim ritè alter alterius adiutorium vocabitur, cuius gratia Deus putauit hominem non esse derelinquendum solum. Sic Mariæ sanctissimæ coniunctione Ioseph adiunctus est, vt curam educandi infantuli adiuuaret, & fugienti in Aegyptum cum filio, custos & auxiliator adhereret.

Causæ impulsivæ.

Desideriū hæredis.

Amor sponsæ.

Amplæ dos.

Potens as finitas.

Iam inter causas, ob quas coniugij societatem homines amplectuntur, hi affectus non statim vt impij damnari debent, si quem ad Matrimonium contrahendum habendi hæredis desiderium permouerit, aut cū aliquis in animū induxisset, vt vxori iungeretur, si cum ad illā præ alijs ducendam venustas formæ aut morum conuenientia allegerit, aut dos amplior inuitauerit: aut si in deligenda coniuge hanc spem secutus fuerit, vt potenti affinitate auctus, ad honores, & alia vitæ humanæ commoda paranda, faciliorem aditum inueniret. Sic enim sancti homines desiderium hæredis non dissimulauerunt, sed coram Domino illud

illud proferentes, hæredem sibi à Deo precibus expetuerunt. Domine Deus (inquit Abraham) quid dabis mihi? Ego vadā absq; liberis, & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer. Mihi autem non dedisti semen, & ecce vernaculus meus hæres meus erit. Et Iacob Patriarcha amoris vehementiam in appetitione nuptiarum præ se tulit, cum ad nuptias Rachel, cuius pulchritudine captus erat, palàm se ostendit prouiore. Cui affectui Deus etiam indulgit, permittens, vt quis inter captiuas pulchram mulierem conspicatus, si amore eius sentiat se irretitum, adhibitis cæremoniis, eam sibi faciat vxorem. Dauid etiam & Obed ad ducendas vxores virtute & prudentia earum, quas duxerunt, inuitari leguntur.

Gene. 15.

Gene. 29.

Dent. 21.

1. Reg. 15.

Ruth. 3.

Itaq; si quis cū animo suo decreuerit, vt mulierem sibi iuxta Dei institutionem adiungere, & ei cum timore Dei cohabitare velit: iam propter alias causas, quæ eum ad Matrimonij vinculum subeundum perpulerunt, aut ad illam præ alijs ducendam inuitauerunt, prorsus nulli peccato subiacet, sed liberam voluntatem habet, vt cui vult iungatur, modò in Domino.

1. Cor. 7.

Hi sunt Matrimonij fines quos in contrahendo homines sine peccato sequuntur, sed si ad Dei propositum respicimus hic præcipuus finis, & instituti Matrimonij prægnantissima causa est, vt extaret inter homines euidentis & aptum signum, quo Deus notā faceret sanctissimam illam & arctissimam coniunctionem, qua Christus Ecclesiæ suæ coniunctus & vnitus est, & quo nobis insinuaret ardētissimam dilectionem, qua Christus idem sponsus & Saluator Ecclesiæ, dilexit eam: impendens pro ea sanguinem suū, vt faceret mundam, & exhiberet eam sibi gloriosam.

Finis Matrimonij

quo ad Deum.

Ephes. 5.

Cum enim in omni societate hominum, nulla perfectior aut coniunctio arctior inueniri queat, quàm qua vir & femina per Matrimonium sibi inuicem copulantur, & dilectio coniugalis omnis alterius amoris vim superet: ita, vt etiam naturalis amoris (cuius alioqui mirabilem vim in

Amor cōiugalis

vehementissimus.

feris cōspicimus) vincula dissoluat, & iura eius cogat negligere. Deus ab hac arctissima coniunctione, & ardentissima dilectione, signū petere voluit, per quod insinuat illam omnium perfectissimam & maximam dilectionem, qua nos dilexit, vt Filium suum nobis redimendis impederet: & per quod designaret illam arctissimam coniunctionem, qua Christus Dei Filius Ecclesie per ipsum redimendæ secundum carnem & spiritum cohæsurus esset. Ideoq; Matrimonium instituit, vt extaret signum inter homines, quo ex viri & mulieris copulatione in illius sanctissimæ vnionis qua Christus Ecclesie suæ vnitus est, agnitionem duceremur, de qua re luculentum extat Pauli Apostoli testimonium Ephe. 5. Et ob eadem causam nunquam etiam ipsa Christi cum Ecclesia coniunctio, in scripturis sanctis nuptiarum appellatione designatur, Osce 2. Matt. 22. Apoc. 19.

Matrimonium signū vnionis Christi et Ecclesie.

Cum itaq; Matrimonium fidelium coniugum, rei tam excellentis significationem in se contineat: mirum, quam temeritate demerenti quidam, aut qua impietate moti, Matrimonium ex numero Sacramentorum seponere aucti sint: præsertim, cum Paulus Apostolus, & eius auctoritatem secutus totius Ecclesie consensus, Matrimonio Sacramenti appellationem semper detulerit. Sed vt contra hunc errorem animi simplicium muniantur, ostendendum est, Matrimonium verè & propriè dicta ratione inter Sacramenta rectè recenferi.

Ad rationem Sacramenti pertinet, vt rei alicuius inuisibilis sit signum, & vt de eo extent promissiones, quibus certificetur fidelis conscientia, rectè suscipientem interna & spiritali gratia donari. Iam verò in Matrimonio, quod maris & femine mutuo consensu conciliatur, Deus per gratiam suam, quam Sacramento adhibet, duos in eandem carnem compingit arctissima quadam copula, & fœdere indissolubili: ita, vt neutri coniugum altero viuente permittatur, coniugem suum deserere, aut defraudato coniuge, alicui alteri facere copiam corporis sui, quod iam vtique non est suum, sed totum in ius & potestatem coniugis

iugis ex vi cōiugalis cōiunctionis cōcessit. Et hæc indissolubilem copulam, & hoc fœdus inuolabile, sic significat & efficit mutuus ille contrahentium consensus, vt vicissim illa coniunctio maris & femine, aliud sublimius Sacramentum insinuet, nempe, arctissimam coniunctionem & sanctissimam vnionem, qua Christus Ecclesie suæ non modò Spiritu & charitate, sed etiã natura per assumptionem carnis vnitus, velut caput membris suis, perpetuò & indissolubili nexu cohæret.

Coniugium itaq; duplicis huius coniunctionis, maris videlicet & femine, similiter & Christi cum Ecclesia Sacramentum & significationem in se continere, Christi & Apostoli verbis comprobatur. Coniuges intus operante gratia Dei, & consensum eorum cōfirmante, indissolubili nexu compingi, Christus disertè asseuerat, cum verbà Protoplastæ de mutua viri & mulieris coniunctione deducēs. Non legistis, ait, quia qui fecit hominē ab initio masculum & feminam fecit eos. Et dixit. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Quibus verbis confirmationem fœderis inter coniuges, nulla vnquam ex causa solubilis subiicit. Itaq; inquit, iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. An non iam vides magnæ rei Sacramentum in consensu contrahentium contineri? An non animaduertis, consensum contrahentium significare, & per gratiam Dei intus operantem efficere coniunctionem inter coniuges, nullis vnquam ex causis separabilem, qua iam in vnâ carnem virtute diuinæ gratiæ & occulta Dei operatione compinguntur: ita, vt neuter alterum audeat deserere, aut quamdiu viuunt alter, sui corporis vsu eum fraudare, aut cuiquam alteri extra coniugem corporis sui copiam facere, cum iam neuter coniugum proprii corporis ius retineat, nec quicquam de proprio corpore sine voluntate coniugis statuere possit: quoniam vna caro sunt, & ius corporis ex occulta Dei coniunctione & ordinatione in potestatem alterius coniugis transiit.

Matrimonium est Sacramentum duplicis vnionis Christi et Ecclesie. Mat. 19.

Matrimonium significat coniunctionem viri et femine.

Deinde

*Matrimo-
nium si-
gnificat
coniun-
ctionem
Christi et
Ecclesie
Ephe. 5.*

Deinde per istā matris & fœminæ coniunctionem, in-
finuari illam actissimam & sanctissimam vnionem Chri-
sti cum Ecclesia, apertè Apostolus pronunciat. Mulieres
(inquit) viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir
caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse
Saluator corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Chri-
sto: ita & mulieres viris suis in oibus. Viri diligite vxores
vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum
tradidit pro ea, vt illam sanctificaret: mundans eam la-
uacro aque in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi glorio-
sam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut
aliquid huiusmodi: sed vt sit sancta & immaculata. Ita vi-
ri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui suam
vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam odio
habuit carnem suam, sed nutrit & fouet eam, sicut Chri-
stus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de car-
ne eius & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo pa-
trem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erūt duo
in carne vna. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem
dico in Christo & in Ecclesia. Veruntamen & vos singuli
vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligit. Vxor au-
tem timeat virum suum.

*Vxores
sunt tales
erga vi-
ros, qua-
lis est Ec-
clesia er-
ga Chri-
stum.*

Nihil hac Apostoli comparatione euidentius dari po-
test, qua viri & mulieris coniunctionem ostendit Sacra-
mentum esse, quod illam Christi cum Ecclesia vnionem
repræsentet, ideoq; virum Christo & vxorem Ecclesiæ
confert: virum caput constituens eius corporis, quod facit
vnum cum vxore, sicut Christum caput corporis,
quod facit vnum cum Ecclesia. Et hanc similitudinem
assumens Apostolus, subiectionem & dilectionem con-
iugum format. Admonet enim coniuges, vt meminerint
suam coniunctionem esse Sacramentum & signum istius
sublimis & sanctissimæ vnionis, qua Christus Ecclesiæ
sue iungitur, ideoq; iubet eos sollicitè prouidere & cu-
stodire, ne vsquam ab exemplo deuiant, & se dissimiles
præstent Christo & Ecclesiæ, quos repræsentant. Mulie-
res iubet viris esse subditas, & morigeras, & fideles: ne

dis-

dissimiles inueniantur Ecclesiæ, cuius ipsæ imaginem ge-
runt. Siquidem Ecclesia Christo sponso parat per omnia
vnum amat Christum, vni seruat fidem, nullius alieni pro-
missa sequitur, contenta viro suo Christo, cuius vnus amo-
re se oblectat, & in quo possidet omnia. Similiter viros
admonet, vt in Christum respicientes, quem ipsi repræ-
sentant, coniuges suas diligant & foueant, quemadmodum
Christus diligit & fouet Ecclesiam.

Et vt sic obedientiam & mutuam dilectionem coniu-
gibus maiore seruo commendaret Apostolus, cum Pro-
thoplastæ verba recitasset, quibus viri & mulieris coniun-
ctio ex institutione Dei docetur, mox subintulit. Sacra-
mentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo &
in Ecclesia: vtiq; volens attentos reddere coniuges, vt co-
gitarent suam coniunctionem gerere similitudinem eius
vnionis, quæ est inter Christum & Ecclesiam, vt sic eos ad
obedientiam & mutuam dilectionem facilius induceret.
Existimauit enim Apostolus, fidelem mulierem nulla alia
ratione efficacius induci posse, vt obediat viro suo, quàm
vt sic se similem præstet sanctæ Ecclesiæ, quæ Christo,
viro suo per omnia obedit. Similiter & virum fidelem ad
dilectionem vxoris suæ nõ posse alia ex causa vehemen-
tius accendi, quàm vt sic imitetur Christum, qui intima
charitate complectitur Ecclesiam, curam illius agens.

Iam cum constet, Matrimonium duplicis rei signum
esse, & in se continere Sacramentum coniunctionis, quæ
est inter marem & fœminam, quam Deus occulta virtute
perficit & operatur, & simul istius vnionis, quæ est inter
Christum & Ecclesiam: nunc videndū est, an extent pro-
missiones in scripturis sanctis, quibus comprobetur, rectè
contrahentibus gratiam diuinitus donari.

Christus casti Matrimonij Deum inducit authorem & Gratiam
copulatorem. Quod Deus coniunxit (inquit) homo nõ se-
parari potest: inuens, eos qui cum pietatis respectu legitimo
in Matris connubio copulantur, non tam verbis mutui consensum,
quàm

Matt. 19. quàm intus Deo assisente, & per gratiam suam eos copulante, coniungi: atque adeò Deum non tantùm primos *Deus etiã homines* coniunxisse, sed adhuc omnis legitimi Matrimo-
adhuc con- nij conciliatorem esse, vt de omnium coniugum copula
pulat con- rectè intelligatur. Quod Deus coniunxit, homo ne sepa-
uges. ret. Deus autem ab initio copulans coniuges, benedixit eis: qui cum idem etiam hodie iusta Matrimonia copulet, quoties refumit copulandi officium, toties repetit etiam benedictionis beneficium, sed quis credat, Dei benedictionem esse gratiæ expertem?

1. Cor. 7. Paulus Matrimonium infirmis ad peccati remedium dari assueerat. Propter fornicationẽ (inquit) vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat. Quod vtique remedium ex diuinæ gratiæ munere promanat, siquidem & actus ille coniugalis, qui ex se propter turpem motum concupiscentiæ peccato non careret, propter gratiam Matrimonio adiunctam, ad peccatum coniugibus non imputatur: & illud concupiscentiæ incendium in coniugibus per eandem gratiam mitigatur & minuitur, alioqui per vsum coniugij impetus libidinis ad tempus fatigari potest, sedari autem non potest: imò ex crebro vsu resumptis viribus, resurgit aliquanto feruentior, ideoquæ vt Matrimonium sit remedium peccati, & fornicationẽ excludat, non aliunde fit, quàm quòd Deus gratiam suam adhibet contrahentibus, qua concupiscentiæ suæ impetus refrenent, & qua suffulti, facilius se inuicem contenti, in alienos & illicitos concubitus non exardescant, sed per eandem gratiam affectu mutua dilectionis copulati, & amabili vinculo connexi, cohæreant, & ab omni spurcicia & immunditia puros & immunes se conferuent.

Et alibi idem Apostolus non modò operis coniugalis excusationem & impunitatem, sed aternæ etiam vitæ mercedem fidelibus coniugibus ex bono Matrimonij pollicetur. Saluabitur (inquit) mulier per filiorum generationem, si permanserint in fide, & dilectione & sanctificatione. Et Thessalonicenses, quos tamen ad cælibem vitam

vitam non astringit, sanctificationem obseruare admonet. Vnde apparet, in ipso etiam coniugio sanctificationem obseruari posse, quemadmodum alibi connubium honorabile, & thorum immaculatum, discretè pronunciat. Sed thorus purus & immaculatus esse, sanctificatioque in vsu Matrimonij obtineri nequiret, nisi gratiam adhiberet Deus Matrimonio, per quam concubitus, qui in carne peccati sine fædo motu concupiscentiæ non peragitur, à peccato tamen excusetur.

Has scripturæ autoritates secuti Orthodoxi Patres, *Aug. de nupt. & concupif. cap. 10. Hiero. & Ambro. Theophi. super E- phe. 5.* Matrimonium Christianorum magno consensu inter Sacramenta Ecclesiæ posuerunt, cum viderent, Matrimonium admirandæ istius & sanctæ vnionis Christi & Ecclesiæ signum in scripturis prædicari, & simul ex verbis Christi inseparabilem coniugum coniunctionem significare & efficere: adeoque eos, qui Matrimonium vera fide inirent, memores istius sanctæ vnionis, quam ipsorum copula insinuaret, non vulgarem à Deo gratiam, iuxta multiplices scripturæ promissiones, consequi. Hinc in tota Christi Ecclesia perpetua & vniformis consuetudo durauit, vt nuptiæ fidelium in facie Ecclesiæ sub Sacramenti nomine consecrarentur.

Nec est res leuis momenti, docere in Ecclesia, Matrimonium esse Sacramentum: & seriò admonere homines, vt in vim istius Sacramenti diligenter intendant, eamque benè cognitã habeant. Nam sola Sacramenti ratio Christianum Matrimonium à coniugiis infidelium discernit, & causam Matrimonij apud Christianos facit singularem, vt non alibi, quàm in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius, talis sit homini causa cum vxore. Hoc enim ex vi Sacramenti (quod sola agnoscit Christi Ecclesia) & ex institutione Christi, & significant & efficiunt verba contrahentium, quod apud nullam vnquam gentem effecerunt, vt inter contrahentes per Dei gratiam intus in Sacramento operantem, coëat fœdus inuiolabile, & coniunctio, nulla vnquam de causa solubilis. Quæ etiam coniunctio inter duos solos durans, consortium alicuius ter-
Sola Sacramenti ratio polygamiã & repudia prohibet.

tij prorsus excludit, & vtrique coniugum, quamdiu viuunt alter, cum alio se coniungendi aut permiscendi ius prorsus adimit. Et hæc vtraque ex verbis Christi, Matrimonium ad primæuam institutionem reuocantis, certa & perspicua euadunt.

Contra pluralitatem vxorum & repudii. Deus enim ab initio ad conseruandam hominum inter se societatem, libertatem promiscui & vagi concubitus inhiuit, & officium procreandi liberos intra certam metam inclusit, ne propinquitatis iura (quæ retinendæ inter homines societatis firmissimum vinculum subministrant) ex incerto prolis conceptu violarentur.

Gene. 2. Duos itaque inter se, marem & fœminã, perfectissima societate & arctissima coniunctione connexit. Propter hoc (inquit) relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Et erunt duo in carne vna. Quæ verba vim duplicis præcepti in se continere, perspicuè deprehenduntur: Vnius, vt in illam societatem duo tantum iungantur. Alterius, vt sic iuncti fœdere inuiolabili, & prorsus inseparabili copula, sibi inuicem adhæreant.

Gene. 1. Sic iunctis duobus, officium procreandi liberos inter se solos exercendum permisit. Crescite (inquit) & multiplicamini, & replete terram. Et hæc societatem, ne vnquam violaretur, multiplicibus legibus muniuit, grauissimas pœnas violatoribus denunciatis: adeo, vt omnem coitum, extra huius societatis metam perpetratum, æternis suppliciis condemnet. Fornicatores, inquit, & adulteros iudicabit Dominus.

Iudaorū connubia, duobus modis. Hanc humanæ societatis metam à Deo constitutam prius Lamech transfiltens, & duas vxores sibi adiungens, sine dubio ex violatione legis Matrimonialis diuinitus constitutæ, grandis criminis se reum effecit.

Sub lege Moyfi Patrum Matrimonia à prima Dei institutione duobus modis degenerauerunt, cum & plures vxores ducerent, & ductas aliquando dato repudij libello,

à se dimitteret. Quorum alterum ex dispensatione Dei permillum, futuri temporis mysterio seruiuit. Hoc enim in Matrimonio multiugis Patrum Matrimonii significabatur, vnà cum Synagoga olim in Christo etiam multitudinè gentium in vnum corpus spirituale adiungendã, & ex multis populis vnã Christo spõsam Ecclesiam congregandã, cum qua Ecclesia sic ex multis populis collecta, Christº arctissima illa cõiunctione neceteretur: quã mystica Adæ verba præ nunciauerant, & quam Apostolus recensens. Propter hoc (inquit) relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.

Itaque priusquam veniret Christus, & ex omnibus gentibus vnã sibi Ecclesiam adunaret, permillum est populo, ex quo Christus nasciturus expectabatur, vt vni viro plures mulieres iungerentur: ad insinuandum, sic olim Christum, non vni Synagogæ adhæsurum, sed ex multis populis, tam Iudæis quàm gentibus, vnã sibi Ecclesiam fide perpetua & indissolubili fœdere coniuncturum, in qua adunata ex multis populis Ecclesia, illud Spiritus sancti vaticinium adimpleretur. Vna est columba mea, perfecta mea: vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Nunquam verò pluribus viris vna mulier nubere in lege permilla est. Duobus enim seu pluribus viris, nulla vnquam Sanctarum inuenitur seruiuisse, quod ad idem mysterium pertinuit, vt significaretur, Ecclesiam vni viro Christo, integra fide, & in dissolubili vinculo adhæsuram.

Repudium verò Legislator nequaquam inter bona habuit, sed duri cordis populo ad maioris mali deuitationem indulgit: leuius delictum existimans, vt vxorem, quam quis odio haberet, à se dimitteret, & duceret aliam quàm vt exosam interficiens, ad aliam ducendam nec prioris coniugis domum euacuarat. Nec ideo minus tamen vtrunq; & Polygamia Patrum, & repudium cum prima Dei institutione pugnat: sed vtrunque per dispensationem Dei à culpa excusabatur.

Christus

Cant. 6.

Repudiū propter duritiam cordis permissum.

Christus Christus verò vtriusq; tam polygamie quàm repudij, *Matrimo- nium ad primam-stitutione reduxit.* dispensationem sustulit ac remouit, & Matrimonij conditionem ad primam illam institutionem reduxit, qua iuxta Dei voluntatem & ordinationem, duo tantùm, masculus & foemina, inuiolabili foedere & nexu prorsus inseparabili cohererent. Non legistis (inquit) Quia qui fecit hominem ab initio, masculum & foeminam fecit eos, & dixit. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Et adiecit Christus. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergò Deus coniunxit, homo non separet. Quis non videt ex manifesta Dei voluntate & ordinatione, Matrimonij metam intra duos tantùm, masculum & foeminam, sic esse coarctatam, vt Matrimonialis copula alicuius tertij aut etiam plurius consortium nequaquam admitat? Erunt duo in carne vna, inquit. Et. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro.

Tantum vim habet hæc maris & foemine in vnam carnem permixtio & coniunctio, vt alteruter proprij corporis ius amittat, & vicissim ius corporis alterius accipiat, testante Apostolo. Mulier (inquit) sui corporis potestatem non habet, sed vir : similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Iam ergò neuter coniugum potest corpus suum (cuius potestatem, quò ad actum illum coniugalem, amisit) dare alteri tertio sine violatione legis Matrimonialis, & sine grandi iniuria prioris coniugis, cum quo ex desponsatione prima per Dei ordinationem & occultam operationem, cœpit esse vna caro.

Nisi fortè quis tam impiè stupidus sit, vt credat, si vir viuente prima coniuge alteram superinduxerit, etiam illam alteram cum eo iuxta Matrimonij legem in eandem carnem vniri. Si enim cum viro vxorem primam habente, etiam altera vna caro fieret: iam vtique tres essent in vna carne, & ob id priorem vxorem (quoniam cum marito vna prorsus caro & eiusdem iuris est) cum sequente vxore nõ minus quàm maritum vnam fieri carnem oporteret

teret. Itaque mulier mulieris vxor efficeretur, quo nihil absurdus cogitari potest. Sed alibi Christus verbis planis, & nullam prorsus ambiguitatem habentibus, plurimum consortium à Matrimonio excludit, & illud inter se los duos constare posse disertè pronunciat. Quicumque (inquit) dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur super eam. Et si vxor diriserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur. An non hæc Christi sententia viro, viuente vxore, ius aliam ducendi disertè adimit? Si duxerit aliam (inquit) mœchatur. Si enim vir potestatem haberet, sine adulterij crimine pluribus simul vxoribus copulari: iam ne dimissa quidem priore, siue iustè siue iniustè, adulterium committeret, ducens aliam, non magis, quàm si eadem retenta, superinduceret aliam. Iniurius & sæuus in vxorem priorem fortasse rectè dici posset, qui vxorem, quam accepit vitæ suæ sociam, & fortunæ omnis consortem, temerè abiiceret, & prioris charitatem cum sequentis amore facilè commutaret: mœchus tamen dici nequaquam mereretur, qui Matrimonij legem in nullo violaret, alteram ducens, si simul pluribus copulari sine adulterij crimine liceret. Sed ideo mœchatur, alteram ducens, quia Matrimonij iura violat, adiungens se alteri, quum adhuc prioris vinculo alligatus teneatur; siquidem vni iunctus, alteri coniugi licite non potest: quoniam Sacramentum coniugij consistit inter duos. Mœchari enim propriè dicitur, qui in ipsa Matrimonij iura peccat, & fidem coniugi suo datam, non quauis iniuria, sed concubitu prohibito, & in concessis alterius amoribus, violat. Polygamia ceterè iam ab initio nascentis Ecclesie Christiana religio adeò horruit, & penitus repudiatur, vt etiam his, qui in infidelitate pro more gentis suæ plures vxores duxissent, conuersis ad fidem, Ecclesia reliquas vxores adimeret, & primæ tantùm adhærere iuberet. Nec est inuentus vir honestus, & qui sanæ fidei & mentis fuerit, qui plures simul habere vxores in religione Christiana tentauerit, aut cui hoc tentanti Ecclesia permisit. Ab hac perpetua consuetudine, quam totius orbis Christiani, adeoq; omnium temporum consensus, probauit & confirmauit, etiam si nullis scripturæ testimoniis fulciretur, si quis diceret

Christus prohibet pluralitatem vxorum.

Marci. 10

Mœchari quid. de diuor. c. Gaudentius.

KK scedere

scedere præsumere, hunc vt futilem, & leuem, & patrij ritus temerarium desertorem, ac perniciosi & execrabilis exempli auctorem, meritò omnes boni exploderent, & communi omnium odio dignum existimarent.

Iam alterum quoque ex Christi verbis deprehenditur, videlicet, vinculum coniugij semel inter duos colligatum, manere indissolubile, nec villo vnquam diuortio, sed sola alterius coniugis morte resolui. Quod Deus coniunxit (inquit) homo non separat. Quod idem alibi verbis plurius exprimit. Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit, mœchatur. Manet ergo inter separatos vinculum coniugij integrum. Nam si dimissam ducens, iuxta Christi verbum mœchatur, eius adulterij causam inde prouenire necesse est, quòd ea quam ducit, ab alterius viri iure nondum liberata est, alioqui liberam ducens in vxorem, adulterij crimen non incurreret, cum illam, quæ à viri lege liberata est, si se alteri viro iunxerit, Apostolus ab omni crimine excuset. Eadem etiam ratione, qui dimittens vxorem suam, ducit alteram, mœchatur: quia fœderis coniugalis copula per dimissionem non resoluitur, sed adhuc manet alligatus legi vxoris, quam dimisit: ideoque ducens alteram, cum ea adulterium committit, quia quam dimisit, adhuc tamè vxor eius esse perseuerat, & ipse similiter dimissa maritus manet, nec alter ab alterius iure, nisi morte alterius interueniente, vlla de causa liberari potest. Mulier alligata est legi (inquit Apostolus) quanto tempore vir eius viuuit. Quòd si dormierit vir eius, liberata est à lege. Cui autem vult, nubat, tatum in Domino. Et idem Quæ sub viro est mulier (inquit) viuente viro, alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro.

Hanc verò sententiam cum Christus & eius Apostolus sine omni restrictione aut exceptione proferant, nimirum satis manifestum euadit, inter coniuges quacunque tandem

tandem causa abinuicem separentur, manere tamen indissolubile vinculum Matrimonij, nec alterutri potestatem concedi posse cum alio contrahendi, priusquam alterutrius morte alter ab alterius lege liberentur. Nam qui verba Christi: Omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat, huc torquet, vt putent viro potestatem dari, vxorem adulterij conuictam non solum à se dimittendi, sed ea dimissa aliam ducendi, vim faciunt verbis Christi, & de suo ingenio sensum alienum inferunt Euan-gelio. Quorum errorem Christi sententia, apud alios Evangelistas sine omni restrictione prolata, satis conuincit, qua dimittenti vxorem ius aliam ducendi sine omni exceptione adimit. Discipulis enim in domo iterum de eodem interrogantibus ait. Quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si vxor dimiserit virum suum, & alii nupsit, mœchatur. Et. Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit, mœchatur. Cum ergò Christus disertè pronunciet, omnem qui dimiserit vxorem, & alteram duxerit: aut qui duxerit ab alio dimissam, mœchari: quomodo non impiè temeritatis rei erunt, qui de suo restrictionem inducentes, eum qui ex causa fornicationis vxorè dimiserit, & aliam duxerit, aut qui ex eadem fornicationis causa dimissam duxerit, mœchari negant!

Hac autem restrictione, quam apud Matthæum Christus adiecit, excepta fornicationis causa, nequaquam hoc sensu, quòd illi volunt intelligere, quasi qui dimissam ex causa fornicationis duxerit, aut qui suam vxorè propter fornicationem abiiciens, duxerit alteram, ab adulterij crimine excusetur: sed duo insinuare voluit Christus, in quibus primæuam Matrimonij institutionem Iudæi violabant. Vnum, quòd adulterij reum se faciat, quicumque à se dimiserit vxorem ex alia quauis præterquam fornicationis causa: in eo reprehendens eos, qui quantumuis leui de causa vxores dato repudij libello, à se dimittunt. Alterum, quòd qui dimissa vxore sua, duxerit alteram, aut qui vxorem alterius ex quacunq; causa dimissam du-

Verba Christi Matt. 5. expenduntur ad v. 17. sensum

Marci. 10. Luc. 16.

Matt. 5.

Danatur repudij. Luc. 16.

Rom. 7. 1. Cor. 7.

1. Cor. 7. Rom. 7.

ixerit, adulterium perpetret cum ea, siquidem vinculum Matrimonij ex institutione Dei sit perpetuum, & indissolubile etiam inter separatos perseueret, nec alia causa quam alterutrius morte resoluitur. Itaque in his duobus abusus Matrimonij, qui apud Iudæos inoleuerat, Christus corrigit. Ne quis vxorem suam ex alia, quam fornicationis causa, à se dimittat. Et si ex causa fornicationis dimississet, ne aut vir dimittens alteram ducat, aut dimissa à viro, alteri marito iungatur. Quoniam etiam inter separatos maneat coniugij vinculum, nec alter ab alterius iure, nisi sola alterutrius morte interueniente, soluitur. Hanc esse horum verborum Christi veram & genuinam sententiam, alia eiusdem Domini de eadem re sententiæ sine omni restrictione positæ, satis luculenter indicant, Marc. 10. Lucæ. 16.

Alioqui quid absurdius aut quid iniustius, quam quod illi ex his verbis Christi volunt intelligere, quasi Christus ab adulterio excusare voluerit eum, qui dimissam ex causa fornicationis sibi adiungeret vxorem, cum eum qui aliam alia ex causa innocenter abiecit, duxerit, adulterij condemnet. Sic enim improba adultera suæ turpitudinis præmium ferret. Et innocens & honesta mulier innocentia suæ grauem reciperet pœnam. Illa enim quæ prioris coniugij iura adulterio violasset, ob eam culpam dimissa à viro suo, ad secundi coniugij solatia confugere sine peccato posset. Hæc autem honesta mulier, quam sine culpa vir durus abiecit, derelicta & contempta manere, & grauem perpetuæ solitudinis pœnam sine spe alterius coniugij sustinere cogretur.

Separatis coniugibus neutri licet aliis contrahere Quod autem innocenti parti quidam alteri se coniugendi libertatem permittit, ei verò, qui fornicatione sua causam dederit repudio, vltius contrahendi facultatem adimunt, nihil agunt. Nam si vir vxorem, quam adulterij conuicerit, aut vxor virum adulterij manifestis contaminatum à se dimiserit, dicant illi vtrum inter eos sic separatos maneat coniugij vinculum, an non maneat? Si manet, non est dubium, quin vtrique alteri Matrimonio se

iuur-

iungendi potestas ex æquo adempta sit, cum adhuc prioris Matrimonij vinculis alligati teneantur. Si vero ex separatione inter coniuges ex causa fornicationis facta, vinculum coniugij soluitur, & iura prioris Matrimonij per adulterium violata sunt irrita, iam vterque liber est, & ille maritus esse desinit, & hæc desinit esse vxor, & vterque ex æquo libertatem habet cui vult se iungendi, cum sui corporis potestatem habeant, nec iam alterius coniugij vinculis sint alligati. Non enim quia seu vir seu mulier adulterium fecit, ideo libertatem contrahendi amisit. Nulla enim lex Christi adulterij Matrimonio interdicat. Tametsi Ecclesia adulterij à Matrimonio repellat, sed ei modò mulieris, cui viuente viro suo adulter fidem dedit, se eam in coniugem ducturam, si viro superuixerit, aut si adiuuit adulteram, vt in viri mortem aliquid machinaretur. Extra hunc casum (ait Augustinus) mortuo eo, cum quo fuit verum coniugium, potest fieri coniugium etiam cum eo, cum quo præcessit adulterium: multo ergo magis cum alio, cum quo non præcessit adulterium. Sed hoc commentum illorum Christi plana sententia dissoluit & reicit, qua vtrunque adulterij condemnat, & eum qui vxorem ex quacunque causa dimittens, duxerit alteram, & eum qui ab alio ex quacunque causa dimissam ducit vxorem. Non vti que aliam ob causam, quam quod inter separatos etiam post iustum repudium manet prioris Matrimonij vinculum, quod cum vtrunque coniugè pari iure astringat, eodem vinculo tam qui dimittit, quam qui dimittitur, etiam post repudium ex æquo manet alligatus.

Confirmat hanc doctrinam Apostolus. His qui Matrimonio iuncti sunt (inquit) præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere inuictam, aut viro suo reconciliari. Hanc discessionis seu separationis legem, Apostolus ex Domini præcepto se præscribere asserit, ideoque causam discessionis non exprimit, cum non ignorent Christiani, nullam aliam causam discessionis præter solam fornicationem coniugibus à Domino permissam. Ergo ex Domini præcepto ad-

KK iij monet

Ecclesia quatenus adulterij a spe Matrimonij prohibeat De eo qui duxit in Mat. quæ pol. c. veniens.

1. Cor. 7.

monet vxorem Apostolus, ne à viro suo discedat, quod si omnino ob fornicationis causam (ob quam solam iuxta Domini præscriptum, licet coniugem deserere) à viro suo discesserit, iubet eam viuente viro cælibem permanere, aut viro suo reconciliari.

Ob leues causas nõ licet deservere coniug. Hanc verò optionem Apostolus ei mulieri tantummodo obtulit, quæ virum iuxta de causa reliquerit: permittens ei libertatè, vt vel innupta maneat, vel viro, quem reliquit, reconcilietur. Alioqui leuibus de causis in Ecclesia Christi nunquam coniugibus permittum est, ab inuicè discedere. Procul enim ab hac temeritate tam Apostoli, quam hos sequuti Orthodoxi Patres abfuerunt, vt coniugibus alia quam fornicationis causa ab inuicem discedendi potestatem facerent, cum scirent Dominum omnes alias discessio- nis causas, extra solam fornicationem, vna sententia am- putasse & condemnauisse.

Vir & mulier eodè iure tenentur. De viro autem ideo Apostolus scorsim non præcepit, quia similem de viro formam intelligi voluit, qualem de muliere iam præmiserat, vt si dimiserit vxorem (quod causa fornicationis permittitur) maneat sine vxore, aut reconcilietur vxori, quam dimiserat. Apud Christianos enim quod non licet feminis, æquè nõ licet viris, eadè- que seruitus pari conditione censetur.

Epita- phio sa- biolæ. Alibi idem Apostolus docet, nexum coniugalis vinculi nulla discessione, nullo repudio, sed sola alterius coniugis morte, esse solubilem: simul hoc ostendens, hoc nexu coniugatis, dum viuunt alteruter, cum alijs se iungendi potestatem prorsus esse ablatam. *Mulier* (inquit) alligata est legi, quanto tempore viuunt vir eius. Quod si dormierit vir eius, liberata est à lege: cui autem vult nubat, tantum in Domino. Et idem. Quæ sub viro est mulier, viuente viro, alligata est legi. Si autè mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro.

Hætenus

Hætenus ex Domini & Apostoli doctrina perspicuè demonstratum est, seu virum seu mulierem, vt à coniuge suo discedat, causam quidem habere à Domino permis- sam, solam videlicet fornicationem: vt verò viuente con- iuge, alteri se adiungat, causam prorsus non habere. Sed aut cælibem permanere oportet, donec morte coniugis à lege eius liberetur, aut si viro coniugij carere nolit, coniugi derelicto reconciliari.

Fornica- tio etiam spiritualis 28. q. 1. c. 1. dolola- tria. De diuor- c. Quæsi- tit. cap. Quanto.

Hic obiter admonendum venit, fornicationem, ob quæ coniux ab altero ritè deserit, non solum corporalem, sed etiam spirituales debere intelligi, vt si alter coniugum in hæresim aut gentilitatis errorem inciderit: Non tamen etiam ob hæresim separati, alijs sese coniungere possunt: quia inter Christianos ex virtute Sacramenti, sic firma & rata coeunt Matrimonia, vt vinculum coniugij inter duos semel alligatum, nunquam nisi sola alterius morte resolui queat. Maior tamen aliquanto & vrgen- tior causa existit, vt coniunx alterum mente & spiritu in fide, quam per libidines in corpore fornicantem defe- rat. Nam si altero per hæresim vitio coherere velint, periculum est, ne qui per hæresim deprauatus est, & coniugem & liberos eodem errore inuoluere conetur, cui periculo per separationem restè obuiatur. Melius enim est prolem non nasci, quam natam in hæresi e- ducari. Satius est vitam temporalem nunquam attigisse, quam æternæ morti in anima simul & corpore obnoxium fieri.

Nunc doctrinæ Christi & Apostoli subiungenda sunt Hierony. Orthodoxorum Patrum conformia testimonia. Hierony- mus: Vbi cunq; est fornicatio, inquit, liberè vxor dimittitur, & quia poterat accidere, vt aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam nuptiarum, veteri crimine impingeret: sic priorem dimittere iubetur vxorem, vt secundam prima viuente non habeat. Idem ad quæstionem 32. q. 7. c. Amandi Presbyteri respondens: Omnes (inquit) cau- sationes Apostolus amputans, apertissimè definiuit, causatio- viuente viro esse adulteram mulierem, si alteri nupsierit. nes.

KK iiij Nolo

Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris præstationem, patris auctoritatem, propinquorum cateruam, seruorum insidias, & parentum, damna rei familiaris. Quam diu uiuit uir, licet a dulcere sit, licet Sodomita sit, licet sit flagitijs omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus tamen est reputandus, eius scilicet, cui alterum uirum accipere non licet, &c. Idem. Qui dimissam accepit, adulter est: siue ipsa dimiserit uirum, siue à viro dimissa sit, adulter est, qui eam accepit. Idem in Epitaphio Fabiolæ: Dominus præcepit (inquit) uxorem non debere dimitti excepta causa fornicationis, & si dimissa fuerit, manere innuptam. Quicquid uiris iubetur, hoc consequenter redundat in fœminas. Neque enim adultera uxor dimittenda est, & uir mœchus tenendus. Si qui meretrici iungitur, uinum corpus facit: ergo, & quæ scortatori impuroque sociatur, uinum cum eo corpus efficitur. Aliæ sunt leges Cæsarium, aliæ Christi. Aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. Apud illos uiris impudicitie frenata laxantur, & solo stupro atque adulterio condemnato, passim per lupanaria & ancillulas libido permittitur, quasi culpam dignitas faciat, non uoluntas. Apud nos quod non licet fœminis, æquè non licet uiris. Et eadem seruitus pari conditione censetur. Hinc Fabiolam quidem inculcat, quod primum maritum quantumuis malignum dimiserit, & alteri nupserit, cum deberet innupta manere: interim huius delicti seriam Pœnitentiam in eadem commendans.

Ambro.
32. 9. 7.
ca. Quod
proposui-
sti.
Origenes
In eandem sententiam loquitur Ambrosius (licet alibi aliud sensisse in libris suis inueniatur, tamen eo loco libri eius ante quadringentos annos pro deprauatis sint habitis) super uerba Pauli. Mulier alligata est legi, quanto tempore uiuit uir eius. Hæc idcirco, inquit, prosequitur, ut doceat, quia mulier etiam si à viro fuerit eiecta, nubendi licentiam non habet. Et eandem de indissolubilitate uinculi coniugalis sententiam, idem Ambrosius grauius uerbis tuetur super Luc. 16. & Roman. 7. Similiter & Origenes super Matthæ. Homilia septima, & super Epistolam ad Romanos.

Et

Et Augustinus uir acri ingenio, & pari pietate præditus, multa in hanc sententiam disseruit: ostendens, nexum coniugalem nullis de causis esse solubilem, sed semel ritè colligatum, non nisi alterutrius coniugis morte resolui, secundum uerbum Domini. Quod Deus coniunxit, homo ne separet. Videmus (inquit) uinculum seu fœdus illud coniugale (quæ est res Sacramenti) tantum ualere, ut tametsi causa procreandi colligetur, non tamen ea causa cessante, soluatur: alioqui quis uxorem sterilem dimittere posset, & ducere seu saltem superinducere eam, de qua filios haberet, quod Christianis non licet. Quem ergo non faciat intenturus, quid sibi uelit tanta firmitas uinculi coniugalis? quod nequaquam tantum ualere putandum est, nisi alicuius rei maioris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam Sacramentum adhiberetur, quod licet deserentibus atque adeò dissolueri cupientibus hominibus, nihil fecius tamen inconcussum illis remaneret ad penam. Quæ de re interueniente diuortio, non aboletur illa confederatio nuptialis: adeò, ut etiam corporaliter separati coniuges maneat, cum illis uerò adulterium committant, quibus fuerint etiam post repudium copulati. Nec tamen nisi in ciuitate Dei nostri, in môte sancto eius, talis est causa cum uxore. Et alibi. Manet inter uiuentes quoddam coniugale uinculum, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre, sicut Apostata anima de coniugio Christi recedens, etiam fide præstita Sacramentum fidei non amittit, quod lauacro regenerationis accepit. Idem. Intercedente diuortio, non tamen ideo deletur fœdus seu uinculum coniugale. Et iterum. Licetè dimitti potest mulier causa fornicationis, sed interim manet uinculum prioris Matrimonij. Et idem. Quapropter cum separantur, nunquam adhuc carebunt Matrimonij Sacramento.

Consentiunt & Græcorum testimonia. Quemadmodum Chrysof. scelus est (inquit Chrysofotomus) in duo diuidere carnem unam, sic & mulierem à viro suo diripere, iniquissimum est. Nam Christus ostendit, & præter naturam & contra legem esse repudium. Præter naturam quidem, est carnem unam

August.

Mat. 19.

August.

de bono

coniug.

cap. 7.

Chrysof.

super

Mat. 19.

vnam discindi & diuidi. Contra legem autem, quia Deus coniunxit, & præcepit non separari. Et alibi. Qui dimiserit, inquit, vxorem suam, facit eam mœcham, & qui dimissam duxerit, mœchatur. Ille quidem si alteram duxerit, tunc fe constituit criminis reum, qui adulteram fecit ex coniuge: hic verò accipiēdo alienam, adulter effectus est. Et nequaquam mihi referas, quia illam alter eiecit. Nam expulsa quoque vxor esse eius qui eam expulit, persecerat. Et ne quis putaret virorum conditionem esse diuersam, subdit. Si nihil viro de hoc propriè loquitur, ne mireris: est enim mulieris sexus infirmior, propterea illam relinquens, dum deterret virum, vitium quoque vxoris emendat.

Theophy
lactus *super*
Mat.
cap. 19. Theophylactus: Causam hominis (inquit) cum muliere dicit perpetuam & inseparabilem vnionem.

De diuor
c. Gaude
mus.

milentia
conci.
c. 17. 32.
q. 7. cap.
placuit
secūdam. Hanc de inseparabili vnione coniugij doctrinam, Christi & Apostoli autoritate fundatam, & sanctorum Patrū testimonijs confirmatam, vnanimi consensu semper amplexa est Ecclesia Catholica: adeo, vt his etiam qui in infidelitate legitimas vxores dimississent, cōuersis ad fidem, non permitteret Ecclesia, viuente prima vxore, cum alijs contrahere, sed aut cælibes permanere, aut cum priore vxore reconciliari iubebantur, nisi fortè viris ad fidem conuersis vxores in incredulitate persecerantes, cohabitare nollent. Tunc enim sine peccato dimittebantur, quæ recusarent cum timore & deuotione Dei tenere coniugium, & quæ cum contemptu virorum suorum etiam Dei contumeliam iungebant. Alioqui qui in religione Christiana semel iuncti matrimonio essent, si postea ex causa fornicationis (propter quam solam licet coniugem deserere) separarentur, ne ampliùs cum alijs, priore coniuge viuente, contraherent, sic decreuit Mileuitanum Concilium. Placuit vt secundum Euangelicam & Apostolicam disciplinam neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito, alteri coniungantur, sed ita maneant, aut sibi met reconcilientur. Quòd si contempserint, ad Pœnitentiam redigantur. In qua causa legem Imperialem petendam

pro-

promulgari. Et simile Decretum Innocentij. De his etiam *Innocentius Primus* requisit dilectio tua, qui interueniente repudio, alij se ad Exuperium Tolesanum Matrimonio copularunt. Quos in vtraque parte adulteros esse manifestum est. Qui verò vel vxore viuente (quamuis diffociatum videatur esse coniugium) ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri: in tantum, vt etiam hæc personæ, quibus tales coniuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commississe videantur secundum illud, quod legimus in Euangelio. Qui dimiserit vxorem suam, & duxerit aliam, mœchatur. Similiter, & qui dimissam duxerit, mœchatur. Et ideo tales omnes à cōmunionem fidelium abstinendos. De parentibus autem aut propinquis eorum, nihil tale statui potest, nisi incontentores illi liciti confortij fuisse detegantur. Hæc Ianocentius.

Mar. 10.
Luc. 16.

Non autem pugnat cum hac doctrina, quòd interdum quæ videbantur esse Matrimonia, in totum dirimuntur, vt si quando in mutuam coniugium consenserūt, inter quos ex causis rationabilibus constare Matrimonium non potest. Tunc enim peritus Iudex cognoscit Matrimonium fuisse inualidum, nec soluit Matrimonium, quod nunquam fuit verum, sed pronunciat inter eos ob causas rationabiles Matrimonium coire non potuisse, ideoque alterum ab alterius iure, quod ad copulam coniugalem attingit, liberum & solum esse mutuis promissionibus, quæ præter ius & rationem factæ sunt, non impediētibz aut ligantibus. Alioqui si semel Matrimonium legitime fuerit contractum, vinculum illius nullis vnquam causis incidentibus, sed sola alterius morte coniugis, resolui potest.

Non est
res leuis

Facit quidem hæc vinculi coniugalis indissolubilitas facinam coniugij satis grauem, sed eadem cautos reddit homines, vt contrahere volentes, non dotem, sed mores cōsiderent, & coniuges sibi secundum animi virtutes magis, quam ex illecebra formæ deligant: præcipue verò, vt si de ad Deum conuersi, coniugium suum à Deo casti Matrimonij auctore & conciliatore, sic prosperari optent, ne aut crimen adulterij timere, aut periculum diuortij

momenti
matrimonij.

cautio ad
hibēda in
deligendo
coniuge.
Prou. 19.
ab

ab inuicem expectare cogantur: memores domum quidē & diuitias à parentibus, vxorem autem prudentem & pudicam propriè a Domino dari.

Quod si quis secum reputauerit, nimirum intelliget, societati & paci hominum sic magis consultum, vt maneat coniugij copula etiam post repudium integra. Nam si ex diuortio Matrimonium in totum solueretur, ita, vt diuortio separatis liceret, quibus vellent se coniungere, quas non causas ad diuortium coniuges quotidie comminiscerentur? Et Diabolus quietis & castitatis inimicus, dissidia inter coniuges serere nunquam cessaret. Itaq; euenturum erat, vt quisquis alieno amore accensus esset, mox vel ob id ipsum in adulterium rueret, vt hac causa discessionem sibi à priore coniuge procuraret, & ei, cuius amore exarserat, liberius iungèretur. Nunc verò cogitantes etiam si corporaliter separentur, adhuc tamen prioris Matrimonij vinculo se teneri, & ob id alterius coniunctionis spem videntes sibi interclusam, ad dissidia tardiores fiunt, & in contentionibus minus exardescunt: & si quando; diuortium intercesserit, cum aliis se adiungere prohibeantur, mutue consuetudinis solatium citius desiderare incipiunt, & per amicos faciliori opera reconciliantur.

August. de adult. coniug. Et hoc Christianam charitatem admodum decet, vt offensæ mutuo condonentur, nec debet fideli viro durum videri, vt quam adulteram dimiserit, eidem per Pœnitentiam correctæ reconcilietur. Cur enim adhuc deputamus adulteros quos per Pœnitentiam credimus esse sanatos? Non erit turpis (inquit idem Augustinus) nec difficilis etiam, post patrata & purgata adulteria, reconciliatio coniugij, vbi per clauces regni cœlorum nõ dubitatur fieri remissio peccatorum. Non vt post viri diuortium adultera reuocetur, sed vt post Christi confortium adultera non vocetur. Cur enim vir fidelis non recipiat vxorem, quam recipit Ecclesia? aut cur vxor viro adultero, sed pœnitenti non ignoscat, cui iam ignouit Christus?

Quod autem scriptura vocat stultum qui tenet adulteram

ram, de ea sensit, quæ cum deliquerit, pœnitere, & à corpora turpitudine desistere, recusat: qualem si vir retineat, turpitudinis patronum & lenocinij se reum facit. Sed qui post delictum pœnitenti ignoscit, non modo non stultus, *Chrysof.* sed verè pius iudicari debet: adeo, vt Domini misericordiam sibi prorsus amputaret, & à spe cœlestis regni se penitus excluderet, nisi ad dimittendam ex animo offensam paratum se & beneuolum præberet.

Hæc (vt dictum est) Sacramenti virtus & copula insolubilis, causam hominis cum vxore in ciuitate Dei nostri, in môte sancto eius, facit singularem, & Christianum Matrimonium supra Gentium pariter & Iudæorum connubia *Matrimonium gentium ex in* multum extolit. Gentes quidem legitima habent Matrimonia, quæ Sacramenti nomen vel ob id merentur, quia & ipsa ex institutione Dei suam trahunt originem. *stitutio diuina.* Nam cum post diluuium Deus his, qui remanserant, Matrimonij iura renouasset. Crescite, inquit, & multiplicamini, & replete terram: quamuis temporum successu in varias religiones homines diuisi sunt, in iungendis tamen *Gene. 9.* Motrimoniis ritum patrum, quem illi à Deo acceperant, quasi per manus traditum retinuerunt. Siquidem etiam di

stante natura intelligebant, talem maris & fœminæ coniunctionem rem esse sanctam, nec prorsus humanitus inuenta contra vagos concubitus beluarum ritu exercitos, & adulteria & stupra velut res inhonestas & iniustas, & societati hominum inimicas, ipsa natura monet abhorre- re. Harum euitandarum causa, Matrimonium amplectuntur & Gætes, idq; obseruant velut legitimam & honestam maris & fœminæ coniunctionem, in qua omnis vitæ confortiũ, omnis fortunæ communicatio, & indiuidua vitæ consuetudo, adeoq; procreandæ & educandæ prolis certa & ordinata ratio continetur, eamq; coniunctionem legibus muniunt, grauib; pœnis contra adulteros, velut huius honestæ coniunctionis violatores, constitutis. Sic obseruantes Matrimonium etiam infideles, in opere coniugali à peccato excusantur. Non tamen sanctitatem Sacramenti habent, quoniam ipsi Sacramentum nec agnoscunt, nec colunt. Non enim ad contrahendum aliqua pietate

Matrimonium inter gentes, nõ est vere Sacramentum.

tate, aut timore Dei mouentur, aut contrahentes Deum respiciunt: sed Matrimonium solum ad retinendam vitæ humanæ societatem amplectuntur, quam vident sine hac legitima viri & fœminæ cõiunctione conferuari non posse. Hinc etiam Gentilium Matrimonia repudium admittunt, quia copulæ coniugalis indissolubilitatem sola Sacramenti virtus efficit, qua infidelium Matrimonia carêt, ideoque si ex infidelibus alteri coniugum ad fidem conuerso alter adherere recusaret, Apostolus fideli coniugi potestatem facit, relicto priore coniuge, ad secundas nuptias transeundi, quod in connubiis fidelium nulla ex causa permitti potest. Si verò qui in infidelitate contraxerunt, conuersi ad fidem, simul habitare consenserint, quoniam legitimum habent Matrimonium, nequaquam separantur, sed permittuntur tenere semel initum Matrimonium, quod ipsis vna cû fide incipit esse Sacramentum, iãq; sic coherentibus addit gratiam, & copulam eorum facit insolubilem.

*Gentium
coniugia
non sunt
insolubilia.*

*Matrimonium
Iudaicum.*

Iudæorum Matrimonia olim sanctiora erant. Nam hi in contrahendo non modo naturalem illam maris & fœminæ Societatem spectabant, sed pietatis respectu iungebant se mulieribus. Cùm enim viderent totum mundum à cultu & agnitione veri Dei ad Idola deflexisse, qui erant maiore pietate & religione præditi in populo Dei, magno desiderio sobolis augendæ tenebantur, non tam vt temporalis substantiæ, quàm vt fidei & religionis hæredes post se relinquerent, & ad illum populum fieret accessio, apud quem solum veri Dei cultus & religio perseuerabat. Sed & vaticinia Prophetarum non ignorabât, quibus Christus ex semine Abrahamæ nasciturus promittebatur: hinc pro se quisq; contendebat prolem suscipere, vt quantum in se esset, populum illum augetet, ex quo populorum omnium Saluator erat proditurus. Propter hunc pietatis affectum Orthodoxi Patres Matrimonia Patriarcharum & Patrum veteris legis, multis laudibus vehût: adeo, vt Diuus Augustinus etiam continentes in religione Christiana admonerat, ne suæ continentiæ meritum supra Patrum illorum nuptias extollât. Qui Prophetice (inquit) iugebatur, & qui neq; inconcubitu nisi prole, neq; in ipsa prole, nisi quod

quod in carne venturo Christo proficeret, requirebant.

Nec tamen existimandum est, Matrimonium Iudæorum fuisse Sacramentum, nisi ea ratione, qua multa alia apud eos Sacramenta erant, quorum significatio in venturum Christum intendebat, nec præstabant ea quæ signabant. Et si qua Sacramenta veteris legis Patribus proderant, hoc non ex virtute Sacramenti indita, sed ex sola fide in venturum Christum proueniebat, cui Sacramenta illa, sua significatione, præseruiebant.

Christianum autem Matrimonium cum vtroq; & Gentili & Iudaico hoc habet commune, quod ipsum quoque inter Christianos legitima & à Deo ordinata maris & fœminæ cõiunctio habetur, indiuiduam vitæ consuetudinẽ, & omnis fortunæ consortium, adeoq; sobolis suscipiendæ & educandæ amicabilem societatem, retinens. Sed cum nouæ legis Sacramentum sit, excellentia significationis & virtutis tam Gentium quàm Iudæorum connubia superat. Nam quatenus Matrimonium fidelium mystice Christum & Ecclesiam respicit, illam admirandam & sanctissimam vnionem nobis insinuat, qua Christus Ecclesiæ non modo spiritu & charitate, sed etiam secundum carnem vnitus & cõglutinatus adheret, mundans, fouens, & saluans Ecclesiam sibi adherentem: cuius significationis sublimitatem Apostolus consyderans, Matrimonium, quod inter reliqua Sacramenta secundum gratiam minimum reputatur, non dubitauit magnum Sacramentum pronunciare. Sacramentum hoc (inquit) magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Quatenus verò Sacramentum Matrimonij ipsos coniuges respicit, duo quædam operatur in cõiunctione fidelium, ad quæ nec naturæ lex, nec Moysaica vnquam attingere potuit. Vnum est, quod ab illa cõiunctione neutri coniugum viuente altero resiliire, aut deserere coniugem suum licet, nisi forte propter fornicationem: sed tunc quoque corporibus tantum, quo ad usum thori & vitæ consuetudinem, separantur. manet autem nihilominus inter eos, coniugij vinculum, quo alter alligatur alteri, vt planè adulterium committat, si se alijs iunxerint, donec alterius morte prioris Matrimonij liberetur.

*Matrimonium
Christianum.*

*Sacramentum
Matrimonij
inter Christianos.*

Ephes. 5.

*Vis Sacramenti
tolit ex Matrimonio
repudium*

Mat. 9. trimonij vinculum inter eos dissoluatur: cuius cōiunctio-
Ratio Sa nis admirabilem vim Christus expressit. Quod Deus (in-
cramenti quit) coniunxit, homo ne separet. Alterū in quo Christiana-
in Matrimo nū Matrimonium tam Gentium quàm Iudæorum conu-
niopro bia excedit, est illa copulæ coniugalis astrictio & coarctā-
hibet po- tio, quæ ex institutione, seu potius renouatione Christi,
lygamæ. inter duos solos durat, & consortium alicuius tertij prorsus
 excludit, vt neutri coniugum iam liceat corpus suum
 alicui tertio dare, aut cōiugem suum accessione noui con-
 iugij, aliqua iuris coniugalis portione fraudare. Est autem
 ius coniugale iuxta Apostolum, vt vterq; corporis sui po-
 testatem alteri tradat, & ex hac traditione ad reddendum
 debitum alteri obligetur: ita, vt vsum corporis sui, quo ad
 actum coniugalem, non ad suam propriam, sed ad coniugis
 sui voluntatem accommodare teneatur. Et hæc mutua
 debiti reddendi obligatio, iustitia quædam & coniugalis
 lex est, cuius Paulus meminit Roman. 7. & 1. Cor. 7. durās
 inter coniuges vsq; ad alterius mortem. Iam si maritus, vi-
 uente vxore (etiamsi eam à se dimiserit) cum alia muliere
 miscatur, vtiq; hanc legem coniugalem violat, & iniu-
 stitiam grandem operatur: tradens alienæ corpus suum sine
 voluntate vxoris suæ, eum tamen ipse corporis sui ius
 nunc non habeat, sed vxor. Vsum ergo corporis sui vxori
 debitum, alienæ accommodans, iniustus est erga vxorem,
 & quasi furti reus efficitur, vsurpans rem alieni iuris
 contra voluntatem eius cuius ea res propria est.

Ius coniu-
gale.

1. Cor. 7.

Adulteriū
est quod-
damfurtū

Gratia sa-
cramenti
in matrimo-
nic.

Ad hæc Sacramentum illud in noua lege gratiam confert ritè auspiciatibus coniugia, qua mutua dilectionis affectus inter coniuges fouetur & conseruatur, vt in hac arctissima & insolubili societate mutuo amore coherentes sine tædio perseuerent, & amicabili vinculo inter se connexti, ab omni immunditia & scelere alieni concubitus, se puros contineant. Eiusdem gratiæ donum est, vt non modo commixtio sexus, cum ex cōcupiscentia non careat turpitudine, omni tamen culpa careat, sed etiam sanctificationem obtineat, & æternæ vitæ remunerationem & misericordiam Domini inueniat.

simam

Hanc Sacramenti istius virtutem qui ignorant, sanctissimam illam & diuinam maris & femine coniunctionem repudiis dissolunt, & arctissimam illam societatem nouorum coniugiorum accessione violant, & sic contra manifestam Dei ordinationem obnitētes, sine dubio graue iudicium sibi acquirunt.

In hoc etiam Christianum coniugium, omnium gentium & Iudæorum conubia superat, quod bona Matrimonij apud alios vterq; adumbrata, apud solos Christianos integra & perfecta habentur. Numerantur autem tria Matrimonij bona, proles, fides, & Sacramentum. Proles fructus est coniugij, ob quem consequendum, precipue Matrimonia præsumi debent: sed spe prolis adempta, nec tamen ob id dissolui debent. Non enim minus sancta perseuerat inter coniuges conuersatio & coniunctio legitima, etiam si proles non nascatur, modò ipsi sterilitatem non procurent, nec malo opere id agant, ne proles nascatur, sed potius voluntatem habeant, si contingat proles, eam pie & religiose educandi. Immodò sanctius Matrimonium inter coniuges perseuerat, qui spem prolis continentia voto, quam ex consensu susceperunt, sibi abscindunt, quod in coniunctione Mariæ & Ioseph liquet, inter quos & firmitate vinculi coniugalis & sanctitate coniugij, perfectum Matrimonium fuit: cum tamen Maria in desponsatione sua diuinæ dispensationi sese submittens, castitatis propositum mente gereret, quod ore mōdum expresserat, sed postea iam ex Spiritus obumbratione Dei Filio grauida, vnà cum coniuge virginitatem decreuit, quo voto adeo nihil ademptum est coniugij sanctitati, vt nullum vnquam coniugium sanctius fuerit. Hoc bonum Matrimonij non tam in hoc cōsistit, vt proles suscipiatur, quàm vt suscepta pie & religiose ad Dei gloriam educetur & instituat. Ideoq; sancti Patres in procreatione prolis, nō tam diuitiarum suarum, quàm fidei & religionis heredes sibi quærebant. Infideles verò, etiamsi liberos suscipiant, quoniam eos in vanitate. Idolorum detentōs, ad cultum & gloriam veri Dei non erudiunt, bonum prolis habere non censentur.

Triasunt
bona Ma-
trimoni.

Aug. ad
Edificam.

Bonum
prolis nō
est apud
infideles.

Alterum bonum est fides, qua post coniunctionem suam uterq; alteri ius corporis sui integrum & illaesum conferuare debet, ne aut coniugem vsu corporis sui integrum aut in alienos & vetitos concubitus profluat: hac fide curam domus inter se partiuntur, & tam prospera quam aduersa fortunæ sortem pariter ferunt. Apud infideles, licet ipsi etiam mutuam sibi fidem seruent, quoniam tamen ad seruandam fidem coniugij nullo pietatis aut timoris Dei respectu ducuntur, sed ad externam tantum honestatem respiciunt, etiam hoc donum inane censetur.

*Fides con-
iugij non
est vera
inter gen-
tes.*

Tertium Matrimonij bonum est Sacramentum, cuius hæc virtus est, vt duo, mas & fœmina, indissolubili nexu & arctissima societate sibi inuicem cohæreant: ita, vt nec se inuicem per omnem vitam deserere, aut noui Matrimonij accessione alter alterum, in aliquo defraudare licitè possit. Hanc virtutem in consensu contrahentium intus operatur Deus per gratiam suam, eandemq; eodem gratiæ suæ munere fouet & conseruat, vt coniuges se mutuo amore complexi, consuetudinem vitæ vsq; ad extremum traducant & retineant inuiolabilem. Hoc bonum soli nouerunt & colunt Christiani, ideoq; causam cum vxore in ciuitate Dei nostri habent singularem, inter solos duos consuetudinem colentes & retinentes, nullis ex causis solubilem. Gentes verò, & Iudæi, & hæretici, virtutem Sacramenti in Matrimonio non agnoscentes, Polygamia & diuortijs contra Dei voluntatem & ordinationem fenestram aperiunt, & (quod dolendum est) etiam in ipsam religionem Christianam nouo & pernicioso exemplo aditum præbent.

*Sacramē-
tam Ma-
trimonii
apud solos
Christia-
nos.*

EFFECTVS SACRAMENTI

Matrimonij.

Hanc virtutem Sacramenti qui in Matrimonio attendit, facillè ex ea efficaciam seu effectum huius Sacramenti colligit: Hæc enim ipsa efficacia seu virtus est huius Sacramenti, quod Deus inter operatione per gratiam suam duos connectit fœdere arctis,

arctissimo & prorsus indissolubili: ita, vt sic iuncti nunquam à se inuicem dissolui, aut alicui tertio commiseri, sine grandi piaculo possint. Insuper sic à se iunctis gratiam impartit Deus, qua mutua dilectionis affectum in eis suscitatur & fouet, vt quoniam separari amplius non possunt, mutuo amore deuincti inuicem, non iam cum tædio, sed cum quadam etiam voluptate cohæreant, & eodem mutua dilectionis affectu eos conciliante, inuicem contenti sint, nec alienos amores festentur, sed per pium & castum amorè in hoc mutuo & inuiolabili fœdere perdurantes, ita se mutuo obseruent & diligant, sicut Christus & Ecclesia, quorum perpetuam dilectionem & inseparabilem vnionem viri & mulieris confederatio designat.

Talem mutua dilectionis vim inter coniuges nisi Deus per huius Sacramenti gratiæ excitaret & conseruaret, quomodo cõiuges intanta carnis lubricitate & inter tot infidias positi, fidem coniugij conseruarent inuiolabilem? aut castitatem tuerentur illesam? Aut quomodo etiam inter eos, in quibus venustas formæ & corporis gratia omnis deperit, & in quibus ardor carnis prorsus emarcuit, tamen cõiugalis charitas semper recens, vsq; ad extremum vitæ spiritum perduraret?

*Vis gra-
tia dimi-
na inter
coniuges.*

Ex eiusdem gratiæ munere venit, vt coniuges nõ modò coniugalis actus (qui ex seipso propter inordinatum concupiscentiæ motum culpa non careret) veniam accipiant, sed sanctificationem & magnum coram Deo meritum sibi acquirant, ritè Matrimonium obseruantes. Deniq; singularis virtus seu efficacia huius Sacramenti hæc est, quæ Deus in promissis suis fidelis, & diues in præstando, coniugibus à se iunctis omnia impartit secundum gratiam suam, quæcunq; piè contrahentibus promissit: & vires suggerit, vt præstent quæcunq; ab eis exigat.

His quæ de Matrimonij conditionibus hæctenus dicta sunt, pauca adicienda veniunt de contrahentium conditione, & consensu, & affectu, quo Matrimonium inire, & in

co viuere debeant. Est autem prima personarum cōditio, vt mas & fœmina coniungantur, qui maturam connubio ætatem attigerūt, quibus proxima cura esse debet, vt sint ab omnibus impedimentis liberi, quibus eorum coniunctio secundum diuina aut humana iura impediri queat.

DE QUALITATE CON-
trahentium.

Impar religio
vita
ri debet
cōtrahendo.

I N primis ergo cauendum, ne sit inter contrahentes religionis diuersitas. Non enim sperari potest fœlix coniugium cum eo, qui fidei peruersitate offendit auctorem coniugij. Sic olim sancti homines, cum aut sibi aut filiis suis vxores quærerēt, religionem puellarū ante omnia considerabant. A braham inter potentes Chanaanos habitans, gentem nobilem quidem, sed idololatriæ deditam abominatus, filio suo de cognatione sua Deum verum colente & timente, vxorem accipiendam destinauit. Et piam patris sollicitudinem imitatus Isaac, præcepit Iacob filio suo, ne coniugem acciperet de genere Chanaan, sed profectus in Mesopotamiam Syriæ, vxorem acciperet de filiabus Laban. Elau verò sensit parentum in se grauē offensam, quòd de filiabus Chanaan vxores sibi adiūxisset.

Gene. 24

Gene. 28

Gene. 26

Ab initio quidem nascentis religionis Christianæ, si ex his qui sub infidelitate Matrimonium contraxerant, alter ad fidem Christi conuersus esset, & alter adhuc in incredulitate manens, tamen cohabitare cum fidei consentiret, permisit Apostolus, ne segregarētur: imparitatem religionis sub spe lucri spiritualis tolerans, vt is, qui non crederet verbo, per conuersationem fidelis coniugis sine verbo lucri fieret. Nunquam tamen in religione Christiana licuit soluto fratri aut sorori, infidelem coniugem accipere. Vnde Apostolus, viduis ad secundas nuptias transeundi liberam potestatem faciēs, hoc solū admonuit, vt cum fidelibus iungerentur. Hoc enim exigere voluit, iubens

1. Cor. 7.
Hiero. ad

cas

cas in Domino nubere, vt ãputaret (inquit Hieronymus) Gerontii & Aethnicorum coniugia. Et Ambrosius: Cauē, inquit, Gentilem, aut Iudæam, aut alienigenam, id est, hæreticam, & Iouinian. omnem alienam a fide tua, vxorem tibi accersas. Et alibi Ambrosius grauisimas causas recenset, cur meritò ob religionis imparitatem coniunxi respui, aut etiam deseri debeat. Non debetur (inquit) reuerentia coniugij, ei qui horret auctorem coniugij. Non enim ratum est Matrimonium, quod sine Dei deuotione est, ac propterea non est peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, si alii se iūxerit. Contumelia enim Creatoris soluit ius Matrimonij circa eum, qui relinquitur, ne accusetur alii copulatus. Infidelis autem discedens, & in Deum & in Matrimonium peccare dignoscitur: quia noluit sub Dei deuotione habere coniugium. Itaq; non est ei fides seruanda coniugij, qui ideo recessit ne audiret auctorem Christianorum Deum esse coniugij. Nam si Esdra dimitti fecit vxores aut viros infideles, vt propitius fieret Deus: nec iratus, si alias ex genere suo acciperet (non enim ita præceptum is est, vt dimissis istis, alias minimè ducerent) quantò magis si infidelis discesserit, liberū habebit arbitriū, si voluerit, nubere legis suæ viro. Illud enim nõ debet imputari Matrimonij, quod extra legem Dei est, sed cum post cognoscit, & dolet se deliquisse, se emendat, vt veniam mereatur. Si autem ambo crediderint, per cogitationem Dei confirmant Matrimonium. Hæc Ambrosius. Idem. Propè nihil grauius (inquit) quàm copulari alienigenæ, vbi & libidinis & discordiæ incentiua, & sacrilegij flagitia, constantur. Et inde. Cum oratio communis esse debeat, quomodo inter dispares deuotione! potest esse coniugij communis charitas? Sæpe plerūque capti amore fœminarum, fidem suam prodiderunt, vt patrum populus in Beelphegor.

Idem su-
verbis
Pauli.
Quod si
infidelis
discedit.
1. Cor. 7.

1. Esd. 10

Ambrosius
li. 7. epist.
1. ad Vigili-
um.

Hi etiam, quos sanguinis propinquitas iunxit, in superconiugali copula inter se vinciri non debent, ne sanctam coniunctionem, quam naturæ debent, superinducta coniunctio violet. Qui enim sic nati sunt, vt mutuum amorem sibi debeant, cur calcato naturæ iure, alium amorem que-

LL iij runt?

runt: aut cur non verentur benevolentiam, quam natiuitas conciliauit, libidinosis affectibus pollueret: aut cur saltem nominum religionem confundere nõ exhorrescunt: vt honestissimorum nominum obliui, quæ naturæ debet, vt fratres, & aui, & patruales, & cõsobrini vocentur, malint per affinitatis vocabula, mariti, & vxores, & foceri, socius dicitur: Nimis in arctum cogit, ac tantò magis abbreviat naturæ amorem, quò quisq; cum propinquiore iungit Matri

monij copulam. Nam naturæ amor ibi desinat necesse est vbi nuptialis commixtio suum fumit initium. Alio enim affectu cõiuges, & alio confanguinitatē, amantur. Tales autem cõsanguinitatis violatores, non excusantur per propinqua Patrum Matrimonia. Nam ab initio paucitas hominum fecit, cum ad propagandam generis humani sobolem necessitas vrgeret, ne propinquorum coniugia vitari possent. Deinde odium Idololatriæ sanctis Patribus

peruasi propinqua coniugia, cum suos filios cognatis potius quàm Idololatriæ coniūgi mallerent, sicut in initiis fidei disparitatem religionis in coniugio summopere fugiendam esse, Apосто. monuit. Cui vult nubat (inquiens) tantum in Domino. Sed cum fidelis populus sic auctus esset, vt in iūgendis cõiugiis cõsanguinitati commodè deferri posset, Deus honorem sanguini haberi voluit, & Matrimonij copulam ex cõsanguinitatis vsq; ad quartū gradum remouit, prohibens patruales fratres sibi copulari, qui quarto gradu sibi cohærent: multò magis in arctioribus necessitudinibus Deus noluit copulā cõiugalem attēdari. Qui enim leuiora astringit, grauiora non soluit, sed

alligat. Quòd si quis ideo in arctiore gradu permissam coniugij libertatem putare vellet, quia expressè non prohibetur: hic ne hoc quidem sermone prohibuit inueniet ne pater filiam suam accipiat vxorem. Nunquid ideo licet, quia non est prohibitum? inquit Ambrosius. Minime. Interdictum est enim naturæ iure. Interdictum est lege, quæ est in cordibus singulorum. Interdictum est inuolabili præscriptione pietatis, titulo necessitudinis. Omnino autè non est dubitandum, quin qui quod leuius est prohibuit, eadem sententia quæ grauiora sunt, condemnauerit.

Cum

Cùm itaque in quarto gradu coniugium lege diuina prohibeatur, quis non videt, omnem gradum superiore ad primum, esse Dei præcepto prohibitum?

Similiter in deligendo coniuge, ad prohibitionem graduum, ac reliquorum etiam impedimentorum, ab Ecclesia introductam, respicere debent contrahentes. Impiæ enim temeritatis esset in his quæ Catholica censuit & recepit Ecclesia, si quis non expectata generalis Concilij autoritate, mutationem inducere tentaret.

Omnibus etiam vitiis naturæ debent carere personæ contrahentes, quæ commixtionem coniugale impediunt, nisi fortè impotentiam alterius alter non ignorans, tamen coniungi cum illo, & sic cum si non coniugis, saltem fratris aut sororis loco habere optaret.

DE CONSENSU CONTRAHENTIVM.

Matrimonium autem inter personas idoneas facit amorum liber consensus, quem verbis de presenti exprimunt. Solus enim consensus coniugium inchoat & stabilit, non coitus. Nec in carnis permixtione, sed in fide dispensationis, ratum & firmū incipit Matrimonium. Verba de futuro non tam faciunt Matrimonium, quàm promittunt. Ideoque inualida sunt Matrimonia, quæ verbis de futuro contrahuntur, nisi aut copula carnali, aut nouo consensu, per verba de presenti expresso confirmentur. Quæ enim futura sunt, nondum sunt, & ideo non sunt. Quæ vero non sunt, nihil aut faciunt aut stabiliūt. Et satis stultus est, qui aliquam sibi certitudinem de futuris pollicetur, contra admonitionem Sapientis. Ne glorieris in crastinum: ignorans, quid superuentura pariat dies. Non est ergò vxor mea: quia dico, erit. Nec ideo ius in eam accipio: quia promitto me accepturum. Nec statim est impletum, quod est promissum: licet ex promissione sit

LL iiij debitum

De affini-
cõsan.
c. Non
De frigi-
dis
est. ca.
Consulta-
tioni.
c. Lauda-
bilem.
Impotētia
impedit
Matrimo-
nium.

debitum. Qui promittit, non facit. Et si non facit qui promittit, in eo quidem mendacium est. Sed qui facit, etiam si post factum pœnitet, tamen quod fecit, pœnitentia non reddit infectum aut irritum. Cœiugalis autem obligatio non est nuda pœmissio, sed realis traditio, mutua corporum inter cœiuges & suæ potestatis vtrinq; abalienatio: ideoq; verbis præsens confici debet obligatio coniugij, quorum verborum virtus etiam post sonum manet, & cœiuges nexu indissolubili compingit. Nec refert, qua lingua proferantur verba consensus, modò id disertè & liberè insinuent, duos istos, marem & fœminam, in indiuiduam vitæ consuetudinem consentire.

Côfessio sine rēste valet. Nec ad necessitatem coniugij requiritur, vt contractus Matrimonij præsens testibus transigatur. Ritè enim duo inter se soli contrahunt, etiam nemine præsente. Sed nec dedecore nec periculo carent occulti consensus. Non enim ligant occulti consensus, nisi postea libera & aperta amborum confessione roborentur. Ideoq; Matrimonium quidem in consensu duorum reipsa fit verum, sed in facie Ecclesiæ completum, certæ firmitatis robur accipit.

Côfessio ficta facit verum Matrimonium. Nec fit consensus ideo invalidus, si quis per simulationem aliud verbis proferat, & aliud gerat mente occultatum. Nam qui per simulationem ficta mente Baptismum suscipit, verum quidem Baptismum, licet sibi non salutarem, habet. Qui ad eor reuersus, & de animi malitia & simulatione pœnitens, non iterum baptizatur: sed tunc Baptismus per simulationem susceptus, ad salutem ei proficere incipit, cum illa fictio per veram confessionem recesserit. Sic verum Matrimonium contrahit, qui verbis consensus præbuit, licet interim animo aliud voluerit modò verba nullam ambiguitatem, sed explicatum consensum præ se tulerint. Rectè enim publica iudicia publicis signis ac verbis respondent. Ex ore tuo (inquit Christus) te iudico. Nec quicquam inconueniens idem fecit, cum ludam in exhibitione osculi amicum appellauit, quem mente hostem cognouit. Sic ritè iudicatur ad Matrimonium aliquis etiam ex ficto consensu

sensu teneri. Debuit enim orationem cum mente conuenientem, proferre. Quod si orationem propriam mentis simulatione adulterauit, meritò suæ malitiæ damna solus ferre, nec ex dolo suo emolumentum reportare debet. Legitimum quidem Matrimonium solus consensus efficit, sed vt Sacramenti virtus & sanctitas accedat Matrimonio, requiritur, vt coniuges religiosè, & cum pietatis respectu Matrimonium incuntes, cum timore Dei ad mutuatam vitæ consuetudinem consentiant, & in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti copulètur, qua pietatis consideratione inter Christianos vera Matrimonia stabiliuntur, & à prophanis Gentium connubis discernuntur. Talis enim consensus coniugum, cum pietatis respectu prolatus, ritè ad verba Christi respicit. Quos Deus coniunxit, homo ne separet: ex hisque verbis in virtute Sacramenti, per occultam Dei operationem tantam coniugalis vinculi firmitatem facit, eosque tam arcto fœdere & insolubili societate compingit, vt iam ex ipso consensu in vnâ carnem coalescant, nec possit amplius alter alterum deserere, aut aliqua ex parte iuris coniugalis portione sine grandi scelere defraudare.

Qui consensus facit Sacramentum.

DE AFFECTV CONTRAHENTIVM.

E his colligunt Christiani, quo affectu ad inchoanda connubia venire debeant. Memores enim casti Matrimonij authorè & coniunctorum esse Deum, sic coniuges sibi asciscant, vt Deum in mente gerant: non auaritiam, non vanam gloriam, non explendæ libidinis facietatem, in deligendo coniuge sibi proponant, sed omnes malas cupiditates, quibus author fœlicis cœiugij Deus offenditur, ex animis eiiciant, & cum timore Dei solo procreandæ sobolis desiderio, & pro sanandæ incontinentiæ suæ remedio, coniugem sibi quærant. Coniugem verò non nata libus, sed moribus: non corporis, sed animi pulchritudine eligant, & talem etiam sibi à Deo dari supplicibus votis expetant,

- Prov. 18.* expetant, cum quo tranquillam vitam, sub timore Dei, & secundum voluntatē eius, in omni castitate & pietate trāsi gere valeāt. Non enim nostri delectus, sed diuini muneris est, vt contingat coniux ex animi sententia, dicente scriptura. Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonū, & haeriet iocunditatem à Domino. Et. Domus & diuitiæ dātur à parentibus, à Domino autē propriè vxor prudens. Peruersus & vitiosus affectus cōiugium alioqui rem sanctam prophanat, & offendens Deum coniugij authorem, inauspicatum & infelix reddit Matrimonium, contestante scriptura. Qui cōiugium ita suscipiunt, vt Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini vacēt, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem Dæmonium super eos. Et Deum nuptiis iratū, quas cum filiabus hominum filij Dei sola libidine, sine omni pietatis respectu, contrahebant, mundum immisso diluuiō perdidisse, eadē scriptura cōmemorante didicimus, Gen. 6. Matt. 24. Contrā verò, sub timore Dei & pio affectu cōciliata Matrimonia, prosperos successus à Domino impetrāt. Qualem affectū in Sara Raguelis filia sacrae literæ admodum commendant, quæ corā Domino suæ desponsationis propositum edicens: Tu scis Domine, ait, quia nunquam concupiui virū, & mundam seruauim animam meam ab omni concupiscentia. Nunquā cum ludentibus miscui me, neq; cum his, qui in leuitate ambulāt participem me præbui. Virum autē cum timore tuo, nō cum mea libidine, cōsensu suscipere. Eadem etiā pietate Tobias Saræ nuptias expe-tebat. Tu scis Domine (inquit) quia nō luxuriæ causa fororem meam accipio coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in secula.

Coniuges Deum coniugij authorem cogitantes Consyderata etiam Dei virtus & operatio, in conciliatione nuptiarum reuerentiam, & mutuum amorem inter coniuges mirum in modum adauget & confirmat. Secum enim reputās vir fidelis vxorem vnicuiq; à Domino prouideri, si commoda vxor obtigerit, velut exoptatum munus diuinæ gratiæ, cum ingenti gratitudine animi amplectitur: si morosa, aut debilis, aut deformis erit vxor, vir & amat. fidelis in voluntatem Dei respiciens, æquaquam sibi displicere

placere finit illā, quæ Deo placuit, vt vxor sua esset. Itaq; coniugem suam ob hoc ipsum præ omnibus mulieribus animo suo charā habet, qui eam sibi meminit à Domino ex omnibus mulieribus traditā & commendatā. Vbiq; vero voluntatem Dei aduersus defectus coniugis prætendens, omnia incōmoda Matrimonij sua patiētia deuincit.

Similiter amorem coniugum acuit, & ad mutuam beneuolentiam & æquanimitatē eos incendit, diligenter consyderata signi sublimitas. Coniunctio enim eorum, Christi & Ecclesiæ vnionem significat, quod consyderans vir fidelis, ex omni parte prouidet, ne sit dissimilis Christo, quem representat: itaque vxorem suam diligit, & infirmitatem & defectus eius dissimulat, sicut Christus dilexit Ecclesiam, scdam omnibus vitiis suo emundans sanguine, & adhuc quotidie delictis nostris per misericordiam & æquanimitatē ignoscens. Sic & vxor viro per omnia paret, eumque diligit vt caput suum, summo studio præcauens, ne infidelis aut immorigera viro suo inueniatur, ne ab exemplo Ecclesiæ recedat, cuius imaginem gerit, quæ vni Christo intima charitate adhærens, per omnia obedit. Contrā autem, sine timore & respectu Dei copulata Matrimonia, ortis dissidiis facile dissiliūt, & amor coniugū libidine conciliatus, vbi per ætatem aut morbum vigor corporis & formæ decor emarcescit, simul dilabitur & perit, & mox rixis & indefinentibus odiis locum relinquunt.

Significatio Matrimonij docet mutuū amorem.

DE CELEBRITATE

nuptiarum.

Consensus solus inter duos etiam sine teste datus, re ipsa verum iungit Matrimonium. **C**elebritas autem nuptiarum, quæ in facie Ecclesiæ publicè adhibetur, non quidem aliud facit Sacramentum, sed Matrimonium ex duorum consensu sancitū, corroborat, eiq; publicam Ecclesiæ testificationē addens, occultæ copulationis pericula excludit. Hoc enī præstat publica celebritas nuptiarū, ne fortè inter *Publica celebritas*
 fimu-

INSTITVTIO CHRISTIANA

nuptiarū ad quid profici? simulatos coniuges sub prætextu coniugij, stupra & adulteria lasciuant: aut, ne veri cōiuges mutuis iniurijs irritati, coniugiū, quod verè, sed sine teste contraxerint contra Dei ordinationem dirumpèdo, Deum coniugij authorem contra se prouocent, & certam sibi damnationem acquirant. Non autè Ecclesia prohibere posset, quominus, quoties vellent, à se inuicem coniuges discederent, si mutui consensus & Matrimonij inter eos legitime contracti, nullum extaret publicum testimonium. Si enim post occultū consensum, vir ductus pœnitentia, datam fidem negaret, & coniugem suam tanquam hæcenus concubinæ nõ vxoris loco habitam, abijcere, & aliam ducere tentaret: in hoc casu innocenti mulieri subuenire Ecclesia non valeret. Quod enim Ecclesiæ nullis testimonijs probari potest, id ipsa iudicare non potest: nec haberet, quo virum de data coniugij fide inficiantem, conuincere aut cogere posset.

Vtrumq; ergò periculum celebritate nuptiarum excluditur, ne sub coniugij simulatione cohabitantes, qui coniuges non sunt, stupri fœditate honestate nuptiarum obuelent. Aut, ne hi, qui sibi coniugij fidem verè dederunt, si postea sibi inuicem displicere ceperint, contra coniugij legem diuinitus constitutam, disijungi à se mtruo, aut inuicem deserere queant: coniugio simul, & Deo auctori coniugij, iniuriam facientes.

Ad eandem cautionem pertinet, q̄ ex antiqua Ecclesiæ Catholicæ consuetudine, ante nuptiarum celebritatem tria sponsi ac sponsæ proclamatio coram multitudine præmittitur: & admoetur Ecclesia, vt si quod impedimentum nouerit inter istos intercedere, quo minus iuxta Dei ordinationem ritè copulari queant, id Sacerdoti indicet, vt sic ab iniuria coniugij sanctitas custodiatur & præseruetur. Alienum quoq; & ignotum nullum ad Matrimonij copulam recipit aut admittit Ecclesia, sine literis commendatitijs Parochi loci in quo vixit, quæ ei testimonium præbeant suæ libertatis, ne alteri connubio alligatum puella per ignorantiam accipiens, sub viri opinione turpi adultero suam pudicitiam substernat, à quo mox per summam iniuriam

Trina p̄ elamatio.

Ignoti sine testimonio ad cōiugia non admittèdi

DE SACRAMENT. MATRI.

iniuriam deseratur: ex infœlicibus nuptijs perpetuum dibrium, & non reparabile pudicitæ suæ damnum, m̄, fera reportaus.

Nec solùm ad euitationem periculorum facit nuptiarū celebritas, vt sic à fraudibus & iniurijs coniugia vindicentur: sed ad decorem etiam pertinet, & Sacramento Matrimonij multam reuerentiam addit.

In eo autem, q̄ coniuges in facie Ecclesiæ solèni benedictione Sacerdotis copulantur, hoc insinuat, coniunctionem viri & fœminæ Deo auctore (cuius vicem Sacerdos gerit) connecti, eamq; vitæ conditionem sanctam & à Deo benedictam esse. Huius benedictionis ritum, Ecclesia ad imitationem Dei assumpsit, qui primum Matrimonium in Paradiso connectens, benedixit coniugibus: sic futuris temporibus iungèdi Matrimonij legitimam formam exprimens, quam semper religiosi homines sub lege seruauerunt, & Ecclesia Catholica cum summa veneratione custodiuit. Raguel filiam suam Tobix contradeas: Deus Abraham (inquit) & Deus Isaac, & Deus Iacob vobiscum sit, & ipse vos coniungat, impleatq; benedictionem suam in vobis.

In Catholica verò Ecclesia iam inde à tēporibus Apostolorum non solùm benedictione Sacerdotis, sed & sacrificio laudis, & venerabilis Sacramenti communicatione nuptiæ celebrari consueuerunt, cuius rei luculenta & vtuustissima extant testimonia apud Tertullianum. Vnde sufficiam (inquit) ad enarrandam fœlicitatem eius coniugij, quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renunciant. Idem & sacrificij & communicationis Sacramenti, in celebratione nuptiarum mentionem facit. Significat autem oblatio, vitæ conjugalem rem piam, & coram Deo boni odoris & gratiam esse. Communicatio Sacramenti innuit, vitam conjugalem Sanctorum communi Sacramenti non esse indignam. Augustinus benedictionem Sacerdotalem in nuptijs ex auctoritate diuina adhiberi asseruerat. Omnia enim quæ facta sunt (inquit) Dei nutu multiplicata

rum, reuerentia Sacramenti.

Benedictio coniugum ex diuina institutione præmanat. Tob. 7.

Tertull. lib. 2. ad vxorem. Oblatio in nuptijs quid significet.

Aug. in quaest. v. cerno. test. cap. 127.

dicata & meliora sunt super terram. Et inde Cuius rei traditio & in Synagoga mansit, & nunc in Ecclesia celebratur, vt; Dei creatura sub Dei benedictione iungatur, non vtiq; per præsumptionem, quia ab ipso auctore sic data est forma.

27.9.2. Multa alia pro cumulanda nuptiarum honestate, & quo
cap. Insi- Sacramento reuerentia maior accederet, veteres Patres
tutum. tradiderunt, vt ne sponsæ post pactū statim tradantur mar-
Conciliū ritis. Et cum benedicendi sunt à Sacerdote, vt à Parany-
Aphric. phis aut parentibus honorificè deducantur. Et cum bea-
 4. ca. 13. dictionem Sacerdotis acceperint pro benedictionis adeo-
 que Sacramenti reuerentia, eadem nocte à congressu cō-
Tob. 8. tineant: in hoc Tobix pietatem imitantes, qui virginem
 sibi iam in Thalamū traditam horrtatus est: Sara, inquit,
 surge, & deprecemur Deum hodie, & cras & secundum
 cras, quia his tribus noctibus Deo coniungimur: tertia au-
 tem transacta nocte, in nostro erimus coniugio.

Magna est seueritas vetustissimi Canonis ab Euaristo
 editi, inter multos alios connubij ritus exigens, ne pro-
 les absq; consensu parentum coniuges sibi asciscat, velut
 adulteria & contubernia non coniugia, damnans & irrita
 pronūcians Matrimonia, quæ aliter fuerint conciliata: à
 qua tamen seueritate Ecclesia discessit, & talia Matrimo-
 nia (modò testibus probari possent) rescindenda non pu-
 tauit. Et profectò in re ista moderatio adhibenda est, si
 vtrinque pericula cauere debent. Non enim minus parē-
 tum, quàm iuuenum voluntates, in deligendis Matrimo-
 nijs plærunq; iniustæ sunt & perniciosæ. Nam sæpe pa-
 rentes in elocanda filia pefsimos consultores sequuntur,
 auaritiam, & vanam gloriã. Itaq; vbi dotis amplioris spes
 affulserit, aut vanæ nobilitatis splendor parentum oculos
 perstrinxerit, occæcati auaritia & gloriæ cupiditate, in
 sponso quæ reliqua insunt vitia, non consyderat: sed interdum
 scortatoribus, potatoribus, decoctoribus, aut etiã in
 mente hæresi vitiatis, aut in corpore peste Gallica corru-
 ptis, infelicēs puellas in miseram veriùs seruitutem de-
 dunt, quàm connubio copulant. Quærenda ergò modera-

*Parentes
 non semp
 optimis
 cõsilijs du-
 cuntur in
 elocandis
 liberis.*

tiq

tio est, & ineunda ratio, qua prouideatur, ne filij in quæ-
 rendis coniugijs voluntatem, & consilia parentum, treme-
 re negligant. Nec parentibus tamen, aut cognatis potestas
 permittatur, filios suos à commodis & vtilibus coniu-
 gijs retrahendi, aut ad praua & molesta Matrimonia con-
 tra ipsorum voluntatem cogendi, aut vltra quàm ætas eor-
 um fert, à nuptiarum copulatione remorandi.

Nunc quæ de consensu contrahentium, & copulationis
 eorum ritu dicta sunt, ea quæ ad proprietatem Sacramen-
 ti huius pertinent, satis indicant. Verbum enim huius Sa-
 cramenti hoc est, quum aut personæ cōtrahentes mutuum
 consensum ad indiuiduam vitæ consuetudinem sua voce
 proferunt, aut Sacerdoti, siue alteri cuiunque, an in Dei
 nomine Matrimonio iungi velint, quærenti liberè & dis-
 sertè respondent, se velle. Et hic consensus subnixus est
 verbo Dei. Quod Deus coniunxit, homo ne separet. Ele-
 mentum verò seu materia Sacramenti Matrimonij, est ritus
 externus, in iungendis coniugibus adhiberi solitus,
 qualis est complexio manuum, aut anuli traditio, & in fa-
 cie Ecclesiæ per Sacerdotem celebrata coniunctio & be-
 nedictio. Quod Elementum accedens ad verbum, efficit
 Sacramentum, cuius virtute per occultam Dei operatio-
 nem coniuges in fœdus illud sacrum atque inuiolabile, &
 in perpētuum vitæ consuetudinem nexu indissolubili col-
 ligantur, & diuina suffulti gratia, quam in eorum coniun-
 ctione virtus Sacramenti subministrat, per mutuum amo-
 rem sibi inuicem deuinciuntur, & amicabili vinculo in fi-
 de mutua cohærentes, & ab omni immunditia se alienos
 continent, simul & hanc præsentem vitam per mutua so-
 latia sibi iucundam reddunt, & ritè obseruato Matrimo-
 nio, æternæ remunerationis mercedem à Deo, casti Ma-
 trimonij conciliatore & auctore, recipiunt.

*Verbū Sa-
 cramenti
 Matrimo-
 nii.*

Mar. 10.

*Elementū
 Sacramen-
 ti Matrimo-
 nii.*

